



PATRISTIC LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

CXXXIV.

PATRES QUINTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. AUGUSTINUS.

XXVII.



PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI,

APUD VIRENQUE, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,

APUD BIBLIOPOLAM, CUI NOMEN GALLICE,

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES,

Rue des Saints-Pères, nº 16.

S.-CLODOALDI, E TYPOGRAPHEO BELIN-MANDAR.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATIORA

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS QUARTUS.

FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

ALMA COLLEGE
208.24
LIBRARY
Au46C
Los Gatos, Calif.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

SANCTÆ SEDIS ORDINUM INSIGNIBUS DECORATUM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M DCCC. XXXIX.

58616

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Los Gatos, Calif.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

OPERUM

PARS V.

OPERA MORALIA.

DE PATIENTIA, LIBER UNUS.
DE SYMBOLO AD CATECHUMENOS, TRACTATUS UNUS.
DE DISCIPLINA CHRISTIANA, TRACTATUS UNUS.
DE CANTICO NOVO, TRACTATUS UNUS.
DE QUARTA FERIA, TRACTATUS UNUS.
DE CATACLYSMO, TRACTATUS UNUS.
DE TEMPORE BARBARICO, TRACTATUS UNUS.
DE UTILITATE JEJUNII, TRACTATUS UNUS.
DE URBIS EXCIDIO, TRACTATUS UNUS.

PARS VI.

OPERA POLEMICA.

DE HÆRESIBUS.
ADVERSUS JUDÆOS,
DE LIBERO ARBITRIO, LIBRI III CONTRA MANICHÆOS.
DE GENESI, LIBRI II CONTRA MANICHÆOS.
DE MORIBUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ, LIBRI II.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/collectioselecta0027saug

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE PATIENTIA.

LIBER UNUS[1].

PRINCIPIO DISTINGUIT AUGUSTINUS PATIENTIAM VERAM A FALSA. HORTATUR DEINDE AD EAM QUÆ VERA EST, PER QUAM PRO ÆTERNA VITA ET EX DEI AMORE MALA SUFFERUNTUR. PATIENTIAM AMPLECTENDAM. DOCET POSTREMO HANC PATIENTIÆ VIRTUTEM, NON LIBERI ARBITRII VIRIBUS, SED DIVINÆ GRATIÆ ADJUTORIO TRIBUENDAM ESSE.

I. VIRTUS[2] animi quæ patientia dicitur, tam magnum Dei donum est, ut etiam ipsius qui nobis eam largitur, qua malos ut corrigantur expectat, patientia prædicetur. Ita quamvis Deus nihil pati possit, patientia vero a patiendo nomen acceperit, patientem tamen Deum non modo fideliter credimus, verumetiam salubriter confitemur. Sed Dei patientia qualis et quanta sit, quem nihil patientem, nec tamen impatientem, imo etiam patientissimum dicimus, verbis explicare quis possit? Ineffabilis est ergo illa patientia, sicut zelus ejus, sicut ira ejus, et si quid hujusmodi

[1] Scriptus forte ante annum 413.— [2] Vide D. Guillon, tom. XXII, pag. 318–320.

est. Nam si tanquam nostra ista cogitemus, in illo nulla sunt. Nihil enim horum nos sine molestia sentimus : absit autem ut impassibilem Dei naturam perpeti ullam molestiam suspicemur. Sicut autem zelat sine aliquo livore, irascitur sine aliqua perturbatione, miseretur sine aliquo dolore, pœnitet eum sine alicujus suæ pravitatis correctione : ita est patiens sine ulla passione. Nunc itaque humana patientia, quam capere possumus, et habere debemus, cujusmodi sit, quantum Dominus tribuit, et quantum patitur brevitas præsentis sermonis, expediam.

II. Patientia hominis, quæ recta est atque laudabilis et vocabulo digna virtutis, ea perhibetur qua æquo animo mala toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus. Quapropter impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt ut a malis eruantur, sed ut mala graviora patiantur. Patientes autem qui mala malunt non committendo ferre, quam non ferendo committere, et leviora faciunt quæ per patientiam patiuntur, et pejora evadunt quibus per impatientiam mergerentur. Bona vero æterna et magna non perdunt, dum malis temporalibus brevibusque non cedunt : « Quoniam non sunt » condignæ passiones hujus temporis, sicut Apostolus » dicit, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis[1]. » Et iterum ait : « Quod est temporale et leve tribulationis » nostræ, in incredibilem modum æternum gloriæ pondus » operatur nobis[2]. »

III. Intueamur ergo, charissimi, quanta in laboribus et doloribus homines dura sustineant, pro rebus quas vitiose diligunt, et quanto se his feliciores fieri putant, tanto infelicius concupiscunt. Quanta pro falsis divitiis, quanta pro vanis honoribus, quanta pro ludicris affectionibus periculosissima et molestissima patientissime tolerantur.

[1] Rom. VIII, 18. — [2] 2 Cor. IV, 17.

Pecuniæ, gloriæ, lasciviæ cupidos videmus, ut ad desiderata perveniant, adeptisque non careant, soles, imbres, glacies, fluctus, et procellosissimas tempestates, aspera et incerta bellorum, immanium plagarum ictus, et vulnera horrenda, non inevitabili necessitate, sed culpabili voluntate perferre. Verum hæ licitæ quodam modo videntur insaniæ. Namque avaritia, ambitio, luxuria, et variorum oblectamenta ludorum, nisi propter illa facinus aliquod admittatur, sive flagitium quod legibus prohibetur humanis, putantur ad innocentiam pertinere : imo etiam qui sine fraude cujusquam, aut pro habenda vel augenda pecunia, aut pro adipiscendis vel retinendis honoribus, aut in agone certando seu venando, seu theatricum aliquid plausibiliter exhibendo magnos labores doloresque pertulerit, parum est quod populari vanitate nullis reprehensionibus cohibetur, sed insuper extollitur laudibus : « Quo» niam laudatur, sicut scriptum est, peccator in desideriis » animæ suæ[1]. » Vis enim desideriorum facit tolerantiam laborum et dolorum : et nemo nisi pro eo quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat. Sed istæ, ut dixi, cupiditates, propter quas explendas qui eis flagrant, multa dura et acerba patientissime sustinent, licitæ existimantur legibusque concessæ.

IV. Quid quod etiam pro apertis sceleribus, non ut ea puniant, sed ut perpetrent multa homines gravissima perferunt? Nonne de quodam nobilissimo patriæ parricida, sæcularium litterarum loquuntur auctores, quod famem, sitim, frigus ferre poterat, ejusque erat corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, supra quam cuiquam credibile est? Quid de latronibus dicam[2], quorum omnes cum insidiantur viatoribus, noctes perpetiuntur insomnes, atque ut transeuntes excipiant innocentes, sub qualibet cœli as-

[1] Psal. IX. 3. — [2] Sallust. de Catilina.

peritate nocentem animum corpusque defigunt? Quidam vero eorum invicem torquere perhibentur, ita ut exercitatio contra pœnas nihil distet a pœnis. Non enim tantum fortassis excruciantur a judice ut a dolentibus veritas inquiratur, quantum a suis sociis ut a patientibus non prodatur. Et tamen in his omnibus miranda est potius quam laudanda patientia : imo nec miranda nec laudanda, quæ nulla est ; sed miranda duritia, neganda patientia : nihil autem illic jure laudandum, nihil utiliter imitandum ; tantoque rectius majore supplicio dignum judicaveris animum, quanto magis vitiis subdit instrumenta virtutum. Patientia comes est sapientiæ, non famula concupiscentiæ : patientia amica est bonæ conscientiæ, non inimica innocentiæ.

V. Cum ergo videris quemquam patienter aliquid pati, noli continuo laudare patientiam, quam non ostendit nisi causa patiendi. Quando illa bona est, tunc ista vera est : quando illa non polluitur cupiditate, tunc a falsitate ista distinguitur. Cum vero illa tenetur in crimine, tunc hujus multum erratur in nomine. Non enim sicut omnes qui sciunt sunt participes scientiæ, ita omnes qui patiuntur sunt participes patientiæ ; sed qui passione recte utuntur, hi patientiæ veritate laudantur, hi patientiæ munere coronantur.

VI. Verumtamen cum pro libidinibus, vel etiam sceleribus, cum denique pro ista temporali vita ac salute multa homines horrenda mirabiliter sufferunt, satis nos admonent quanta sufferenda sint pro vita bona, ut etiam postea possit esse æterna, et sine ullo temporis termino, sine utilitatis ullius detrimento vera felicitate secura. Dominus ait : « In vestra patientia possidebitis animas vestras[1]. » Non ait : Villas vestras, laudes vestras, luxurias vestras

[1] Luc. XXI, 29.

sed, « Animas vestras. » Si ergo tanta suffert anima ut possideat unde pereat, quanta debet sufferre ne pereat? Deinde ut illud dicam quod culpabile non est, si tanta suffert pro salute carnis suæ inter manus secantium sive urentium medicorum, quanta debet sufferre pro salute sua inter furores quorumlibet inimicorum? Cum medici, ne corpus moriatur, per pœnas corpori consulant; inimici autem pœnas et mortem corpori comminando, ut anima et corpus in gehenna occidatur impellant.

VII. Quanquam et ipsi corpori tunc providentius consulatur, si temporalis salus ejus pro justitia contemnatur, et pœna vel mors ejus patientissime pro justitia sufferatur. De corporis quippe redemptione quæ in fine futura est, loquitur Apostolus, ubi ait : « Et ipsi in nobismetipsis in- » gemiscimus, adoptionem filiorum expectantes redemp- » tionem corporis nostri. » Deinde subjunxit, « Spe enim » salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. » Quod enim videt quis, quid et sperat? Si autem quod » non videmus speramus, per patientiam expectamus [1]. » Cum ergo torquent aliqua mala, sed non extorquent opera mala, non solum anima per patientiam possidetur, verumetiam cum per patientiam corpus ipsum ad tempus affligitur vel amittitur, in æternam stabilitatem salutemque resumitur, et ei per dolorem et mortem inviolabilis sanitas et felix immortalitas comparatur. Unde Dominus Jesus ad patientiam exhortans Martyres suos, etiam ipsius corporis integritatem futuram sine cujusquam, non dicam membri, sed capilli amissione, promisit. « Amen dico vobis, inquit, » capillus capitis vestri non peribit [2]. Ut quoniam nemo » unquam, sicut Apostolus dicit, carnem suam odio ha- » buit [3], » magis homo fidelis per patientiam quam per impatientiam pro statu suæ carnis invigilet, et futuræ

[1] Rom. xxviii, 23, 25. — [2] Luc. xxi, 18. — [3] Ephes. v, 29.

incorruptionis inæstimabili lucro quantalibet ejus præsentia damna compenset.

VIII. Quamvis autem patientia virtus sit animi, partim tamen ea utitur animus in se ipso, partim vero in corpore suo. In se ipso utitur patientia, quando illæso et intacto corpore aliquid quod non expediat vel non deceat, facere aut dicere quibuslibet adversitatibus aut fœditatibus rerum seu verborum stimulis incitatur, et patienter mala omnia tolerat, ne ipse mali aliquid opere vel ore committat. Per hanc patientiam sustinemus, etiam dum corpore sani sumus, quod inter hujus sæculi scandala beatitudo nostra differtur : unde dictum est quod paulo ante commemoravi : « Si quod non videmus speramus, per patien- » tiam expectamus[1]. » Hac patientia sanctus David conviciantis opprobria toleravit, et cum facile posset ulcisci, non solum non fecit, verum et alium pro se dolentem commotumque compescuit[2], et potestatem regiam magis adhibuit prohibendo, quam exercendo vindictam. Neque tunc ejus corpus aliquo morbo affligebatur aut vulnere, sed humilitatis tempus agnoscebatur, ac ferebatur voluntas Dei, propter quam patientissimo animo amaritudo contumeliæ bibebatur. Hanc patientiam Dominus docuit, quando commotis zizaniorum permixtione servis, et volentibus ea colligere, dixit respondisse patremfamilias : « Sinite utraque crescere usque ad messem[3]. » Oportet enim patienter ferri, quod festinanter non oportet auferri. Hujus et ipse patientiæ præbuit et demonstravit exemplum, quando ante passionem corporis sui, discipulum Judam prius quam ostenderet traditorem, pertulit furem ; et ante experimentum vinculorum et crucis et mortis, labiis ejus dolosis non negavit osculum pacis[4]. Hæc omnia, et si qua

[1] Rom. VIII, 25. — [2] 2 Reg. XVI, 10. — [3] Matth. XIII, 30. — [4] Joan. XII, 6, et XIII, 29, et Matth. XXVI, 49.

alia sunt quæ commemorare longum est, ad eum patientiæ modum pertinent, quo animus non sua peccata, sed quæcumque extrinsecus mala patienter sustinet in se ipso, suo prorsus corpore illæso. Alius est autem patientiæ modus, quo idem ipse animus quæcumque molesta et gravia in sui corporis passionibus perfert; non sicut stulti vel maligni homines, propter adipiscenda vana, vel scelera perpetranda; sed sicut a Domino definitum est: « Propter » justitiam[1]. » Utroque modo sancti Martyres certaverunt. Nam et impiorum opprobriis saturati sunt, ubi animus corpore intacto quasdam veluti plagas suas integer sustinet; et in corporibus vincti sunt, inclusi sunt, fame ac siti affecti sunt, torti sunt, secti sunt, dilaniati sunt, incensi sunt, trucidati sunt: et pietate immobili subdiderunt Deo mentem, cum paterentur in carne quidquid exquirenti crudelitati venit in mentem.

IX. Majus sane patientiæ certamen est, quando non visibilis inimicus persequendo atque sæviendo urget in nefas, qui palam et aperte a non consentiente vincatur; sed ipse diabolus, qui etiam per filios infidelitatis tanquam per sua vasa filios lucis insequitur, per se ipsum occultus impugnat, sæviendo instans ut contra Deum fiat aliquid vel dicatur. Talem illud Job sanctus expertus est, utraque tentatione vexatus, sed in utraque stabili patientiæ robore et armis pietatis invictus. Nam prius illæso corpore cuncta quæ habebat amisit[2], ut animus ante suæ carnis cruciatum subtractis rebus, quas magni pendere homines solent, frangeretur, et adversus Deum loqueretur aliquid, his amissis propter quæ illum colere putabatur. Percussus est etiam omnium subita orbitate filiorum, ut quos singillatim susceperat, simul perderet, tanquam eorum numerositas, non unde felicitas ornaretur extiterit, sed unde

[1] Matth. v, 10. — [2] Job, 1, 12.

calamitas augeretur. Ubi autem ista perpessus in Deo suo mansit immobilis, ejus affixus est voluntati, quem non posset amittere nisi propria voluntate; et pro iis quæ perdidit eum qui abstulit tenuit, in quo inveniret quod nunquam periret. Neque enim ille abstulerat qui nocendi habuit voluntatem, sed ille qui dederat potestatem. Aggressus est inimicus et corpus, nec ea quæ homini extrinsecus inerant, sed ipsum jam hominem in qua potuit parte percussit. A capite usque ad pedes ardebant dolores[1]; scatebant vermes, sanies defluebat : manebat in putri corpore animus integer, horrendosque cruciatus carnis contabescentis inviolata pietate et incorrupta patientia perferebat. Aderat uxor, nec ferebat opem aliquam viro, sed in Deum blasphemiam suggerebat. Non enim eam diabolus, cum etiam filios abstulisset, tanquam nocendi imperitus reliquerat; quæ quantum esset necessaria tentatori, jam in Eva didicerat[2]. Sed modo alterum Adam, quem per mulierem caperet, non invenerat. Cautior fuit iste in doloribus, quam ille in nemoribus : ille victus est in deliciis, iste vicit in pœnis : consensit ille oblectamentis, non cessit iste tormentis. Aderant et amici, non ut in malis consolarentur, sed ut malum suspicarentur. Neque enim eum qui tanta patiebatur, innocentem esse credebant, nec tacebat eorum lingua quod illius conscientia non habebat; ut inter immanes cruciatus corporis, etiam falsis animus cæderetur opprobriis. At ille sustinens in carne dolores suos, in corde errores alienos, conjugis corripiebat insipientiam, amicos docebat sapientiam, servabat ubique patientiam.

X. Hunc intueantur, qui sibi ingerunt mortem, quando quæruntur ad vitam; et sibi auferendo præsentem, abnegant et futuram. Qui si ad Christum negandum vel ali-

[1] Job. II, 7. — [2] Gen. III, 1.

quid contra justitiam faciendum, sicut veri Martyres, cogerentur omnia potius patienter ferre, quam sibi impatienter mortem inferre debuerant. Quod si fugiendorum malorum causa recte fieri posset, Job sanctus se ipse perimeret, ut tanta mala in rebus suis, in filiis suis, in membris suis, diabolicæ crudelitatis effugeret. Non autem fecit. Absit enim ut in se committeret ipse vir sapiens, quod nec mulier suggessit insipiens. Quia et si suggessisset, merito et hic illud audisset, quod audivit suggerendo blasphemiam. « Locuta es tanquam una ex insipientibus » mulieribus. Si bona suscepimus de manu Domini, mala » non sustinebimus[1] ? » Et ipse quippe patientiam perdidisset. sive blasphemando, sicut illa voluerat, sive se interficiendo, quod nec illa ausa fuerat dicere, moreretur : atque esset inter illos de quibus dictum est : « Væ iis qui » perdiderunt patientiam[2] : » et augeret potius quam evaderet pœnas, qui post sui corporis mortem, sive ad blasphemorum, sive ad homicidarum, vel etiam plus quam parricidarum supplicia raperetur. Si enim parricida eo sceleratior est quam quilibet homicida, quia non tantum hominem, verum etiam propinquum necat ; inque ipsis parricidis, quanto propinquiorem quisque peremerit, tanto judicatur immanior : sine dubio pejor est qui se occidit ; quia nemo est homini se ipso propinquior. Quid ergo miseri faciunt, qui cum et hic sibimet ingestas, et postea non solum impietatis adversus Deum, sed etiam ipsius quam in se exercuerunt crudelitatis luant debitas pœnas, insuper quærunt et Martyrum glorias? cum etiam si pro vero Christi testimonio persecutionem paterentur, et se interficerent, ne aliquid a persecutoribus paterentur, recte illis diceretur : « Væ iis qui perdiderunt patientiam. » Quomodo enim justum præmium patientiæ redditur, si et impatiens passio

[1] Job, II, 10. — [2] Eccli. II, 16.

coronatur? Aut quomodo innocens judicabitur, cui dictum est : « Diliges proximum tuum sicut te ipsum[1], » si homicidium committit in se ipso, quod committere prohibetur in proximo?

XI. Audiant ergo sancti de Scripturis sanctis præcepta patientiæ : « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in jus- » titia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem : » deprime cor tuum, et sustine ; ut crescat in novissimis » vita tua. Omne quod tibi supervenerit accipe, et in do- » lore sustine, et in humilitate tua patientiam habe. Quo- » niam in igne probatur aurum et argentum, homines » vero receptibiles in camino humiliationis[2]. » Et in loco alio legitur : « Fili, ne deficias in disciplina Domini, neque » fatigeris, cum ab illo increparis[3]. Quem enim diligit » Dominus, corripit : flagellat autem omnem filium quem » recipit[4]. Quod hic positum est, « Filium quem recipit : » hoc in supradicto testimonio est, « Homines receptibiles. » Hoc enim justum est, ut qui de pristina felicitate paradisi propter contumacem deliciarum appetentiam dimissi sumus, per humilem molestiarum patientiam recipiamur : fugaces mala faciendo, reduces mala patiendo ; ibi contra justitiam facientes, hic pro justitia patientes.

XII. Sed vera patientia, quæ hujus est nomine digna virtutis, quærendum est unde sumatur. Sunt enim qui eam tribuant viribus voluntatis humanæ, non quas habent ex divino adjutorio, sed quas ex libero arbitrio. Error autem iste superbus est : eorum est enim qui abundant, de quibus dicitur in Psalmo : « Opprobrium eis qui abundant, » et despectio superbis[5]. Non ergo est ista patientia » pauperum, quæ non perit in æternum[6]. « Hi enim pauperes ab illo eam divite accipiunt, cui dicitur : « Deus

[1] Matth. XII, 19. — [2] Eccli. II, 1, 5. — [3] Prov. III, 11, 12. — [4] Hebr. XII, 5, 6. — [5] Psal. CXXII, 4. — [6] Id. IX, 19.

» meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges[1]. A quo » est omne datum optimum, et omne donum perfectum[2]. » Ad quem clamat egenus et pauper, qui laudat nomen ejus, et petendo, quærendo, pulsando, dicit: « Deus meus, eripe » me de manu peccatoris, et de manu legem prætereuntis » et iniqui: quoniam tu es patientia mea, Domine, spes » mea a juventute mea[3]. » Isti autem qui abundant, et egere ad Deum dedignantur, ne ab illo accipiant veram patientiam, de sua falsa gloriantes, consilium inopis volunt confundere, quoniam Dominus spes ejus est[4]. Nec attendunt, cum homines sunt, et suæ, id est, humanæ voluntati tantum tribuunt, in illud se incurrere quod scriptum est: « Maledictus omnis qui spem suam ponit » in homine[5]. » Unde etiamsi eis contingat, ut aliqua dura et aspera, vel ne displiceant hominibus, vel ne graviora patiantur, vel sibi placendo et amando præsumptionem suam, eadem ipsa superbissima voluntate sustineant; hoc illis discendum est de patientia, quod de sapientia beatus Jacobus apostolus dicit: « Non est ista sapientia de sursum » descendens, sed terrena, animalis, diabolica[6]. » Cur enim non sit superborum falsa patientia, sicut superborum est falsa sapientia? A quo est autem vera sapientia, ab illo est et vera patientia. Huic enim cantat ille spiritu pauper: « Deo subjecta est anima mea, quoniam ab ipso est pa- » tientia mea[7]. »

XIII. Sed respondent et loquuntur dicentes. Si voluntas hominis sine ullo Dei adjutorio viribus liberi arbitrii tam multa gravia et horrenda perfert, sive in animo, sive in corpore, ut mortalis vitæ hujus et peccatorum delectatione perfruatur; cur non eodem modo eadem ipsa voluntas hominis eisdem viribus liberi arbitrii, non ad hoc

[1] Psal. xv, 2. — [2] Jacob. I, 17. — [3] Psal. LXX, 4, 5. — [4] Id. XIII, 6. — [5] Jerem. XVII, 5. — [6] Jacob. III, 15. — [7] Psal. LXI, 6.

expectans se divinitus adjuvari, sed sibi naturali possibilitate sufficiens, quidquid laboris vel doloris ingeritur, pro justitia et vita æterna patientissime sustinet? An vero, inquiunt, idonea est iniquorum voluntas, Deo non adjuvante, ut se ipsi in cruciatibus pro iniquitate, et antequam ab aliis crucientur exerceant; idonea est voluntas moras vitæ hujus amantium, ut Deo non adjuvante, inter atrocissima et longa tormenta in mendacio perseverent, ne sua facinora confitentes, jubeantur occidi; et non est idonea justorum voluntas, nisi eis vires desuper suggerantur, quaslibet pœnas, vel ipsius decore justitiæ, vel æternæ vitæ amore perferre?

XIV. Qui hæc dicunt, non intelligunt et quemque iniquorum tanto esse ad quæcumque mala perferenda duriorem, quanto in eo major est cupiditas mundi; et quemque justorum tanto esse ad quæcumque mala perferenda fortiorem, quanto in eo est major charitas Dei. Sed cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex jucundidate voluptatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis: « Charitas autem Dei diffusa est in » cordibus nostris, non utique ex nobis, sed per Spiritum » sanctum, qui datus est nobis[1]. » Proinde ab illo est patientia justorum, per quem diffunditur charitas eorum. Quam charitatem laudans atque commendans Apostolus, inter cætera ejus bona dixit eam et cuncta sufferre. « Charitas, inquit, magnanima est. » Et paulo post ait: « Omnia tolerat[2]. » Quanto ergo major est in sanctis charitas Dei, tanto magis pro eo quod diligitur, et quanto major est in peccatoribus cupiditas mundi, tanto magis pro eo quod concupiscitur, omnia tolerantur. Ac per hoc inde est patientia vera justorum, unde est in eis charitas Dei; et inde est patientia falsa iniquorum, unde est in eis

[1] Rom. v, 5. — [2] 1 Cor. xiii, 4 et 7.

cupiditas mundi. Propter quod dicit Joannes apostolus: « Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Si » quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in ipso. » Quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis » est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi : quæ » non est ex Patre, sed ex mundo est[1]. » Hæc igitur concupiscentia, quæ non est ex Patre, sed ex mundo, quanto fuerit in homine vehementior et ardentior, tanto fit quisque pro eo quod concupiscit, omnium molestiarum dolorumque patientior. Idcirco, sicut supra diximus; non est ista patientia desursum descendens : patientia vero piorum desursum est descendens a Patre luminum. Itaque illa terrena est, ista cœlestis : illa animalis, ista spiritalis; illa diabolica, ista deifica. Quoniam concupiscentia, qua fit ut peccantes omnia pertinaciter patiantur, ex mundo est; charitas autem, qua fit ut recte viventes omnia fortiter patiantur, ex Deo est. Et ideo illi falsæ patientiæ potest sine adjutorio Dei voluntas humana sufficere; tanto durior, quanto cupidior; et eo tolerabilius mala sustinens, quo ipsa fit pejor : huic autem, quæ vera patientia est, ideo voluntas humana, nisi desuper adjuta et inflammata, non sufficit, quia Spiritus sanctus est ignis ejus; quo nisi accensa diligat impassibile bonum, ferre non potest quod patitur malum.

XV. Sicut enim divina testantur Eloquia, « Deus charitas » est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in » illo manet[2]. » Quisquis ergo contendit haberi posse Dei charitatem sine Dei adjutorio, quid aliud contendit, nisi haberi Deum posse sine Deo? Quis autem hoc dicat Christianus, quod nullus dicere audeat insanus? Exultans ergo apud Apostolum vera, pia, fidelisque patientia, dicit ore sanctorum : « Quis nos separabit a charitate Christi? Tribu-

[1] 1 Joan. II, 15, 16. — [2] Id. IV, 16.

» latio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? » an periculum? an gladius? Sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die, deputati sumus sicut oves » victimæ[1]. Sed in his omnibus supervincimus per eum qui » dilexit nos : » non per nos, sed, « per eum qui dilexit nos. » Deinde sequitur et adjungit : « Certus sum enim, quia neque » mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Potestates, neque præsentia, neque futura, neque » altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit » nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu » Domino nostro[2]. Hæc est illa charitas Dei, quæ diffusa est » in cordibus nostris : » non ex nobis, sed « per Spiritum » sanctum, qui datus est nobis[3]. » Malorum autem « concupiscentia, » propter quam in eis est falsa patientia, « Non est ex Patre, sicut dicit apostolus Joannes, sed » ex mundo est[4]. »

XVI. Hic dicet aliquis : Si ex mundo est concupiscentia malorum, per quam fit ut mala omnia pro eo quod ab illis concupiscitur perferant, quomodo ex eorum dicitur voluntate? Quasi vero non et ipsi ex mundo sint, cum ab eis diligitur mundus, deserto eo per quem factus est mundus. « Serviunt enim creaturæ potius quam Creatori, » qui est benedictus in sæcula[5]. » Sive itaque mundi vocabulo Joannes apostolus dilectores significaverit mundi, voluntas quæ ex ipsis est, utique ex mundo est : sive mundi nomine cœlum et terram et quæcumque in eis sunt, hoc est, universam complexus sit creaturam, voluntas procul dubio creaturæ, quæ non est Creatoris, ex mundo est. Propter quod talibus Dominus dicit : « Vos de deorsum estis, ego » de sursum sum : vos de hoc mundo estis, ego non sum » de hoc mundo[6]. » Apostolis autem dicit : « Si de mundo

[1] Psal. XLIII, 22. — [2] Rom. VIII, 35, 39. — [3] Id. V, 5. — [4] I Joan. II, 16. — [5] Rom. I, 5. — [6] Joan. VIII, 23.

» hoc essetis, mundus quod suum est diligeret[1]. » Sed ne sibi amplius arrogarent, quam eorum mensura poscebat, et hoc quod eos non esse dixit ex mundo, naturæ putarent esse, non gratiæ : « Quia vero, inquit, de mundo non » estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos » mundus. » Ergo de mundo erant : nam ut de mundo non essent, electi sunt de mundo.

XVII. Hanc autem electionem non præcedentium in bonis operibus meritorum, sed electionem gratiæ demonstrans Apostolus, sic inquit : « Et in hoc tempore reliquiæ » per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gra- » tia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est » gratia[2]. » Hæc est electio gratiæ, id est, electio qua per Dei gratiam homines eliguntur. Hæc est, inquam, electio gratiæ, qua omnia bona merita præveniuntur humana. Si enim ullis bonis meritis datur, jam non gratis datur, sed debita redditur, ac per hoc non vero nomine gratia nuncupatur; ubi « Merces, sicut idem dicit Apostolus, » non imputatur secundum gratiam, sed secundum de- » bitum[3]. » Si autem ut vera sit gratia, id est, gratuita, nihil invenit in homine, cui merito debeatur; quod bene intelligitur et in eo quod dictum est : « Pro nihilo salvos » facies eos[4] : » profecto ipsa dat merita, non meritis datur. Prævenit ergo etiam fidem, ex qua omnia bona opera incipiunt. « Justus enim, sicut scriptum est, ex fide » vivit[5]. » Porro autem gratia non solum adjuvat justum, verumetiam justificat impium. Et ideo etiam cum adjuvat justum, et videtur ejus meritis reddi, nec sic desinit esse gratia; quoniam id adjuvat quod ipsa est largita. Propter hanc itaque gratiam, quæ cuncta bona merita humana præcedit, non solum Christus ab impiis occisus est, verum-

[1] Joan. xv, 19. — [2] Rom. xi, 5-6. — [3] Id. iv, 4. — [4] Psal. lv, 8. — [5] Habac. ii, 4.

etiam « Pro impiis mortuus est[1]. » Et antequam moreretur, non utique justos, sed justificandos elegit Apostolos, quibus ait: « Ego vos de mundo elegi[2]. « Quibus enim dixit: « De mundo non estis; » et ne putarent se nunquam fuisse de mundo, mox addidit: « Sed ego vos de mundo » elegi : » profecto ut de mundo non essent, ipsius in eos electione collatum est. Quocirca si per suam justitiam, non per gratiam ejus eligerentur, non de mundo electi essent : quoniam de mundo jam non essent, si jam justi essent. Deinde si propterea sunt electi, quia jam justi erant; ipsi priores jam Dominum elegerant. Quis enim potest esse justus, nisi eligendo justitiam? « Finis autem legis Christus » ad justitiam omni credenti[3]. Qui factus est nobis sapien- » tia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio; ut » quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino » glorietur[4]. » Ipse est ergo nostra justitia.

XVIII. Unde et antiqui justi ante incarnationem Verbi, in hac fide Christi, et in hac vera justitia, quod est nobis Christus, justificati sunt; hoc credentes futurum, quod nos credimus factum : et ipsi gratia salvi facti per fidem, non ex se ipsis, sed Dei dono[5]; non ex operibus, ne forte extollerentur. Bona quippe opera eorum non prævenerunt misericordiam Dei, sed subsecuta sunt. Ipsi quippe audierunt, ipsi scripserunt longe antequam Christus venisset in carne : « Miserebor cui misertus ero, et misericordiam » præstabo cui misericors fuero[6]. » E quibus Dei verbis, tanto post apostolus Paulus diceret: « Igitur non volentis, » neque currentis, sed miserentis est Dei[7]. » Ipsorum etiam vox est longe antequam Christus venisset in carne : « Deus » meus, misericordia ejus præveniet me[8]. » Quomodo autem possent alieni esse a fide Christi, quorum charitate etiam

[1] Rom. v, 6. — [2] Joan. xv, 16. — [3] Rom. x, 4. — [4] 1 Cor. i, 30. — [5] Ephes. ii, 8. — [6] Exod. xxxiii, 19. — [7] Rom. ix, 16. — [8] Psal. lviii, 11.

nobis prænuntiatus est Christus ; sine cujus fide quisquam mortalium nec fuit, nec est, nec esse aliquando poterit justus? Si ergo jam justi a Christo eligerentur Apostoli, prius illum ipsi elegissent, ut justi eligi possent ; quia sine illo justi esse non possent. Sed non ita factum est, ipse quippe illis ait : « Non vos me elegistis, sed ego vos elegi[1]. » Unde dicit apostolus Joannes : « Non quod dilexerimus » Deum, sed quia ipse prior dilexit nos[2]. »

XIX. Quod cum ita sit, quid est homo utens in hac vita propria voluntate, antequam eligat et diligat Deum, nisi injustus et impius? Quid est, inquam, homo aberrans a Creatore creatura, nisi Creator ejus memor sit ejus[3], et eligat eum gratis, et diligat gratis? Quia ipse non potest eligere vel diligere, nisi prius electus dilectusque curetur, qui cæcitate eligenda non cernit, et languore diligenda fastidit. Sed forte quis dicat : Quomodo Deus prius eligit et diligit iniquos, ut justificet eos, cum scriptum sit : « Odisti, » Domine, omnes operantes iniquitatem[4]. » Quomodo putamus, nisi miro et ineffabili modo? et tamen etiam nos possumus cogitare, quod medicus bonus ægrotum et odit et diligit : odit enim, quia ægrotat ; diligit, ut ægritudinem pellat.

XX. Hæc propter charitatem dicta sint, sine qua in nobis non potest esse vera patientia ; quia in bonis charitas Dei est, quæ tolerat omnia, sicut in malis mundi cupiditas. Sed hæc charitas per Spiritum sanctum est in nobis, qui datus est nobis[5]. Unde a quo nobis est charitas, ab illo est patientia. Mundi autem cupiditas, quando patienter sustinet onera cujuslibet calamitatis, gloriatur de viribus propriæ voluntatis, tanquam de stupore morbi, non de robore sanitatis. Insana est ista gloriatio ; non est patien-

[1] Joan. xv, 16. — Id. iv, 10. — [3] Psal. viii, 5. — [4] Id. v, 7 — [5] Rom. v, 5.

tiæ, sed dementiæ. Voluntas ista tanto videtur patientior acerborum malorum, quanto est avidior temporalium bonorum, quia inanior æternorum.

XXI. Quod si eam exagitat et inflammat fallacibus visis et suasionibus immundis diabolicus spiritus et maligna conspiratione sociatus, efficit hominis voluntatem, vel errore dementem, vel appetitu cujuslibet mundanæ delectationis ardentem : quæ cum videtur intolerabilia mirabiliter sustinere, non tamen ideo etiam voluntas mala sine instigatione alterius immundi spiritus, sicut voluntas bona sine adjutorio sancti Spiritus non potest esse. Nam esse posse voluntatem malam etiam sine aliquo spiritu vel seducente vel incitante, in ipso diabolo satis ostenditur, qui per nullum alium diabolum, sed propria voluntate factus diabolus invenitur. Voluntas itaque mala sive cupiditate rapiatur, sive timore revocetur, sive lætitia diffundatur, sive tristitia contrahatur, atque in his omnibus perturbationibus animi quæcumque sunt aliis vel alio tempore graviora contemnat et perferat ; potest et sine alterius spiritus instinctu se ipsa seducere, et defectu a superioribus in inferiora lapsando, quanto jucundius æstimaverit quod adipisci appetit, vel amittere metuit, vel adeptum gaudet, vel amissum dolet, tanto tolerabilius pro eo ferre quod sibi minus est ad patiendum, quam illud ad fruendum. Quidquid enim illud est, ex creatura est, cujus nota voluptas est. Quodam modo enim familiari contactu atque connexu ad experiendam ejus suavitatem adjacet amanti creaturæ amata creatura.

XXII. Voluptas autem Creatoris, de qua scriptum est: « Et torrente voluptatis tuæ potabis eos[1], » longe alterius generis est : neque enim, sicut nos, creatura est. Nisi ergo amor ejus detur inde nobis, non est unde esse possit in no-

[1] Psal. xxxv, 9.

bis. Ac per hoc voluntas bona, qua diligitur Deus, in homine non potest esse, nisi in quo Deus operatur et velle[1]. Hæc igitur voluntas bona, id est, voluntas Deo fideliter subdita, voluntas sanctitate superni ardoris accensa, voluntas quæ diligit Deum et proximum propter Deum; sive amore, de quo respondet apostolus Petrus : « Domine, tu » scis, quia amo te[2]; » sive timore, de quo dicit apostolus Paulus : « In timore et tremore vestram ipsorum salutem » operamini[3]; » sive gaudio, de quo dicit : « Spe gauden- » tes, in tribulatione patientes[4], » sive tristitia, qualem se dicit magnam habuisse pro fratribus suis[5]; quæcumque amara et aspera sufferat, charitas Dei est[6], quæ omnia tolerat, quæ non diffunditur in cordibus nostris, nisi per Spiritum sanctum, qui datus est nobis[7]. Unde nequaquam dubitante pietate, sicut charitas sancte amantium, ita patientia pie tolerantium Dei donum est. Neque enim divina Scriptura fallit aut fallitur, quæ non solum in veteribus Libris habet hujus rei testimonia, cum Deo dicitur : « Pa- » tientia mea tu es[8]; » et, « Ab ipso est patientia mea[9] : » et ubi alius Propheta dicit, accipere nos Spiritum fortitudinis : verumetiam in apostolicis Litteris legitur : « Quia » vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis » in eum, sed ut etiam patiamini propter eum[10]. » Non ergo quasi de proprio faciat animum elatum quod sibi audit esse donatum.

XXIII. Si quis autem non habens charitatem, quæ pertinet ad unitatem spiritus et vinculum pacis[11], quo catholica Ecclesia congregata connectitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, car-

[1] Philip. II, 13. — [2] Joan. XXI, 15. — [3] Philip. II, 12. — [4] Rom. XII, 12. — [5] Id. IX, 2. — [6] I Cor. XIII, 7. — [7] Rom, V, 5. — [8] Psal. LXX, 5. — [9] Id. LXI, 6. — [10] Philip. I, 29. — [11] Ephes. IV, 3.

ceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennarum, et ignis æterni : nullo modo ista culpanda sunt, imo vero et hæc laudanda patientia est. Non enim dicere poterimus, melius ei fuisse ut Chistum negando nihil eorum pateretur, quæ passus est confitendo : sed existimandum est fortasse tolerabilius ei futurum judicium, quam si Christum negando cuncta illa vitaret : ut illud quod ait Apostolus : « Si tradidero corpus » meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil » mihi prodest[1] ; » nihil prodesse intelligatur ad regnum cœlorum obtinendum, non ad extremi judicii tolerabilius supplicium subeundum.

XXIV. Sed merito quæri potest, utrum et ista patientia donum Dei sit, an viribus tribuenda sit voluntatis humanæ, qua quisque ab Ecclesia separatus, non pro errore qui eum separavit, sed pro veritate sacramenti seu verbi quæ apud eum remansit, timore pœnarum æternarum pœnas patitur temporales. Cavendum est enim, ne forte, si Dei donum istam patientiam dixerimus, hi quibus inest, etiam ad regnum Dei pertinere credantur ; si autem illam donum Dei esse negaverimus, cogamur fateri, sine adjutorio et munere Dei in voluntate hominis esse posse aliquid boni. Neque enim hoc non est bonum, ut credat homo æterno supplicio se esse puniendum, si negaverit Christum, et pro ista fide qualecumque supplicium perferat et contemnat humanum.

XXV. Proinde sicut negandum non est hoc esse donum Dei, ita intelligendum est alia esse Dei dona filiorum illius Jerusalem, quæ sursum libera est mater nostra[2] ; hæc sunt enim quodam modo hæreditaria, in quibus sumus « Hæredes Dei, cohæredes autem Christi[3] :) » alia vero quæ possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus

[1] 1 Cor. XIII, 3. — [2] Galat. IV, 26. — [3] Rom. VIII, 17.

Judæi carnales et schismatici vel hæretici comparantur. Quamvis enim scriptum sit : « Ejice ancillam et filium ejus : » neque enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac[1] :» et Abrahæ dixerit Deus : « In Isaac vocabitur tibi semen[2] ; » quod sic est Apostolus interpretatus, ut diceret : « Id est, » non qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis de- » putantur in semine[3] ; » ut intelligeremus semen Abrahæ secundum Isaac propter Christum ad Dei filios pertinere, qui sunt corpus Christi et membra, id est, Ecclesia Dei una, vera, germana, catholica, tenens piam fidem ; non eam quæ per elationem vel timorem, sed eam quæ per dilectionem operatur[4] : tamen etiam filios concubinarum quando a filio suo Isaac dimisit Abraham, nonnulla eis largitus est munera, ne relinquerentur omni modo inanes, non ut tenerentur hæredes. Sic enim legimus : « Dedit au- » tem Abraham omnem censum suum Isaac filio suo, et » filiis concubinarum suarum dedit Abraham munera, et » dimisit eos ab Isaac filio suo[5]. » Si ergo filii sumus liberæ Jerusalem, alia dona exhæredatorum, alia intelligamus hæredum. « Hi enim hæredes sunt, quibus dicitur : Non » enim accepistis spiritum servitutis iterum in timorem, » sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo cla- » mamus : Abba, Pater[6]. »

XXVI. Clamemus ergo spiritu charitatis, et donec veniamus ad hæreditatem, in qua semper maneamus, liberali amore simus, non servili timore patientes. Clamemus, quandiu pauperes sumus, donec illa hæreditate ditemur. Magna quippe inde pignora accepimus, quod ad nos ditandos pauper factus est Christus, quo in supernas divitias exaltato, missus est qui sancta desideria nostris cordibus inspiraret Spiritus sanctus. Horum pauperum adhuc cre-

[1] Gal. IV, 30. — [2] Gen. XXI, 10. — [3] Rom. IX, 7, 8. — [4] Gal. V, 6. — [5] Gen. XXV, 6. — [6] Rom. VIII, 15.

dentium, nondum contemplantium ; adhuc sperantium, nondum tenentium ; adhuc desiderio suspirantium, nondum felicitate regnantium ; adhuc esurientium et sitientium, nondum satiatorum : horum ergo « Pauperum pa- » tientia non peribit in æternum[1] : » non quia et illic patientia erit, ubi quod toleretur non erit ; sed « Non pe- » ribit, » dictum est, quia infructuosa non erit. Fructum autem habebit æternum, ideo non peribit in æternum. Qui enim laborat inaniter, cum eum spes fefellerit, propter quam laborabat, merito dicit : Perdidi tantum laborem : quisquis vero ad sui laboris promissa pervenerit, gratulans dicit : Non perdidi laborem meum. Dicitur ergo labor non perisse, non quia manet perpetuus ; sed quia non est inaniter fusus. Sic et patientia pauperum Christi, sed ditandorum hæredum Christi, non peribit in æternum ; non quia et illic patienter ferre jubebimur, sed quia pro iis quæ hic patienter pertulimus, æterna beatitudine perfruemur. Non dabit finem sempiternæ felicitati, qui donat temporalem patientiam voluntati : quia utrumque munus donatæ donatum est charitati.

[1] Psal. IX, 19.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE SYMBOLO.

AD CATECHUMENOS

SERMO I.

I. Accipite, filii, regulam fidei, quod Symbolum dicitur. Et cum acceperitis, in corde scribite, et quotidie dicite apud vos : antequam dormiatis, antequam procedatis, vestro Symbolo vos munite. Symbolum nemo scribit ut legi possit : sed ad recensendum, ne forte deleat oblivio quod tradidit diligentia, sit vobis codex vestra memoria. Quod audituri estis, hoc credituri : et quod credideritis, hoc etiam lingua reddituri. Ait enim Apostolus : « Corde cre-» ditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem [1]. » Hoc est enim Symbolum, quod recensuri estis et reddituri. Ista verba quæ audistis, per divinas Scripturas sparsa sunt : sed inde collecta et ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret, ut omnis homo possit dicere, possit tenere quod credit. Numquid enim modo solummodo audistis, quia Deus omnipotens est? Sed incipitis eum habere Patrem, quando nati fueritis per Ecclesiam matrem.

[1] Rom. x, 10.

II. Inde ergo jam accepistis, meditati estis, et meditati tenuistis, ut dicatis : Credo in Deum patrem omnipotentem. Deus omnipotens est : et cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest ; et quod ait Apostolus, « Negare se ipsum non potest[1]. » Quam multa non potest, et omnipotens est : et ideo omnipotens est, quia ista non potest. Nam si mori posset, non esset omnipotens : si mentiri, si falli, si fallere, si inique agere, non esset omnipotens : quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus qui esset omnipotens. Prorsus omnipotens Pater noster peccare non potest. Facit quidquid vult ; ipsa est omnipotentia. Facit quidquid bene vult, quidquid juste vult : quidquid autem male fit, non vult. Nemo resistit omnipotenti, ut non quod vult faciat. Ipse fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, invisibilia et visibilia : invisibilia, sicut sunt in cœlis Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, Archangeli, Angeli, si bene vixerimus, cives nostri. Fecit in cœlo visibilia, solem, lunam, stellas. Suis animalibus terrestribus ornavit terram, implevit aërem volatilibus, terram ambulantibus et serpentibus, mare natantibus : omnia implevit suis creaturis propriis. Fecit et hominem ad imaginem et similitudinem suam in mente[2] : ibi est enim imago Dei ; ideo mens ipsa non potest comprehendi nec a se ipsa, ubi est imago Dei. Ad hoc facti sumus, ut creaturis cæteris dominemur : sed per peccatum in primo homine lapsi sumus, et in mortis hæreditatem omnes devenimus. Facti sumus humiles mortales, impleti sumus timoribus, erroribus : hoc merito peccati ; cum quo merito et reatu nascitur omnis homo. Ideo sicut vidistis hodie, sicut nostis, et parvuli exsufflantur et exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, ut possideret homines. Non ergo creatura Dei in in-

[1] 2 Tim. II, 13. — [2] Gen. I, 27.

fantibus exorcizatur : aut exsufflatur ; sed ille sub quo sunt omnes qui cum peccato nascuntur, est enim princeps peccatorum. Ac per hoc propter unum qui lapsus est et omnes misit in mortem, missus est unus sine peccato qui omnes in se credentes perducat ad vitam, liberans eos a peccato.

III. Ideo credimus et in Filium ejus, id est, Dei Patris omnipotentis, unicum, Dominum nostrum. Quando audis unicum Dei Filium, agnosce Deum. Non enim Filius Dei unicus posset esse non Deus. Quod est, hoc genuit ; etsi non est quem genuit. Si verus est autem Filius, hoc est quod Pater : si hoc non est quod Pater, non est verus Filius. Mortales et terrenas creaturas attendite : Quod est res quæque, hoc generat. Non generat homo bovem, non generat ovis canem, nec canis ovem. Quidquid est quod generat, id quod est generat. Tenete ergo fortiter, firmiter, fideliter, quia hoc genuit Deus Pater, quod est ipse omnipotens. Creaturæ istæ mortales per corruptionem generant. Numquid sic Deus generat? Mortalis natus id quod est generat, immortalis quod est generat : corruptibilis corruptibilem generat, incorruptibilis incorruptibilem ; corruptibilis corruptibiliter, incorruptibilis incorruptibiliter : usque adeo hoc quod est, ut unus unum, ideo unicum. Scitis quoniam cum vobis pronuntiarem Symbolum, sic dixi, et sic credere debetis : « Quia credimus in Deum » Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium » ejus unicum. » Jam quando unicum, crede omnipotentem : non enim Deus Pater facit quod vult, et Deus Filius non facit quod vult. Una voluntas est Patris et Filii, quia una natura. Nec enim voluntas Filii potest a Patris voluntate aliquantulum segregari. Deus et Deus, ambo unus Deus : omnipotens et omnipotens, ambo unus omnipotens.

IV. Non introducimus duos deos, quomodo quidam introducunt, et dicunt, Deus Pater et Deus Filius ; sed

major Deus Pater, minor Deus Filius. Ambo quid? Duo dii? Erubescis dicere, erubesce credere. Dominus Deus Pater dicis, et Dominus Deus Filius : et dicit ipse Filius, « Nemo potest duobus dominis servire[1]. » In familia ipsius sic erimus, ut, quomodo in domo magna ubi est paterfamilias et habet filium, dicamus et nos, Dominus major, Dominus minor? Aversamini talem cogitationem. Si vobis talia feceritis in corde, idola ponitis in anima una. Prorsus repellite. Prius credite, postea intelligite. Cui autem donat Deus, ut cum crediderit, cito intelligat : Dei donum est, non humana fragilitas. Tamen si nondum intelligitis, credite : Deus unus Pater, Deus Christus Filius Dei. Ambo quid? Unus Deus. Et quomodo ambo unus Deus dicitur? Quomodo? miraris? In Actibus Apostolorum, « Et erat, » inquit, credentium anima una et cor unum. » Multæ animæ erant, fides easdem unam fecerat. Tot millia animarum erant, amaverunt se, et multæ sunt una : amaverunt Deum in igne charitatis, et ex multitudine ad pulchritudinis unitatem venerunt. Si tam multas animas fecit animam unam charitas : qualis charitas est apud Deum, ubi nulla diversitas, sed integra æqualitas? Si in terris et in hominibus potuit esse tanta charitas, ut de tot animabus faceret unam animam : ubi semper inseparabilis fuit Pater a Filio, Filius a Patre, potuerunt ambo esse nisi Deus unus? Sed illæ animæ, et multæ animæ dici potuerunt, et anima una : Deus autem, ubi est ineffabilis et summa coujunctio, unus Deus dici potest, non dii duo.

V. Facit quod vult Pater, facit quod vult Filius. Nolite putare omnipotentem Patrem et non omnipotentem Filium : error est, delete hoc in vobis, non hæreat in memoria vestra, non bibatur in fide vestra, et si forte aliquis vestrum biberit, vomat. Omnipotens est Pater, omnipo-

[1] Matth. VI. 24.

tens Filius. Si omnipotens non genuit omnipotentem, non verum filium genuit. Quid enim dicimus, fratres, si Pater major minorem filium genuit? Quid enim dixi, genuit? Homo enim major generat filium minorem, verum est : sed quia senescit ille, crescit iste, et ad formam patris sui vel crescendo pervenit. Filius Dei si non crescit, quia nec potest Deus senescere; perfectus natus est. Perfectus quidem natus, si non crescit, et minor non remansit; æqualis est. Nam ut sciatis omnipotentem de omnipotente natum, ipsum audite qui Veritas est. De se quod dicit Veritas, hoc est verum. Quid ait Veritas? Quid ait Filius, qui est Veritas?« Quæcumquæ Pater facit, hæc et Filius similiter facit[1]. » Omnipotens est Filius, omnia faciendo quæ voluerit. Nam si facit aliqua Pater, quæ non facit Filius, falsum dixit Filius : « Quæcumque Pater facit, hæc et Filius » facit similiter. » Sed quia verum dixit Filius : « Credite » quæcumque Pater facit, hæc et Filius facit similiter : » et credidistis in Filium omnipotentem. Quod verbum etsi in Symbolo non dixistis, tamen hoc est quod expressistis, quando in unicum ipsum Deum credidistis. Habet aliquid Pater quod non habet Filius? Hoc Ariani hæretici blasphemi dicunt, non ego. Sed ego quid dico? Si habet aliquid Pater, quod non habet Filius, mentitur Filius, qui dicit : « Omnia quæ habet Pater, mea sunt[2]. » Multa et innumerabilia sunt testimonia quibus probetur, quia Filius verus Dei Patris est Filius, et Pater Deus verum genuit Filium Deum, et Pater et Filius unus est Deus.

VI. Sed iste Filius unicus Dei Patris omnipotentis videamus quid fecit propter nos, quid passus est propter nos. Natus de Spiritu sancto et virgine Maria. Ille Deus tantus æqualis Patri, natus de Spiritu sancto et virgine Maria humilis, unde sanaret superbos. Exaltavit se homo,

[1] Joan. v, 19. — [2] Id. xvi, 15.

et cecidit : humiliavit se Deus, et erexit. Humilitas Christi quid est? Manum Deus homini jacenti porrexit. Nos cecidimus, ille descendit : nos jacebamus, ille se inclinavit. Prendamus et surgamus, ut non in pœnam cadamus. Ergo inclinatio ipsius hæc est, « Natus est de Spiritu » sancto et virgine Maria. » Et ipsa nativitas humana, humilis et excelsa. Unde humilis? Quia homo natus est ex hominibus. Unde excelsa? Quia de virgine. Virgo concepit, virgo peperit, et post partum virgo permansit.

VII. Quid deinde? Passus sub Pontio Pilato. Præsidatum agebat, et judex erat ipse Pontius Pilatus, quando passus est Christus. Judicis nomine signata sunt tempora, quando passus est sub Pontio Pilato : quando passus est, crucifixus, mortuus, et sepultus. Quis? quid? pro quibus? Quis? Filius Dei unicus, Dominus noster. Quid? « Crucifixus, mortuus, et sepultus. » Pro quibus? Pro impiis et peccatoribus. Magna dignatio, magna gratia. « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit » mihi[1]? »

VIII. Natus est ante omnia tempora, natus ante omnia sæcula. Natus ante. Ante quid, ubi non est ante? Prorsus nolite cogitare aliquod tempus ante nativitatem Christi, qua natus est de Patre : de ipsa nativitate loquor, qua est Filius Dei omnipotentis unicus Dominus noster, de ipsa prius loquor. Nolite cogitare in hac nativitate initium temporis : nolite cogitare ullum spatium æternitatis, quando erat Pater et non erat Filius. Ex quo Pater, ex eo Filius. Et quid est, ex quo, ubi non est initium? Ergo semper Pater sine initio, semper Filius sine initio. Et quomodo, inquies, natus est, si non habet initium? De æterno coæternus. Nunquam fuit Pater et non erat Filius, et tamen Filius a Patre est genitus. Unde datur qualiscum-

[1] Psal. CXV, 12.

que similitudo? In rebus terrenis sumus, in creatura visibili sumus. Det mihi similitudinem terra : non dat. Det mihi aliquam similitudinem undarum elementum : non habet unde. Det mihi similitudinem aliquod animal : nec hoc potest. Animal quidem generat, et quod generat, et quod generatur : sed prior est pater, et postea nascitur filius. Inveniamus coævum, et credamus coæternum. Si potuerimus invenire patrem coævum filio suo, et filium coævum patri suo, credamus Deum Patrem coævum Filio suo, et Deum Filium coæternum Patri suo. In terra possumus invenire aliquem coævum, non possumus invenire aliquem coæternum. Intendamus coævum, et credamus coæternum. Intentos vos faciet forte aliquis et dicet : Quando potest inveniri pater coævus filio suo, aut filius coævus patri suo? Ut generet pater, antecedit ætate; ut nascatur filius, sequitur ætate : sed hic coævus pater filio, vel filius patri quomodo potest esse? Occurrat vobis ignis pater, splendor filius : ecce invenimus coævos. Ex quo ignis esse cœpit, continuo splendorem gignit : nec ignis ante splendorem, nec splendor post ignem. Et si interrogemus, quis quem generat, ignis splendorem, aut splendor ignem; continuo vobis occurrit sensu naturali, prudentia insita mentibus vestris, omnes clamatis : Ignis splendorem, non splendor ignem. Ecce pater incipiens, ecce filius simul, nec antecedens, nec sequens. Ecce ergo pater incipiens, ecce filius simul incipiens. Si ostendi vobis patrem incipientem, et filium simul incipientem; credite Patrem non incipientem, et cum illo Filium nec ipsum incipientem; illum æternum, illum coæternum. Si proficitis, intelligitis : date operam proficere. Nasci habetis, sed et crescere debetis : quia nemo incipit a perfecto. Dei Filio licuit nasci perfectum : quia natus est sine tempore, coæternus Patri, antecedens omnia, non ætate, sed æternitate. Iste ergo natus Patri

coæternus, de qua generatione dixit Propheta: « Genera-» tionem ejus quis enarrabit[1]? » natus de Patre sine tempore, natus est ex virgine in plenitudine temporis. Istam nativitatem antecesserant tempora. Opportunitate temporis, quando voluit, quando sciebat, tunc natus est: non enim nolens natus est. Nemo nostrum quia vult nascitur, et nemo nostrum quando vult moritur: ille quando voluit natus est, quando voluit mortuus est; quomodo voluit natus est de virgine, quomodo voluit mortuus est in cruce. Quidquid voluit fecit: quia sic erat homo, ut lateret Deus: susceptor Deus, susceptus homo, unus Christus Deus et homo.

IX. De cruce ipsius quid loquar? quid dicam? Extremum genus mortis elegit, ne aliquod genus mortis ejus Martyres formidarent. Doctrinam ostendit in homine, exemplum patientiæ demonstravit in cruce. Ibi opus, quia crucifixus: exemplum operis, crux; præmium operis, resurrectio. Ostendit nobis in cruce quid tolerare, ostendit in resurrectione quid sperare debeamus. Prorsus tanquam agonotheta summus dixit: Fac, et tolle: fac opus, et accipe præmium: certa in agone, et coronaberis. Quod est opus? Obedientia. Quod est præmium? Resurrectio sine morte. Quare addidi, sine morte? Quia surrexit Lazarus, et mortuus est: resurrexit Christus: « Jam non moritur, » mors ei ultra non dominabitur[2]. »

X. Scriptura dicit: « Patientiam Job audistis, et finem » Domini vidistis[3]. » Job quanta pertulerit, cum legitur et exhorretur, expavescitur, contremiscitur. Et quid recepit? Dupla quam perdiderat. Ergo ne homo propter præmia temporalia velit habere patientiam, et dicat sibi: Tolerem damnum, reddet mihi Deus filios duplos: Job omnia dupla recepit, et tot filios genuit, quot extulerat. Non ergo dupla sunt?

[1] Isai. LV, 8. — [2] Rom. VI, 9. — [3] Jacob. V, 11.

Prorsus dupla sunt, quia et illi vivebant. Ne quis dicat : Feram mala, et reddet mihi Deus quemadmodum reddidit Job : ut jam non sit patientia, sed avaritia. Nam si patientiam ille Sanctus non haberet, nec ea quæ contingebant fortiter sustineret ; testimonium quod ei Dominus reddidit, unde haberet? « Animadvertisti, ait Dominus, ad puerum meum » Job? Non enim est illi similis quisquam in terris, homo » sine querela, verus Dei cultor[1]. » Quale, fratres, testimonium hic sanctus vir a Domino meruit? Et tamen eum sua persuasione mala mulier decipere voluit, habens et hæc figuram illius serpentis, qui sicut in paradiso decepit[2] hominem primum factum a Deo, ita etiam nunc blasphemiam suggerendo putavit posse decipere placentem hominem Deo. Quanta passus est, fratres? Quis potest tanta pati in re sua, in domo sua, in filiis suis, in carne sua, in ipsa quæ remanserat tentatrice uxore sua? Sed etiam ipsam quæ remanserat, olim auferret, nisi adjutricem sibi servasset : quia primum hominem per Evam debellaverat, Evam servaverat. Quanta ergo passus est? Perdidit omnia quæ habebat, domus ipsius cecidit, utinam sola : oppressit et filios. Et quia in illo patientia magnum locum tenuerat, quid responderit ille, audite : « Dominus dedit, » Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est : » sit nomen Domini benedictum[3]. » Abstulit quæ dedit, numquid periit qui dedit? abstulit quæ dedit? Tanquam diceret : Abstulit omnia, auferat omnia, nudum dimittat me, et servet mihi se. Quid enim mihi deerit, si Deum habuero? Aut quid mihi alia prosunt, si Deum non habuero. Accessum est ad carnem, percussus est vulnere a capite usque ad pedes, sanie diffluebat, vermibus scatebat : et se in Deo suo immobilem demonstrabat atque figebat. Voluit illi mulier, diaboli adjutrix, non mariti consolatrix, persuadere blas-

[1] Job. I, 8. — [2] Gen. III, 5. — [3] Job, I, 21.

phemiam : « Quandiu, inquit, ista et ista pateris? Dic aliquod » verbum in Dominum, et morere[1]. » Ergo quia humiliatus erat, exaltandus erat. Et fecit hoc Dominus, ut ostenderet hominibus : nam ipse servo suo in cœlo majora servavit. Ergo humiliatum Job exaltavit, elatum diabolum humiliavit : « Quia hunc humiliat, et hunc exaltat[2] : » Ne quis autem, fratres charissimi, quando aliquas ejusmodi patitur tribulationes, hic expectet mercedem : verbi gratia, si damna aliqua patiatur, ne forte eo animo dicat : « Dominus dedit, » Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est : » sit nomen Domini benedictum, » ut duplum accipiat. Patientia Deum laudet, non avaritia. Si ea quæ perdidisti, dupla quæris recipere, et ideo Deum laudas ; de cupiditate laudas, non de charitate. Non tibi occurrat ipsius sancti viri exemplum : fallis te. Quando Job omnia tolerabat, dupla non sperabat. Et in prima ejus confessione quando damna pertulit et filios extulit, et in secunda cum jam tormenta vulnerum pateretur in carne, potest adverti quod dico. Prioris ejus confessionis hæc verba sunt : « Dominus » dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita fac- » tum est : sit nomen Domini benedictum[3]. » Poterat dicere : Dominus dedit, Dominus abstulit ; potest iterum dare qui abstulit, potest plura revocare quam tulit. Non hoc dixit, sed : « Sicut Domino placuit, inquit, ita factum » est : » quia ei placet, placeat mihi : quod placuit bono Domino, non displiceat subdito servo ; quod placuit medico, non displiceat ægroto. Aliam ipsius audi confessionem : « Locuta es, inquit uxori suæ, tanquam una ex insi- » pientibus mulieribus. Si bona percepimus de manu » Domini ; mala quare non sustinebimus[4] ? » Non addidit, quod si diceret, verum diceret : Potens est Dominus et meam carnem in pristinum revocare, et quod nobis abstu-

[1] Job, II, 9. — [2] Psal. LXXIV, 8. — [3] Job, I, 21. — [4] Id. II, 10.

lit multiplicare : ne ista spe illa tolerasse videretur. Ista non dixit, ista non speravit. Sed ut nos doceremur, non speranti Dominus præstitit, quo nos doceremur, quia Deus illi affuit : quia si et illa illi non redderet, occultam coronam ejus videre minime poteramus. Et ideo quid ait Scriptura divina, exhortando ad patientiam et spem futurorum, non mercedem præsentium? « Patientiam Job audistis, et » finem Domini vidistis[1]. » Quare patientiam Job, et non finem ipsius Job vidistis? Fauces aperires ad dupla : diceres, Deo gratias, sustineam, duplum recipio sicut Job. Patientiam Job, finem Domini. Patientiam Job novimus, et finem Domini novimus. Quem finem Domini? « Deus, » Deus meus, ut quid me dereliquisti[2]? » Verba sunt Domini pendentis in ligno. Quasi reliquit illum ad præsentem felicitatem, sed non eum reliquit ad æternam immortalitatem. Ibi est finis Domini. Tenent Judæi, insultant Judæi, ligant Judæi, spinis coronant, sputis dehonestant, flagellant, opprobriis obruunt, ligno suspendunt, lancea fodiunt, postremo sepeliunt : quasi relictus est. Sed quibus? Illis insultantibus. Ideo ergo habeto patientiam, ut resurgas et non moriaris, id est, nunquam moriaris, sicut Christus. Sic enim legimus : « Christus surgens ex mortuis, » jam non moritur[3]. »

XI. Ascendit in cœlum : credite. Sedet ad dexteram Patris : credite. Sedere, intelligite habitare : quomodo dicimus de quocumque homine : In illa patria sedit per tres annos[4]. Dicit illud et Scriptura, sedisse quemdam in civitate tantum tempus. Numquid sedit, et nunquam surrexit? Ideo hominum habitationes sedes dicuntur. Ubi habentur sedes, numquid semper sedetur? Non surgitur, non ambulatur, non jacetur? et tamen sedes vocantur. Sic ergo

[1] Jacob. v, 11. — [2] Psal. xxi, 2. — [3] Rom. vi. 9. — [4] 3 Reg. ii, 38. sec. LXX.

credite habitare Christum in dextera Dei Patris : ibi est. Nec dicat vobis cor vestrum : Quid agit? Nolite quærere, quod non licet invenire : ibi est, sufficit vobis. Beatus est, et a beatitudine, quæ dextera Patris vocatur, ipsius beatitudinis nomen est, dextera Patris. Nam si carnaliter acceperimus; quia sedet ad dexteram patris, ille erit ad sinistram. Numquid fas est ut sic illos componamus, Filium ad dexteram, Patrem ad sinistram? Ibi omnis dextera est, quia nulla ibi est miseria.

XII. Inde venturus judicare vivos et mortuos. Vivos, qui superfuerint : mortuos, qui præcesserint. Potest et sic intelligi : Vivos, justos : mortuos, injustos. Utrosque enim judicat, sua cuique retribuens. Justis dicturus est in judicio : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, » quod vobis paratum est ab initio mundi[1]. » Ad hoc vos parate, hæc sperate, propterea vivite, et sic vivite, propterea credite, propterea baptizamini, ut possit vobis dici : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod » vobis paratum est a constitutione mundi. » Sinistris quid? « Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis » ejus[2]. » Sic judicabuntur a Christo vivi et mortui. Dicta est prima sine tempore nativitas Christi, dicta est alia in plenitudine temporis de virgine nativitas Christi, dicta est passio Christi, dictum est judicium Christi. Totum dictum est, quod dicendum erat de Christo, Filio Dei unico, Domino nostro : sed nondum perfecta est Trinitas.

XIII. Sequitur in Symbolo : Et in Spiritum sanctum. Ista Trinitas unus Deus, una natura, una substantia, una potentia, summa æqualitas, nulla divisio, nulla diversitas, perpetua charitas. Vultis nosse quod Deus est Spiritus sanctus? Baptizamini, et templum ejus eritis. Apostolus dicit : « Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti,

[1] Matth. xxv, 34. — [2] Ibid. 41.

» quem habetis a Deo [1]? » Templum habet Deus : nam et Salomon, rex et propheta, jussus est ædificare templum Deo. Si ædificaret templum soli, aut lunæ, aut stellæ alicui, aut alicui Angelo, nonne damnaret illum Deus? Quia ergo templum ædificavit Deo, ostendit se colere Deum. Et unde ædificavit? De lignis et lapidibus, quia dignatus est Deus facere sibi per servum suum domum in terra : ubi rogaretur, ubi memoraretur. Unde dicit beatus Stephanus : « Salomon ædificavit illi domum, sed Altissimus non in » manufactis templis inhabitat [2]. » Si ergo corpora nostra templum est Spiritus sancti, qualis Deus est qui ædificavit templum Spiritui sancto? Sed Deus. Si enim templum Spiritus sancti sunt corpora nostra, ille Spiritui sancto ædificavit templum, qui et corpora nostra. Attendite Apostolum dicentem : « Deus temperavit corpus, ei cui » deerat majorem honorem dans [3] : » cum loqueretur de diversis membris, ut non essent scissuræ in corpore. Deus creavit corpus nostrum. Herbam Deus creavit, corpus nostrum quis creavit? Unde probamus, quia herbam Deus creat? Qui vestit, ipse creat. Evangelium lege ; « Si ergo » fœnum agri, ait, quod hodie est, et cras in clibanum » mittitur, Deus sic vestit [4]. » Ille ergo creat, qui vestit. Et Apostolus : « Stulte, quod seminas non vivificatur, nisi » moriatur : et quod seminas, non corpus quod futurum » est seminas, sed nudum granum, ut forte tritici, aut » alicujus cæterorum ; Deus autem illi dat corpus quomodo » voluerit, et unicuique seminum proprium corpus [5]. » Si ergo Deus corpora nostra ædificat, si Deus membra nostra ædificat, et corpora nostra templum sunt Spiritus sancti : nolite dubitare Deum esse Spiritum sanctum. Et nolite

[1] 1 Cor. VI, 19. — [2] Act. VII, 47-48. — [3] 1 Cor. XII, 24. — [4] Matth. VI, 30. — [5] 2 Cor. XV, 36-38.

addere quasi tertium Deum : quia Pater et Filius et Spiritus sanctus unus est Deus. Sic credite.

XIV. Sequitur post Trinitatis commendationem, sanctam Ecclesiam. Demonstratus est Deus et templum ipsius. « Templum enim Dei sanctum est, ait Apostolus, quod » estis vos [1]. » Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes hæreses pugnans : pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa : ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portæ inferorum non vincent eam.

XV. Remissionem peccatorum. Habetis Symbolum perfecte in vobis, quando baptizamini. Nemo dicat : Illud feci, forte non mihi dimittitur. Quid fecisti? quantum fecisti? Dic immane aliquid quod commisisti, grave, horrendum, quod etiam cogitare horres : quidquid vis feceris, numquid Christum occidisti? Non est isto facto aliquid pejus, quia et Christo nihil est melius. Quantum nefas est occidere Christum? Judæi tamen eum occiderunt, et multi in eum postea crediderunt, et biberunt ejus sanguinem : dimissum est illis peccatum quod commiserunt. Cum baptizati fueritis, tenete vitam bonam in præceptis Dei, ut baptismum custodiatis usque in finem. Non vobis dico, quia sine peccato hic vivetis : sed sunt venialia, sine quibus vita ista non est. Propter omnia peccata baptismus inventus est : propter levia, sine quibus esse non possumus, Oratio inventa. Quid habet Oratio? « Dimitte nobis debita » nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris [2]. » Semel abluimur baptismate, quotidie abluimur Oratione. Sed nolite illa committere, pro quibus necesse est ut a Christi corpore separemini : quod absit a vobis. Illi enim quos videtis agere pœnitentiam, scelera commiserunt, aut

[1] Cor. III, 17. — [2] Matth. VI, 12.

adulteria, aut aliqua facta immania : inde agunt pœnitentiam. Nam si levia peccata ipsorum essent, ad hæc quotidiana Oratio delenda sufficeret.

XVI. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia, in baptismate, in Oratione, in humilitate majore pœnitentiæ : tamen Deus non dimittit peccata, nisi baptizatis. Ipsa peccata quæ primum dimittit, non nisi baptizatis dimittit. Quando? Quando baptizantur. Peccata quæ postea orantibus dimittuntur, et pœnitentibus, quibus dimittit, baptizatis dimittit. Nam quomodo dicunt : « Pater noster, » qui nondum nati sunt? Catechumeni quandiu sunt, super illos sunt omnia peccata eorum. Si catechumeni, quanto magis pagani? quanto magis hæretici? Sed hæreticis baptismum non mutamus. Quare? Quia sic habent baptismum, quomodo desertor habet characterem : ita et isti habent baptismum; habent, sed unde damnentur, non unde coronentur. Et tamen si desertor ipse correctus incipiat militare, numquid audet quisquam ei characterem mutare?

XVII. Credimus etiam resurrectionem carnis, quæ præcessit in Christo : ut hoc etiam speret corpus, quod præcessit in capite. Caput Ecclesiæ Christus, Ecclesia corpus Christi[1]. Caput nostrum surrexit, ascendit in cœlum : ubi caput, illic et membra. « Quomodo carnis resurrectio» nem? » Ne forte putet aliquis quomodo Lazari, ut scias non sic esse, additum est : In vitam æternam. Regeneret vos Deus, conservet et tueatur vos Deus, in se, qui est ipsa vita æterna, perducat vos Deus. Amen.

[1] Ephes. v, 23.

DE SYMBOLO

AD CATECHUMENOS

SERMO II[1].

I. Sacramentorum rationem, sive transactæ noctis, sive præsentis sancti Symboli exponendam suscepimus Sanctitati Vestræ, donante illo, « Qui dat omnibus affluenter, et » non improperat[2]. Dives est enim in omnibus qui invocant » illum[3]. » Ipse quippe potest adjuvare intentionem nostram, acceptabilem pro nobis faciens orationem vestram. Accipite itaque vos qui fide desideratis verbum Dei, tanquam competentem cibum, ex quo vobis Dominus operetur incrementum. Nondum quidem adhuc per sacrum baptismum renati estis, sed per crucis signum in utero sanctæ matris Ecclesiæ jam concepti estis. Agat itaque hæc mater congruis alimentis prius pascere quos portat, ut post partum lætetur se tales suscepisse quos spiritaliter nutriat. Quid est, dilectissimi, quod in vobis celebratum est? Quid est quod hac nocte circa vos actum est, quod præteritis noctibus actum non est? ut ex locis secretis singuli produceremini in conspectu totius Ecclesiæ, ibique cervice humiliata, quæ male fuerat antea exaltata, in

[1] Tres sequentes de Symbolo Sermones, Augustinum, cui hactenus ascripti in ante editis fuerunt, haud quaquam repræsentant, oratorem soli genere dicendi, eruditione et ingenio multum inferiorem. — [2] Jacob. I, 5. — [3] Rom. X, 12.

humilitate pedum cilicio substrato in vobis celebraretur examen, atque ex vobis extirparetur diabolus superbus, dum super vos invocatus est humilis altissimus Christus. Omnes itaque humiles eratis, humiliterque petebatis, orando, psallendo atque dicendo : « Proba me, Domine, et » scito cor meum[1]. » Probavit, examinavit, corda servorum suorum suo timore tetigit, diabolum sua virtute fugavit, atque ab ejus dominio suam familiam liberavit. Non aliter hic actus est pauper, aliter dives, aliter dominus, aliter servus : « Quia unus est omnibus introitus ad vi- » tam[2]. » et si sic ad hanc fragilem atque caducam, quanto magis ad illam immortalem atque sempiternam?

II. Purgata itaque familia Redemptoris, posteaquam cantavit canticum salutis, accepit Symboli remedium contra serpentis venenum : ut si quando voluerit adversarius diabolus denuo insidiari, noverit redemptus cum Symboli sacramento et crucis vexillo ei debere occurri : ut talibus armis indutus facile vincat Christianus, de cujus oppressione male antea triumphaverat nequissimus diabolus. Ex qua re nobis factus est adversarius diabolus, nisi ex hac, quia videt liberos quos tenebat ante captivos, quia videt sanos quos suis jaculis prostraverat vulneratos, quia videt vestiri denuo immortalitate quos nudaverat propinando iniquitatem ; quia « Muscipulæ ejus comminutæ sunt ; et » nos eruti sumus, adjutorium nostrum in nomine Do- » mini[3]? » Si adjutorium nostrum in nomine ejus est, renuntiemus diabolo, pompis et angelis ejus Hoc audistis, hoc et vos professi estis, renuntiare vos diabolo, pompis et angelis ejus. Videte, dilectissimi, quia hanc professionem vestram in curiam profertis angelicam : nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non a quolibet homine, sed a superiore cœlitus potestate. Optimi jam tyrones Dei,

[1] Psal. CXXXVIII, 23. — [2] Sap. VII, 6. — [3] Psal. CXXIII, 8.

fortes milites Christi, dum arma sacramentorum suscipitis, pugnam adversus diabolum indicitis : dum ejus operibus renuntiatis, vehementius in vos ejus furias provocatis. Sed non metuat miles Christi : induemini enim ipsum Christum, ut per eum velociter superetis adversarium diabolum. Quibus armis pugnat et ille? Illecebrosis et subdolis. Duo sunt genera armorum ejus valde fortia, contra quæ vigilanter ac fortiter stare debet omnis miles Christi, qui triumphare cupit et superare virtutem diaboli. Quæ sunt ista duo genera armorum? Voluptas et timor. Alios enim voluptate capit, alios timore frangit. Confirmetur et nostra acies, proferantur arma spiritalia. Contra timorem diaboli adsit timor Domini castus, permanens in sæculum sæculi[1]. Contra voluptatem turpissimæ delectationis, non desit fides orationis. Et quid metuat Christianus, quando admonetur sic orare, sic præsumere, sic fidere, ut dicat: « Dominus mihi adjutor » est, et ego despiciam inimicos meos[2]? » Plures tamen noveritis, dilectissimi, capere adversarium per voluptatem quam per timorem. Nam quare quotidie muscipulam spectaculorum, insaniam studiorum ac turpium voluptatum proponit, nisi ut his delectationibus capiat quos amiserat, ac lætetur denuo se invenisse quos perdiderat?

III. Quid nobis ire per multa? Breviter admonendi estis quid spernere, et quid diligere debeatis. Fugite, dilectissimi, spectacula, fugite caveas turpissimas diaboli, ne vos vincula teneant maligni. Sed si oblectandus est animus, et spectare delectat; exhibet vobis sancta mater Ecclesia veneranda ac salubria spectacula, quæ et mentes vestras oblectent sua delectatione, et in vobis non corrumpant, sed custodiant fidem. Amator est quispiam circi? Quid delectat in circo? Aurigas videre certantes, populos in-

[1] Psal. xviii, 10. — [2] Ibid. cvii, 7.

sana furia anhelantes, quemlibet celerem præcedentem, adversarii sui equum frangentem. Ista est omnis delectatio, clamare, quia vicit quem diabolus vicit : exultare et insultare, quod adversa pars perdiderit equum, cum is qui tali spectaculo delectatur, vanum perdiderit animum. Vide contra nostra sancta, sana, suavissima spectacula. Intuere, in libro Actum Apostolorum, claudum ex utero matris nunquam ambulantem [1], quem Petrus fecit currentem ; vide subito sanum, quem antea intuebaris infirmum : et si est in te sanitas mentis, si in te fulget ratio æquitatis ac delectatio salutis, vide quid debeas expectare, vide ubi debeas exclamare ; illic ubi equi sani franguntur, an hic ubi homines fracti salvuntur? Sed si te pompa illa, figura ea equorum, composito curruum, ornatus et aurigæ superstantis, equos regentis, vincere cupientis : si hæc te, ut dixi, pompa delectat : nec hanc tibi denegavit, qui pompis diaboli renuntiare præcepit. Habemus et nos spiritalem nostrum aurigam sanctum prophetam Eliam, qui quadrigæ igneæ superimpositus [2], tantum cucurrit, ut metas prenderet cœli. Et si adversarios, quos et vera virtus vicit, et quos ille volando transiit, atque ex quorum victoria palmam supernæ celsitudinis accepit, videre desideras : « Currus Pharaonis et omnem virtutem ejus projecit in » mare [3]. »

IV. Alius fortassis theatri amator admonendus sit, quid fugiat, et quo delectetur : ac sic voluntatem spectandi non perdat, sed mutet. In theatris labes morum, discere turpia, audire inhonesta, videre perniciosa. Sed adjuvante Domino ea ex cordibus vestris firmiter repellamus. Singula singulis comparemus. Illic intuentur spectatores propositum nescio quem confictum deum Jovem, et adulterantem, et tonantem : hic respicimus verum Deum Christum,

[1] Act. III, 8. — [2] 4 Reg. II, 11. — [3] Exod. XV, 4.

castitatem docentem, immunditiam destruentem, salubria prædicantem. Illic fingitur quod idem Jovis Junonem habeat sororem et conjugem : hic prædicamus sanctam Mariam matrem simul et virginem. Illic stupor ingeritur visui, ex usu hominem in fune ambulantem : hic magnum miraculum, Petrum mare pedibus transeuntem[1]. Illic per mimicam turpitudinem castitas violatur : hic per castam Susannam castumque Joseph libido comprimitur, mors contemnitur, Deus amatur, castitas exaltatur. Chorus illic et cantio Pantomimi illicit auditum, sed expugnat sanum affectum : et quid tale nostro cantico comparandum sit, in quo dicit qui amat et cantat, « Narraverunt mihi pec- » catores delectationes suas, sed non ita ut lex tua, Do- » mine, omnia mandata tua veritas[2] ? » Nam illic universa fingit vanitas. Scandalistarum quis illic forte peritiam admiretur, videre parvulos in aëra ludentes, diversas historias exhibentes. Sed videte nostrorum lusus infantum. In utero Rebeccæ duo certant infantes[3] : procedente majore, minoris manu emissa ex utero, planta majoris apprehensa est. In quorum certamine magni sacramenti figura monstrata est, ut minor supplantaret majorem, eique postmodum primatum atque benedictionem auferret. In quibus parvulis quasi ludentibus, et sacramentum, ut dixi, magnum exhibentibus, et reprobi in Esaü demonstrantur Judæi, et prædestinati in Jacob apparent Christiani. Ille enim Jacob unus parvulus sic garriens, multos in se prædestinatos etiam parvulos demonstrabat infantes, qui ex utero matris suscipiuntur manibus fidelium, nec eos sic excutiunt, ut in aëre pendeant, sed ut renati in cœlo vivant. His igitur oblectamentis mens delectetur, pascatur anima christiana : hanc sobrietatem retinens mentis, fugiat ebrietatem diaboli.

[1] Matth. xiv, 9. — [2] Psal, cxviii, 85-86. — [3] Gen. xxv, 22.

V. Nec amphitcatri certamina seducant aut pertrahant Christianum : quo quidem tanto avidius curritur, quanto tardius exhibetur. Sed etiam ibi quid non periculosum ingeritur aspectibus, quid non cruentum? ubi, sicut ait beatissimus Cyprianus, voluntas noxia ad feras homines nullo crimine damnat[1]. Non ergo vos, dilectissimi, illud spectaculum crudele invitet intueri, novem ursis duos altercantes venatores : sed delectet videre unum nostrum Danielem orando superantem septem leones. Discerne spiritalis amator certamina : vide duos noxios voluntate, vide unum innocentem ac plenum fide. Vide illos pro præmio terreno suas animas bestiis obtulisse : vide istum in oratione clamantem : « Ne tradideris bestiis animas confitentes « tibi[2]. » In illo spectaculo contristatur editor, si venator evadat illæsus, qui ei plures bestias interemit : in isto nostro sine ferro pugnatur, nec Daniel læditur, nec fera occiditur ; et sic vincitur, ut rex miretur atque mutetur, et populi pertimescant, et inimici dispereant. Admirabile spectaculum nostrum, plane mirabile, in quo Deus adjuvat, fides vires impetrat, innocentia pugnat, sanctitas vincit, præmium consequitur tale, quod et ille qui vicerit accipiet, et qui donaverit nihil amittet. Ista spiritalia Munera[3] concupiscite, ad hæc intuenda et cum omni securitate spectanda alacriter ad Ecclesiam convenite, ab omni cupiditate carnali propositum cordis revocate, omnem sollicitudinem vestram Deo gubernandam committite : ut adversarius revereatur, nihil in vobis inveniens suum, vosque illum repudiantes, ejusque pompis renuntiantes, posteaquam ab ejus insidiis vestra fuerit eruta libertas, ne vos inveniat vacuos ille nefarius, quem novimus etiam non suos tenere cupientem.

[1] Cypr. in Epist. ad Donatum. — [2] Psal. LXVIII, 19 — [3] Munera, *id est*, spectacula.

VI. Fideliter credite in Deum Patrem omnipotentem. Omnipotentem Deum credimus, qui omnia faciens factus non est : et ideo omnipotens est, quia de nihilo fecit quæcumque fecit. Non enim eum aliqua materies adjuvit, ex qua demonstraret artis suæ potentiam : sed ex nihilo, ut dixi, cuncta creavit. Hoc est enim esse omnipotentem, ut non solum fabrica ipsa, sed etiam materies ab illo inveniatur esse, qui non habuit initium ut esset; et is qui sempiternus est, crearet, non id quod ipse esset, sed ut ab illo essent jam accepisse. Omne enim quod est, ab illo est : ipse autem a se ipso est, qui non ab aliquo factus est. Fecit ergo facta non factus, creavit creaturam non creatus : qui etiam ipsi creaturæ convenientibus gradibus per diversas ordinationes constituit potestates. Potest quippe secundum datam potestatem quilibet Angelus vel homo dici potens : sed numquid potest dici omnipotens? Potest dici rex vel imperator, quod multa quæ velit possit : non tamen eum qui sanum sapit, audebit dicere omnipotentem ; nam si voluerit eum adulando ita laudare, incipit et illum et se ipsum fallendo decipere. Quomodo enim audebit dicere omnipotentem, quem videt multum velle vivere et vitam succedente morte finire? Si omnipotens est non moriatur, a morte excludatur. Si autem ei mors terminum dabit, omnipotentem eum non fuisse ipsa mors demonstrabit. Non ergo quispiam audebit quamlibet creaturam sive cœlestem sive terrestrem discere omnipotentem, nisi solam Trinitatem, Patrem scilicet et Filium et Spiritum sanctum.

VII. Non enim, cum dicimus nos credere in Deum Patrem omnipotentem, sicut hæretici Ariani, negamus Filium omnipotentem, aut Spiritum sanctum negamus omnipotentem. Si Filium negaveris omnipotentem, negabis et Patrem omnipotentem. Sed major est, inquiunt,

Pater, minor est Filius. Hoc in hominibus, hoc in omnibus, et tu in omnibus perturbaris. Divinam naturam considera, Deum attende, sempiternum cogita : nam vane conturbaris. Si sempiternus est Pater, sempiternus est utique et Filius. Si enim fuit Filius quando non fuit Filius, fuit et Pater quando non fuit Pater : quod si fuit aliquando Pater non Pater, non fuit omnipotens ; minus enim habuit in eo quod postea effectus est Pater. Si das initium Filio, das initium et Patri, Pater enim a Filio appellatus est Pater. Si autem semper fuit Pater, semper fuit et Filius. Et si Deus est Pater, Deus est et Filius : non enim aliud potuit procedere de Deo quam Deus. Quod si Deus est Pater, Deus est et Filius ; et si sempiternus est Pater, sempiternus est Filius : quem non præcessit ætate nec dignitate, non eum minuit æqualitate. Apostolum audi quid de Deo Filio dicat : « Cum in forma Dei esset, » inquit, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo [1]. » Non rapuit, quia naturaliter habuit. Omnipotentia itaque Patris in Filio, omnipotentia Filii in Patre : quia neque aliquando Pater sine Filio, neque aliquando Filius sine Patre. Divinam illam nativitatem qua Filius processit ex Patre, qua natus est Deus de Deo, sine initio, sine tempore, sine matre, sine aliqua fragilitate, sine ulla sui diminutione, non possumus explicare : « Nativitatem autem ejus, » ait Propheta, quis enarrabit [2] ? » Et revera quis comprehendere vel dicere potest quomodo natus sit, qui semper est in Patre, et nunquam recedit a Patre? Digne, ut dixi, non possumus enarrare : sed debemus corda nostra ipsi Filio præparare ; ut illuminando et per fidem gubernando perducat nos ad speciem veritatis suæ, ne remaneamus in tenebris infidelitatis nostræ, ne aliud æstimando de Filio quam quod est Pater, ipse Filius non

[1] Philip. II, 6. — [2] Isai. LIII, 8.

docendo, sed increpando nos admoneat sicut Philippum, dicens : « Philippe, qui vidit me, vidit et Patrem. An non » agnoscis, quia ego in Patre et Pater in me est [1]? » Sicut ergo Deus de Deo natus est, et lux de lumine, et dies ex die : ita et Omnipotens ex omnipotente. In ista enim mortali nostra generatione qui est pater, aliquando non fuit pater; et qui est filius, non semper est filius : quia et ipse filius cum accessu temporis patrem amiserit, conjugem acceperit, prolemque susceperit, non erit filius, sed ipse vocabitur pater; et quilibet pater antequam suscipiat filium, non vocabitur pater. Accedit ergo aliquid tempore, quod præcedat tempore. Non ergo æstimemus hoc in illa Divinitatis esse substantia, in illa generatione sempiterna. Non enim illic deficiendo moritur Pater, ut Filius crescendo perveniat ad Patris dignitatem; aut sunt ibi tempora, quia per ipsum facta sunt tempora.

VIII. In quo autem tu, hæretice, audes dicere Filium minorem, quem nos confitemur æqualem? In ætate? Non ibi sunt tempora. In Divinitate? Deus est Pater, Deus est et Filius. In opere? Omnia per Filium facta sunt [2]. Dicit quidem Scriptura, quod Deus fecerit mundum, sicut scriptum est in libro Geneseos : « In princi- » pio fecit Deum cœlum et terram [3]; » sed nos audientes Deum Patrem, cognoscimus Filium et Spiritum sanctum. Tu forsitan dicis : Deus Pater fecit mundum. Sed audi quid Joannes evangelista dicat, « In principio erat Ver- » bum, et Verbum erat apud Deum : et Deus erat Ver- » bum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum » est nihil [4]. » Ecce, sine Filio dicit nihil esse factum : quoniam « Omnia per ipsum facta sunt. » Si sine Filio factum est nihil, quid fecit Pater quod non fecit Filius,

[1] Joan. XIV, 2 et 9. — [2] Id. I, 3. — [3] Gen. I, 1. — [4] Joan. I, 1-3.

de quo dicit Evangelista, quod sine Filio factum est nihil? Si autem, sicut vera fides catholica habet, in Filio operante constituas Patrem, et in Patre operante constituas Filium, quoniam Filius in Patre est et Pater in Filio, omnipotens invenietur Filius, si in ipso omnipotens est Pater : si autem non est omnipotens Filius, ut prædicat hæreticus Arianus, non est in illo omnipotens Pater, falsumque erit secundum ipsos quod ipse Filius ait : « Ego in Patre, et Pater in me est [1]. » Absit autem ut falsum sit quod Veritas dicit : confundatur Arianus, qui veritati contradicit.

IX. Demonstremus tamen ex Scripturis dictum Filium omnipotentem sicut et Patrem, ut non solum ratio vera, sed etiam divina testimonia hæreticorum frontem percutiant impudentem. Dictus est Pater omnipotens, Propheta dicente : « Hæc dicit Dominus omnipotens. » Dictus est et Filius omnipotens, Joanne apostolo in Apocalypsi dicente : « Ab Jesu Christo Domino nostro, qui est, et » qui fuit, et qui venturus est omnipotens [2]. » Dictus est et Spiritus sanctus omnipotens, Salomone prophetante: « Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et is qui » continet omnia, scientiam habet [3]. » Annon est omnipotens qui continet omnia? Dicit enim Scriptura quod Deus judex sit, dicente Apostolo : « Omnes astabimus » ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum » ea quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum [4]. » Sed nos quando audimus Deum judicem, totam intelligimus Trinitatem. Tu autem, hæretice, dic quis sit iste Deus Judex, Pater an Filius? Si dixeris : Pater est, negas Filium judicem ; quem in Symbolo etiam tu confiteris venturum vivos mortuosque judicaturum. Contradicis etiam Evangelio dicenti : « Cum Filius hominis venerit

[1] Joan. XIV, 10. — [2] Apoc. I, 5-8. — [3] Sap. I, 7. — [4] 2 Cor. V, 10.

» in claritate sua, congregabuntur ante eum omnes gen-» tes; et separabit eos ab invicem, sicut separat pastor » oves ab hœdis. » In quo loco ab Evangelista expressius judex demonstratus est Filius, ut etiam ejusdem judicis sententia panderetur, dicentis : « Ibunt impii in com-» bustionem æternam, justi autem in vitam æternam [1]. » Quod si nolens obsistere tantæ auctoritati dixeris Filium judicem, Patrem ergo negabis judicem? non, inquis, nego Patrem judicem. Quomodo non negas? Quia Pater, inquis, potestatem dedit, Filius accepit. Video quidem, hæretice, quo strabis oculis intendas, quo perversæ mentis aciem intentionis dirigas. Recitaturus enim mihi es ex Evangelio et dicturus : « Pater non judicat quemquam, sed omne ju-» dicium dedit Filio [2]. » In eo, inquis, quod Pater dedit, Filius accepit, major est utique qui dat, quam qui accipit : major est Pater, minor est Filius. Non ex hac sententia glorietur tua vanitas : quoniam ex ipsa te nunc divina convincit auctoritas. « Pater, inquis, non judicat quemquam, sed » omne judicium dedit Filio. » Cognoscimus : novit quippe sana fides quomodo hoc intelligat. Homo enim ille susceptus, qui etiam ipse appellatus est Dei Filius, accepit potestatem, sed dante Patre et Filio : quoniam Filius in Patre est, et Pater in Filio. Cæterum si tu, hæretice, secundum illam perversam vestram doctrinam illi hoc volueris assignare Divinitati, qua Filius æqualis est Patri, quæro abs te diligentius, et ut mihi respondeas celeriter, insistam, quis sit ille qui in libro Deuteronomii Moysi dicebat : « In die judicii reddam illis [3]. » Non potes dicere : Pater est ; quoniam secundum Evangelii sententiam a te prolatam, « Pater non judicat quemquam. » Ergo Filius est qui dicebat : « In die judicii reddam illis. » Filius est? Responde, quid dubitas? Filius hoc dixit,

[1] Matth. xxv, 31-36. — [2] Joan. v, 22. — [3] Deut. xxxii, 35.

annon? Non est quod dicas nisi Filium dixisse : « In die » judicii reddam illis : quoniam Pater non judicat quem- » quam. » Sed vide sequentia libri hujus, quemadmodum te provocet, quemadmodum convincat. Cum enim dixisset : « In die judicii reddam illis ; » post paululum secutus adjunxit : « Videte, videte, inquit, quoniam ego sum » Deus ,et non est alius præter me [1]. » Quid agis, Ariane? Non est qua exeas. Dic si audes, Filium solum hoc dixisse, et negabis Patrem, nec Deum esse, nec judicem. Depone vel nunc convictus animositatem, audi veritatem, intellige Deum judicem Trinitatem. Audi quod et Spiritus sanctus judex sit. Ipse Dominus in Evangelio ait : « Cum » venerit Paracletus, ipse arguet mundum de peccato, » de justitia, et de judicio [2]. » Quid quæris amplius? Item demonstrat Scriptura divina quod simul habitet Pater et Filius et Spiritus sanctus in homine, tanquam in templo suo. In Evangelio Filius : « Si quis me, inquit, » diligit, diligetur a Patre meo ; et veniemus ad eum » ego et Pater, et mansionem apud illum faciemus [3]. » Ecce Pater et Filius : quid Spiritus sanctus? Apostolum audi : « Nescitis, inquit, quia templum Dei estis ; et Spi- » ritus Dei habitat in vobis [4]. » Item demonstratur quod simul deserat impios Pater et Filius et Spiritus sanctus. Salomon propheta : « Perversæ, inquit, cogitationes se- » parant a Deo [5]. » Ecce Deus Pater deserens perversas cogitationes. Quid Deus Filius? Sequitur : « Quoniam in » malevolam animam non introibit sapientia. » Christus est enim Dei virtus et Dei sapientia [6]. Ecce et Filius deserit malevolam animam, in qua sunt perversæ cogitationes, quas deseruit Pater. Restat de Spiritu sancto. Audi post paululum quid sequatur : « Sanctus, inquit, Spiritus

[1] Deut. xxxii, 39. — Joan. xvi, 8. — [3] Id. xiv, 23, — 4 1 Cor. iii, 16, — [5] Sap. i, 3. — [6] 1 Cor. i, 24.

» disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationi-» bus quæ sunt sine intellectu [1]. » Audi sine intellectu deserere hominem Spiritum sanctum. Quando ista idem ipse Spiritus sanctus per Prophetam dicebat, vos prævidebat. Ecce jam illa inseparabilis Trinitas testimoniis divinarum Scripturarum demonstratur quod simul habitet, simul regnet, simul possideat, simul deserat : quam vos Ariani separando et per diversos gradus Filio et Spiritui sancto injurias irrogando, non in vobis habitare sinitis : quoniam et Deus Pater aufert se a cogitationibus perversis quæ sunt in vobis : et in malevolam animam non introibit sapientia, quia per vestræ animæ malitiam sicut Filium a Patre, ita gregem separatis a summo pastore : et Spiritus sanctus effugiet fictum, id est, fictionem perversæ vestræ doctrinæ, in qua demonstratum est, nec Patrem, nec Filium, neque manere Spiritum sanctum.

X. Quoniam igitur de unitate agitur Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti, quam unitatem non audemus dicere tres deos, nec tres omnipotentes, nec tres invisibiles: nec tres immortales, sed unum Deum, de quo dicit Apostolus : « Immortali, invisibili, incorruptibili soli Deo ho-» nor et gloria [1] : » non ergo nobis ipsis fingamus Patris et Filii et Spiritus sancti diversas dignitates, separabiles et inæquales ætates, ampliores et infirmas potestates : ne quod ipse Dominus Salvator noster virtute ac majestate sua idola eradicavit et templa, rursus in cordibus Christianorum diabolus fabricet idola. Fides itaque catholica hæc est, Omnipotentem, immortalem, atque invisibilem credere Deum Patrem : omnipotentem, immortalem atque invisibilem credere Deum Filium, secundum divinam nativitatem ; visibilem autem, mortalem, minoremque Angelis factum secundum susceptam humanitatem :

[1] Sap. I, 5.

omnipotentem, immortalem atque invisibilem credere Spiritum sanctum secundum æqualem Divinitatem; visum autem in specie columbæ propter Filii attestationem [1]. Et hæc est Trinitas simplex unitas, inseparabilis, inenarrabilis, semper manens, semper præsens, ubique regnans, unus Deus, de quo propheta David dicit: « Tu es solus » Deus magnus [2]. »

XI. Credimus in Filium ejus Jesum Christum, natum de Spiritu sancto ex virgine Maria. Hanc nativitatem, incredule, quid expavescis? Noli credere, si tantum homo erat qui natus est: si autem Deus homo erat, de qua voluit natus est, quia sicut voluit natus est. Illud potius mirare, quia Verbum suscepit carnem: nec est mutatum in carnem, quia manens Deus suscepit hominem. Cæterum quid miraris, quia genitrix suum genuit genitorem, qui creavit creatura factorem! Si voluit nasci excelsus humilis, ut in ipsa humilitate ostenderet majestatem. Portabat filium mater intacta, mirabatur et ipsa in aspectu suæ prolis, quam amplexus non strinxerat maritalis. Sed, incredule, audi prædictum; cognosce impletum. David propheta dicit: « Mater Sion dicet Homo, et homo factus » est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus [3]. » Ipse qui fundavit eam Altissimus, ipse in ea factus est homo: Altissimus, quia talem matrem creavit: Altissimus, quia sic se in ea formavit, ut procedens ex ejus utero, et filium ejus redderet, et integritatem non corrumperet. Quæ est gratia matris hujus et virginis? Quæ est gratia hujus fœminæ, quæ virum nesciens filium portat? Quæ est gratia? Audite Gabrielem angelum eam salutantem: « Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum [4]. » Quando Angelus istam virginem sic salutavit, tunc eam Spiritus sanctus fœcundavit: tunc illa fœmina virum sine viro

[1] Matth. III, 16. — [2] Psal. LXXXV, 10. — [3] LXXXVI, 5. — [4] Luc. I, 18.

concepit, tunc repleta est gratia : tunc Dominum suscepit, ut esset in ea qui fecerat eam. Neque enim, dilectissimi, credendum est, quod illo jam præsente ac protegente poterat illi fœminæ dominari corruptio, in qua non erat ardoris libido.

XII. Noverit tamen quem portavit virgo mater, noverit, stupor abscedat, fides accedat. Ecce quem portat nascitur ; nondum loquitur, et totum concutit mundum. Clamat cœlum, novi sideris radians fulgore : clamat terra, turbata per Herodem ; veniunt Magi admoniti, inquirunt Judæi turbati ; quærunt ubi esset qui ubique totus est, quæritur in mundo fabricator mundi. Ad hoc autem quærebatur, non ut agnosceretur, sed ut occideretur : quia « Mundus per eum factus est, et mundus » eum non cognovit [1]. » O munde immunde, venit qui te redimat, et turbaris ; et tunc eum vis perdere, quando ille te disposuit liberare ! O Judæorum terra impia, non congruis cœlo. Cœlum demonstrat, ut adoretur : tu quæris, ut infans necetur. Ille tibi annuntiat Deum hominem suscepisse pro te, et tu vis perdere eum qui venit redimere te. Expecta paululum, ad hoc quidem venit, ut tuam etiam pessimam impleat voluntatem : sed sustine, ut suam ille colligat hæreditatem. Collige, collige, Redemptor : non glorietur dispersor. Vindica in eos qui te parvulum persequuntur, parvuli ipsorum pro te moriantur. Si ipsi n te crudeles existunt, parvuli ipsorum pro te moriantur. Vindica, sic vindica. Insultent filii parentibus nondum loquentes, convincant sævientes : infantes dicant testimonium de tua innocentia, quia non est in te ulla malitia : et ii qui te volunt innocentem occidi, hoc eis proveniat, ut suos parvulos ab eis facias separari. Lugeatis licet, Judæi, atque plangatis filios vestros, non illi

[1] Joan. 1, 10.

moriuntur, quia a vita suscipiuntur : vobis irrogatur pœna orbitatis, cæterum illis gloria offertur immortalitatis. Nuntiastis Herodi ubi occidendus inveniri potest Filius Dei : sed ille filios vestros occidens pro Filio Dei, et vos orbitatis pœna nesciens punit tanquam proditores, et filios vestros Dei fecit hæredes. Sic vos irridebat ille, ille qui habitans in cœlo, jacebat in terra : sic furias vestras vestrique regis subsannabat, quando mala vestra in vos retorquebat, et de malis vestris multa ille bona faciebat.

XIII. Agnovisti, virgo mater, filii tui infantiam, agnosce et pueritiam. Evangelium loquitur : « Perrexerunt, ait, » cum puero Jesu parentes ejus in Jerusalem, ut pro eo of- » ferrent sacrificium secundum legem. Et factum est re- » meantibus illis, puer Jesus remansit in templo : et erat » disputans cum senioribus et scribis : et mirabantur om- » nes in sapientia quæ erat in eo, et turbabat multos. Sed » cum reversi essent quærentes illum, invenerunt illum se- » dentem in medio seniorum, interrogantem et responden- » tem illis. Et ait illi illa mater : Fili, quid fecisti nobis? » Ecce enim solliciti et anxii quærebamus te. Tunc ille : » Quid sollicita eras, inquit? nescis quia oportet me in » his quæ Patris mei sunt, operari [1]? » Quando talia mater a puero filio audivit, corde expavit : non enim patrem nominabat ille quem nesciebat in terra, sed illum qui fecit cœlum et terram.

XIV. Agnoscat et ejus adolescentiam, videat multa et magna miracula, conversionem aquarum in vinum. In quo primo miraculo tentavit illa fœmina jubere se filio posse tanquam mater domina quæ se agnoscebat ancillam. « Fili, ait, deficit illis vinum, fac rursus ut aquæ » convertantur in vinum [2]. » Et ille ut distingueret inter

[1] Luc. II, 41-49. — [2] Joan. II, 3.

Deum et hominem, quia secundum hominem minor erat, secundum hominem subditus erat, secundum Deum autem supra omnes erat : « Quid mihi et tibi, inquit, mu-» lier? nondum venit hora mea [1]. » Tanquam ei diceret : Veniet hora, quando id quod natum est de te in cruce pendens agnoscat te, et Discipulo dilecto commendet te : in hoc autem miraculo quid mihi et tibi? Non enim hoc processit ex te, sed ex eo qui fecit te : non competit tibi ut jubeas Deo, competit autem ut subdita sis Deo. Sed pia mater quæ non aspere tulit admonitionem filii dicentis : « Quid mihi et tibi? » videat in cæteris miraculis Deum operantem, quem intuebatur filium adolescentem, videat cæcorum illuminationem, leprosorum mundationem, claudorum cursus, surdorum auditus, dæmonum fugationes, et quod majus his omnibus, mortuorum resurrectionem. Sed adhuc agnoscat hæc mater, et expavescat filii sui etiam juventutem.

XV. Quid restat juveni, nisi ut procedat velut sponsus de thalamo suo? Accipiat sponsus sponsam, quæratur, inveniatur quæ ei conjungatur. Non est solus homo, sed Deus est et homo ; quæratur quæ ei conjungatur. Qualis est de qua natus est, talis ei inveniatur, quæ et matrem reddat fœcundam, et virginem servet intactam. Filius permanentis virginis, virginem permansuram accipiat. Ecce tempus est : modo Judæi suam impleant voluntatem, quando dignatur ipse dare potestatem. Agite, Judæi, nescientes nuptias Agni, date præmium pecuniæ malo nebuloni Judæ : agite ut ille qui natus est de virgine, a Pontio Pilato suspendatur in cruce. Ascendat sponsus noster thalami sui lignum, ascendat sponsus noster thalami sui lectum. Dormiat moriendo, aperiatur ejus latus, et Ecclesia prodeat virgo : ut quomodo Eva facta est ex latere Adæ dor-

[1] Joan. II, 4.

mientis, ita et Ecclesia formetur ex latere Christi in cruce pendentis. Percussum est enim ejus latus, ut Evangelium loquitur, et statim manavit sanguis et aqua, quæ sunt Ecclesiæ gemina sacramenta[1]. Aqua, in qua est sponsa purificata : sanguis, ex quo invenitur esse dotata. In isto sanguine sancti Martyres amici sponsi stolas suas laverunt, candidas eas fecerunt, ad nuptias Agni invitati venerunt, ab sponso calicem acceperunt, biberunt, eique propinaverunt. Sanguinem ejus biberunt, sanguinem suum pro illo fuderunt. Quid egit vesana impietas Judæorum, quia invitati non solum venire noluerunt, sed insuper sponsum occiderunt? Quid egit iniquitas Judæ qui eum vendidit, a quo redimi debuit? Ecce nec Judas tenuit pretium, nec Judæi quem comparaverant Christum. Illi dico : Ubi est quod accepisti? Judæo dico : Ubi est quod emisti ; Illi dico, Quando vendidisti, tunc te decepisti ; isti dico : Quod emisti, possidere non potuisti. Exulta, Christiane : in commercium inimicorum tuorum tu vicisti : quod Judas vendidit et Judæus emit, tu acquisisti. Exulta, exulta, sponsa Ecclesia : quia nisi ista in Christo facta essent, tu ab illo formata non esses. Venditus redemit te, occisus dilexit te : et quia te plurimum dilexit, mori voluit propter te. O magnum sacramentum hujus conjugii ! O quam magnum mysterium hujus sponsi et hujus sponsæ ! non explicabitur digne humanis verbis. De sponso sponsa nascitur, et ut nascitur, statim illi conjungitur ; et tunc sponsa nubit, quando sponsus moritur ; et tunc ille sponsæ conjungitur, quando a mortalibus separatur : quando ille super cœlos exaltatur, tunc ista in omni terra fœcundatur. Quid est hoc? Quis est iste sponsus absens et præsens? Quis est iste sponsus præsens et latens, quem sponsa Ecclesia fide tantum concipit, et sine ullo am-

[1] Joan. xix, 34.

plexu membra ejus quotidie parit? Quis est iste qui sic natus est, sic crevit, sic mortuus est? Quis est iste qui infans regem terruit, puer Judæos convicit, juvenis Pontium Pilatum turbavit? Quis est iste? Vultis nosse? « Do» minus virtutum, ipse est rex gloriæ [1]. » Si Dominus virtutum ipse est rex gloriæ, ergo nec Judæos timuit quando armati venerant, nec judicem injuste judicantem, nec milites irridentes, nec inimicos subsannantes, nec coronam spineam imponentes, nec sua vestimenta dividentes, nec fel, nec acetum, nec crucem, nec lanceam, nec mortem. Quando enim ista Judæi Pontiusque Pilatus faciebant, Dominus virtutum negotium nostrum agebat; quæ non rapuerat, tunc reddebat. Non rapuit iniquitatem, et pro iniquis suscepit mortem, ut impleretur quod de eo scriptum est: « Quæ non rapueram, tunc » reddebam [2]. » Denique ut noveritis pro nobis reddidisse quod non debebat (« Christus enim pro impiis mortuus » est [3], ») mox ut sacculum carnis suæ in crucis ligno solvit, et pretium nostrum exactori reddidit; ibi statim illum latronem fecit confessorem [4], ut per eum impiorum restauraret ruinam. Videte redemptum quem diabolus possederat homicidam : videte Dominum virtutum et in ipsa morte miracula facientem. Tunc latro confitebatur, quando Petrus turbabatur : tunc iste agnovit, quando ille negavit. Sed numquid quia Dominus acquisivit latronem, Petrum perdidit negatorem? Absit, absit. Agebat mysterium qui fundebat pretium, in Petro demonstrans non in se quemquam justum debere præsumere; in latrone, nullum impium conversum posse perire. Timeat bonus, ne pereat per superbiam : non desperet malus de multa malitia. Colligantur præsumentes, colligantur desperantes. Magnum pretium pro nobis datum esse cognos-

[1] Psal, XXIII, 10. — [2] Id. LXVIII, 5. — [3] Rom. V, 6. — [4] Luc. XII, 43.

cimus, quia sanguine Christi redempti sumus. Agamus quomodo tali Domino non displiceamus. Ecce amavit servos, et quos redemit servos, fecit liberos. Ecce parum est, quia donat libertatem suam; exhibet fraternitatem, promittit etiam hæreditatem. Habes amplius quod expectes? Suscepit veniendo mortem tuam, donavit resurgendo vitam suam. Habes amplius quod expectes? Ille, ille qui crucifixus est pro te, die tertio a mortuis resurgens, super cœlos exaltavit te; filium Dei fecit te. Habes amplius quod expectes? Quid retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis[1]? Fecit nos antequam essemus, donavit vitam, donavit ætatem, donavit liberam voluntatem, donavit substantiam, donavit ingenium, donavit rationem, donavit scientiam, donavit omnia sua ut essent tua; et his bonis omnibus male usi sumus, superbi effecti sumus. Creatorem tanta bona largientem, merito prævaricationis offendimus: perivimus, quæsivit; captivi ducti sumus, subvenit; ad mortem perpetuam ducebamur, liberavit. Quid tibi minus exhibuit, qui se ipsum pro te tradidit? Et dubitas quod tibi donet vitam suam, qui tecum communicavit mortem suam? Quid retribuemus ei? Si non est quod ei retribuamus, ab ipso accipiamus quod ei offeramus. Hoc a te quærit Christus, hoc tibi dicit: Quod feci pro te, hoc et tu fac pro me: animam meam posui pro te, et tu pro fratribus tuis animam tuam pone. Noli timere mortem, quia cum vincere non posses, ego sum mortuus, ut tu vinceres: vinceres, non per te, sed per me; quia et ego quod sum mortuus, non est propter me, sed propter te. Tu enim mori noveras, resurgere non noveras: suscepi mortem quam noveras, demonstravi resurrectionem quam ignorabas. Credendo ama resurgentem, ut per illum et

[1] Psal. CXXV, 12.

tu resurgas. Diximus, et quantum ille donavit, exposuimus has tres sententias, quod « Natus sit de virgine Ma- » ria, crucifixus sub Pontio Pilato et sepultus, tertia die » a mortuis resurrexit. » Si enim de singulis, ut dignum est, loqui possemus, prolixitas Sermonis fastidium vobis quam delectationem incuteret.

XVI. Quia ergo diximus, quo usque ille Altissimus descenderit propter nos : nunc dicamus quomodo id quod suscepit ex nobis, in cœlum levaverit, ad dexteram Patris collocaverit, ac fidei nostræ certum pignus dederit, ut secura sint membra de tanto capite, fideliterque sperent ad ipsum se posse pervenire, quem jam credunt ad dexteram Patris sedere. Assumptus in cœlos. Sessionem istam, dilectissimi, non accipiatis humanis membris positam, tanquam Pater sedeat in sinistra, ut Filius sedeat ad dexteram : sed ipsam dexteram intelligite potestatem, quam accepit homo ille susceptus a Deo, ut veniat judicaturus qui prius venerat judicandus. Ad hoc enim ascendit in cœlum, ut fides suum impleat locum. Prædictum quippe hoc invenitur per David prophetam ; ait enim : « Congregatio populorum circumdabit te, et propter » hanc in altum regredere, Dominus judicat populos[1]. » Hoc quippe ait : Quoniam humiliatus es in forma servi usque ad crucis opprobrium[2], et hi qui te viderunt crucifixum, aliqui crediderunt, multi dubitaverunt ; resurgens a mortuis in altum regredere, super cœlos dignare ascendere : ut congregatio populi fidelis congregetur in unum per fidem, ut fides deducat eos ad speciem. Ipsa est virtus omnipotentiæ tuæ, ut plus possis in ipsis fidelibus, quando absens ab eis in homine illo suscepto sentiris. Cæterum præsentia tuæ majestatis de cordibus fidelium tuorum nunquam discedis. Videte autem, dilectis-

[1] Psal. VII, 8. — [2] Philip. II, 6.

simi, quid donaverit iste qui ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus [1] : videte quid donaverit. Venit mirabiliter, crevit mirabiliter, exhibuit multa miracula; quæ superius commemoravimus, salus æterna multis præstitit salutem. Qui infirmitates nostras suscepit, multas variasque infirmitates curavit. Circumdatus etiam tunc fuit multitudine populorum, quos adduxerat non fides, sed curiositas oculorum. Denique visa miracula multi laudabant, alii detrahebant. Nam inde est illud detractionis verbum dicentium, quod in Beelzebub principe dæmoniorum ejiceret dæmonia [2]. Cum tanta tamen miracula faceret, contemptus est : non solum digne habitus non est, sed insuper occisus est. Quare non tunc factum est, ut ejus præsentia numeru sille colligeretur, nisi oportebat impleri omnia quæ de eo erant scripta? Etenim quando illa agebantur, jam illi ab ipso præparabantur, jam captivitas eorum capta erat. Expectabatur ut ascenderet Salvator, et donaret dona. Quæ dona? Dona quæ acceperunt Discipuli : quæ accepit Petrus ut moreretur pro absente, quem desperando negaverat præsentem. Videte quid idem Petrus dicat in Epistola sua, quid effundat ex dono illo sancti Spiritus : « Credentes, inquit, in » eum quem non videtis, gaudete inenarrabili gaudio [3]. » Gaudeamus et nos credendo in eum quem non videmus : ut securi illum videamus, cum ad ipsum pervenerimus. Veniet autem et ipse, sed non talis qualis antea venit.

XVII. Venturus est enim vivos et mortuos judicare. Veniet autem ut judicet qui stetit sub judice : veniet in ea forma in qua judicatus est, ut videant in quem pupugerunt. Cognoscant Judæi quem negaverunt : convincat eos ille homo susceptus, et ab eis crucifixus. Fortasse, dilectissimi, quoniam veritas evangelica non tacuit cum

[1] Psal. LXXVII, 19, et Ephes. IV, 8. — [2] Luc. XI, 35. — [3] 1 Petr. I, 8.

cum cicatricibus resurrexisse, qui posset si vellet de corpore suscitato et clarificato omnem maculam cujuslibet cicatricis abstergere : (sed sciebat quare cicatrices in corpore suo servaret, ut vulnera dubitationis in cordibus Discipulorum sanaret :) fortasse ergo, ut dixi, sicut demonstravit Thomæ non credenti nisi tangeret et videret, ita etiam inimicis suis vulnera demonstraturus est sua. Propter quod dictum est per Prophetam : « Videbunt in » quem pupugerunt [1]. » Non ut eis dicat, sicut Thomæ, « Quia vidisti, credidisti [2]. » Sed ut convincens eos Veritas dicat : Ecce hominem quem crucifixistis, ecce Deum et hominem in quem credere noluistis. Videtis vulnera quæ inflixistis, agnoscitis latus quod pupugistis : quoniam et per vos et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. Qui non estis redempti pretio mei sanguinis, non estis mei : « Discedite a me in ignem æternum, qui » paratus est diabolo et angelis ejus [3]. » Sed illorum mors proficiat ad nostram salutem. Si illi contempserunt, nos timeamus eum qui sic venturus est judicare. Festinet unusquisque cum vivit, ut vivat ; currat, ut ejus pretioso sanguine redimatur ; ne cum non fuerit inventus in numero redemptorum, in numero maneat perditorum. Hic, hic dum vivitur, melior eligatur locus. Hic est tempus fidei. Cæterum, « In inferno, ait Propheta, quis » confitebitur tibi [4] ? » Qui vult semper vivere, et non timere mortem, teneat vitam, ut mors superetur a vita. Qui non vult timere justum Judicem judicantem, ipsum nunc sibi adhibeat defensorem.

XVIII. Credimus et in Spiritum sanctum. Spiritum sanctum Deum credimus æqualem Patri et Filio, quia simul est et in Patre et in Filio. Quomodo est in Patre ?

[1] Zach. XII, 10. — [2] Joan. XX, 29. — [3] Matth. XXV, 41. — [4] Psal. VI, 6.

Filium audi : « Spiritus, inquit, qui procedit a Patre, » ipse introducet vos in omnem veritatem [1]. » Quomodo est in Filio? Ipse Filius post resurrectionem mittens Discipulos suos prædicare Evangelium, insufflavit in faciem ipsorum, et ait illis : « Accipite Spiritum sanctum [2]. » Quomodo est Spiritus Patris? Ipse Dominus in Evangelio: « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris » vestri qui loquitur in vobis [3]. » Quomodo est et Spiritus Filii? Apostolus dicit : « Si quis Spiritum Christi non ha- » bet, hic non est ejus [4]. » Quomodo idem ipse Spiritus Patris et Filii procedens a Patre et Filio attestatur Filium suscepisse carnem? Joannes evangelista dicit : « Spiritus, » inquit, nondum erat datus, quia Jesus nondum erat » clarificatus [5]. » Quando autem clarificatus est Filius, ipse dicit : « Aperti sunt, ait, cœli, et descendit su- » per baptizatum Jesum Spiritus sanctus in specie co- » lumbæ, voxque facta est dicens : Hic est Filius meus » dilectus, in quo bene complacui [6]. »

XIX. Hæc tu, hæretice, Ariane cum audis vel legis, Filium clarificatum, Spiritum sanctum in specie columbæ de cœlis esse transmissum : hac auctoritate carnalis tua cogitatio et phantasia spiritus mali qui operatur in filiis diffidentiæ, Patrem inducit majorem, quia visus non est; Filium minorem, quia visus est in homine; Spiritum sanctum Filio multo inferiorem, quia in specie apparuit columbæ. Dicis enim tibi, et perverse ratiocinaris : Quantum distat visibilis ab invisibili, tantum distat Filius a Patre ; et quantum distat species hominis ab specie columbæ, tantum distat honor Filii ab honore Spiritus sancti. Hæc cogitans illi proximus es præcipitio erroris. Neque enim defuerunt qui hoc sentirent de anima humana, quod tu vis

[1] Joan. xv, 26, et xvi, 13. — [2] Id. xx, 22. — [3] Matth. x, 20. — [4] Rom. viii, 9. — [5] Joan. vii, 39. — [6] Matth. iii, 16-17.

asserere de substantia divina. Introduxerunt enim quidam, pro meritis animas dari corporibus, et esse revolutiones et circulos. Prophèta David divina voce disrumpens : « In circuitu, inquit, impii ambulant [1]. » Qui talia credunt vel prædicant, impii sunt. Et tanquam ei Deus diceret : Quid tu de propagine hominum sentis ? secutus adjunxit : « Secundum altitudinem tuam multiplicasti fi- » lios hominum. » Sed hæc alia quæstio est, in qua nunc non opus est diutius immorari. Verumtamen quia de specie hominis et columbæ nostra tecum, hæretice, est disceptatio : in hoc enim Filium ampliorem esse Spiritu sancto dicis, quia pro dignitate gradus sui, sicut multum distat inter naturam hominis et columbæ, tantam distantiam vis esse Filii et Spiritus sancti : possem quidem tibi respondere, quia innocentiam quam habet columba, non habet homo : sed non dico ; de illo enim homine agimus qui venit sine peccato. Sed si hoc te movet, quia Filius hominem suscepit, Spiritus in columba apparuit : movere te et hoc debet, quia et ipse homo a Filio Dei susceptus ab Scriptura divina dictus est Agnus. Nam et Joannes Baptista dicit : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit » peccatum mundi [2]. » Et Isaïas propheta dicit : « Sicut » ovis ad immolandum ductus est, et sicut agnus coram » tondente se, sic non aperuit os suum [3]. » Et Joannes apostolus in Apocalypsi dicit : « Vidi agnum stantem » quasi occisum [4]. » Dic mihi, si valueris tu exponere, quare sit dictus agnus Filius Dei ; exponam tibi et ego columbæ speciem Spiritus sancti. Si mihi dixeris, Agnus Filius Dei propter innocentiam : hoc et ego tibi de Spiritu sancto referam : Ideo columba Spiritus sanctus propter innocentiam. Si Christus agnus propter innocentiam, et Spiritus sanctus columba propter innocentiam : « Cus-

[1] Psal. xi, 9. — [2] Joan. i, 29. — [3] Isai. liii, 7. — [4] Apoc. v, 6.

» todi et tu innocentiam, et vide æquitatem [1]. » Vides æquitatem, si Patris et Filii et Spiritus sancti intelligis unitatem.

XX. Sed adhuc vanas tuas machinas diversasque comparationes de Patris et Filii et Spiritus sancti substantia, catholica doctrina suffodiat, ut ædificium tuum, quod super arenam, non super petram ædificas, flatu ventorum, divinorum scilicet Eloquiorum, et pluvia gratiæ descendente subvertat, subversumque fiat ruina magna. Quamvis nos invisibilem totam Trinitatem noverimus, credamus, teneamus : dic tu nobis, hæretice, quis sit ille qui apparuit Moysi in flamma ignis in monte Sina, cujus posteriora vidit Moyses ipso se Domino demonstrante. Nam cum ille quæreret faciem Dei videre, dicens : « Si inveni gratiam ante te, ostende mihi faciem tuam : » hoc ei Dominus respondit : « Ascende in Choreb, et sta » super petram, et transiet claritas mea ante te, et pos- » teriora mea videbis ; facies autem mea non videbitur » tibi [2]. » Quis est iste qui ducatum præbuit filiis Israël exeuntibus de Ægypto ? « Deus, ait liber Exodi, præibat » illos, die quidem in columna nubis, nocte autem in » columna ignis [3]. » Quis est iste ? Pater est, an Filius ? Si dixeris, Pater est : visus est ergo et Pater in aliqua specie. Non autem audes dicere, Filius est : ne rursus ipsius testimonio Moysi obruaris, « Tu es Deus solus, et alium » non novimus absque te [4]. » Ergo Deo Patri assignabis quod apparuit in columna ignis vel nubis. Si Deo Patri hoc assignabis, redi modo ad illam ratiocinationem tuam ; et dic mihi quæ sit melior natura, ignis, nubis, aut hominis. Et si dixeris, Ignis vel nubis, irrideris non solum ab hominibus, qui certa ratione sunt præditi, non qui vestra vana seductione decepti ; sed etiam ab ipsis peco-

[1] Psal. XXXVI, 37. — [2] Exod. XXXIII, 13-20. — [3] Id. XIII, 21. — [4] Deut. XXXII, 39.

ribus, quibus etsi non est rationalis intellectus, inest tamen naturalis sensus, qui non est attributus igni vel nubibus. Si autem dixeris, Hominis est melior : Filius a te demonstratur Patre major ; quia Filius apparuit in homine, Pater apparuit in igne. Hoc Ariani secundum vos dictum sit : secundum rectam autem veramque doctrinam, quemadmodum non est Filius Patre major, quia Filius apparuit in homine, Pater in igne ; sic non est Spiritus sanctus minor Filio, quia in specie apparuit columbæ. Divina illa substantia Trinitatis manens in se ipsa sicuti est, ut innovaret perdita, nostramque restauraret ruinam, pro captu hominum, et pro congruentia cujuslibet rei se visibiliter demonstravit ; unitatem, æqualitatemque suam non amisit. In igne Deus, sed non est ignis : in homine Filius, sed non hoc solum quod videbatur erat, erat et quod latebat. Nam si totum quod videbatur erat, quid est quod dicebat Discipulis suis : « Qui me di» ligit, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et » manifestabo me ipsum illi [1] ? » Quid manifestaturus erat, si totum quod videbatur erat ? Ergo erat et quod latebat. Ita et Spiritus in columba apparuit, sed non columba erat Spiritus.

XXI. Totum hoc, homo, factum est propter te. Noli injuriam facere illi qui fecit te, ut consequaris ab illo, quod in isto sancto Symbolo sequitur, Remissionem omnium peccatorum. Noli minorem prædicare eum, qui te perducit ad regnum cœlorum in remissione peccatorum. Sine ista fide si quis ad baptismum accedit, ipse contra se januam indulgentiæ claudit. Nec propter aliud, dilectissimi, factum est, ut et Pater mitteret Filium, et ipse Filius susciperet hominem sanandum, et Spiritus sanctus hoc effunderet donum, nisi ut nostræ animæ eruerentur a

[1] Joan. XIV, 21.

sarcinis peccatorum. Totum quidem hominem suscepit ille curandum, sed ampliorem curam demonstravit adhibendam esse animæ quam corpori. Namque cum ipse Salvator inter cætera miracula quæ præsens faciebat, paralyticum antiqua valetudine oppressum videret, prius ejus animam censuit esse sanandam, tunc demum etiam ejus corpori dignatus est donare salutem. « Fili, inquit, » confide, quoniam remissa sunt tibi peccata tua[1]. » Magna salus non est contemnenda. Hanc appetere debet, quisquis interius et exterius salvus esse desiderat. « Mundate, ait » ipse Dominus, quæ intus sunt, et quæ foris sunt munda » erunt[2]. » Verumtamen intentio illa perversa Judæorum, quæ non fideliter sequebatur Christum, sed ad hoc eum frequentabant, quia ei dolosi dolose insidias præparabant, quando audierunt Dominum paralytico dicentem : « Di- » missa sunt tibi peccata tua, » continuo susurratio illa cogitationis pessimæ, ubi eos audiebat qui corda inspiciebat: « Quis est iste, inquiunt, qui peccata dimittit? Blasphe- » mat : Nemo enim potest dimittere peccata, nisi solus » Deus. » Ille autem ut eis demonstraret se esse Deum, eorumque nequitiam ostenderet, ac suam demonstraret potentiam, ait illis : « Quid cogitatis nequam in cordibus » vestris? Quid est amplius dicere : Dimissa sunt tua tibi » peccata, aut dicere : Surge et ambula? Ut noveritis au- » tem quia habet potestatem Filius hominis in terra di- » mittendi peccata, ait paralytico : Surge, tolle grabbatum » tuum, et vade in domum tuam[3]. » Et statim surrexit, et tulit grabbatum suum, et abiit. O quam melius illi esset, si post acceptam remissionem peccatorum, non de lecto ad peccandum iterum surgeret, sed de sepulcro ad veram vitam liber securusque surgeret. Non enim vacat, dilectissimi, quod ei dictum est : « Tolle grabbatum tuum, et

[1] Matth. IX, 2, et Marc. II, 3. — [2] Matth. XXV, 26. — [3] Id. IX, 2-6.

» vade in domum tuam. » Sic enim Dominus cum curari interius volebat, ut jam ulterius non laboraret. « Tolle » autem grabbatum tuum, » quid est, nisi porta rursus sarcinam delictorum tuorum? Non erunt scapulæ tuæ liberæ, portabis quod te premat, curvus eris sub onere, caput jam liberum iterum gravabitur servitute. « Omnis enim, ait » Dominus, qui facit peccatum, servus est peccati[1]. » Si post remissionem peccatorum ille paralyticus ex hac vita migraret, plenam acciperet libertatem. Quod autem hic vivere postea permissus est, etsi non peccavit, quod credere difficile est; multum periclitatus est : quia tota hæc vita tentatio est[2]. Quisquis itaque, dilectissimi, fideliter credit, et hanc professionem fidei suæ, in qua remittuntur omnia peccata, indubitanter tenet atque amplectitur, præparet voluntatem suam voluntati Dei : ut si eum post baptismum dignatus fuerit in hac vita aliquantulum detinere, iste non quiescat orare ac dicere : « Adjutor meus » esto; ne derelinquas me[3]. » Si autem dignatus fuerit liberum atque ab omni fæce peccati mundatum ad se evocare, incunctanter ac sine tristitia pergat ad eum, cum quo et per quem incipiat et ipse regnare, nec vehiculum mortis timeat, in quo prior ascendit ipse qui vocat. Sicut enim ipsum resurgendo perduxit ad Patrem, ita et te illi per resurrectionem repræsentavit. Quia ut te invitaret ad cœlum, ad terram descendit, sed non deseruit cœlum.

XXII. In carnis resurrectionem. Resurrecturam esse omnem carnem, rationalem scilicet creaturam, fideliter teneamus. Hæc est summa fidei nostræ, quæ separat ab infidelibus. Neque enim de pecudibus vel cæteris animantibus, quibus non est attributa imago Creatoris, fas est nobis disputare. Ista enim omnia ad usus nostros creata esse cognoscimus. Legat quis quid Deus dixit homini,

[1] Joan. VIII, 34. — [2] Job. VII, 1. — [3] Psal. XXVI, 9.

quando eum formavit atque benedixit, et inveniet ita scriptum in libro Geneseos : « Fecit Deus hominem, ad ima- » ginem suam fecit illum, masculum et fœminam fecit eos, » et benedixit eis dicens : Crescite et multiplicamini, et » replete terram, et dominamini ejus, et habete potesta- » tem piscium maris, pecorum terræ, volatilium cœli [1]. » Ista ergo omnia propter usus nostræ infirmitatis, ut dixi, creata sunt. Sed quemadmodum non nobiscum resurgit nostra corruptio, neque infirmitas : ita nec ea quæ sunt necessaria nunc nostræ infirmitati. Qualia futura sint nostra corpora, Paulus dicit apostolus : « Seminatur, in- » quit, in corruptione, resurget in incorruptione : semina- » tur in infirmitate, surget in virtute : seminatur in con- » tumelia, surget in gloria : seminatur corpus animale, » surget corpus spiritale [2]. » Incorruptio hæc, virtus, et gloria, et spiritus vivificans, faciet nos, sicut ipse Dominus promittere dignatus est, æquales Angelis Dei : ut vivamus cum ipsis in æterna vita, in una immortalitate ac sempi- terna patria [3]. In qua patria vita nostra æterna ipse Chris- tus erit : « Ipse enim est verus Deus et vita æterna [4]. »

XXIII. Hoc sequitur etiam in isto sancto Symbolo, quod post resurrectionem carnis credamus. Et in vitam æternam. Non nostri jam dominabitur corruptio, immortaliter vi- ventibus, et cum ipsa æterna vita manentibus. Neque enim indigebimus illic vestimento, ubi erimus immorta- litate vestiti : nec cibus nobis deerit, quando ipse panis vivus, qui propter nos de cœlo ad terras usque descendit, sui præsentia nostras animas satiabit : nec potus nobis deerit, præsente fonte vitæ. Saturabit enim nos ab uber- tate domus suæ, et torrente deliciarum suarum corda nostra rigabit [5]. Æstus illic non patiemur : illic est enim

[1] Gen. I, 27 et 28. — [2] 1 Cor. XV, 42. — [3] Matth. XXII, 30. — [4] 1 Joan V. 20. — [5] Psal. XXXV, 9.

refrigerium nostrum, qui nos sub umbra alarum suarum protexit et protegit. Frigus illic non patiemur : est enim ibi Sol justitiæ, qui suo amore calefaciens corda nostra, radiis divinitatis suæ illuminat oculos nostros, ut videant divinitatem æqualitatemque Patris et Filii et Spiritus sancti. Non ibi fatigabimur : nobiscum enim erit virtus nostra, cui nunc dicimus : « Diligam te, Domine virtus » mea [1]. » Non ibi dormiemus : non enim sunt ibi tenebræ, quæ excludere possint permanentem diem. Nulla ibi erit negotiatio, nulla servitus, nullum opus. Et quid illic acturi sumus? Fortasse illud quod scriptum est : « Vacate, » et videte, quoniam ego sum Deus [2]. » Vacuitas ista contemplationis, erit opus nostræ actionis : ut contemplantes delectemur : et delectabiliter contemplemur videre. Quid videre? « Bona Domini [3]. » Quæ bona? Possumus exprimere illud « Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in » cor hominis ascendit [4]. » Possumus explicare quomodo erit Deus omnia in omnibus? Possumus explicare quomodo ipse Filius « Cum tradiderit regnum Deo et Patri, » id est, sanctam congregationem fidelium, ita illum hominem susceptum ampliusque clarificatum non dimittat, ut tamen claritatem quam habet cum Patre antequam mundus fieret, ipsis jam fidelibus demonstrare non differat? Possumus explicare quemadmodum sponsa Ecclesia, quæ ex viris et fœminis constat, omnis convertatur in virum perfectum, atque ita dignitatem virilem accipiat, ut tamen sponsæ nomen non perdat? Possumus explicare sanctorum corpora resuscitata, ex qua gloria in quam gloriam transeant? Possumus explicare quo Christum sequantur virgines, quo eum sequi nequeant non virgines, atque illas nescio quo ubique manens secum ducat, nec tamen eas quæ non sunt virgines deserat? Quis

[1] Psal. XVII, 2 — [2] Id. XLV, 11. — [3] Jd XXVI, 13. — [4] 1 Cor. II, 9.

audet de his rebus positus in hac mortali carne quæ aggravat animam[1], aliquid dicere ; cum Paulus apostolus hoc non valuit explicare, qui in isto positus corpore usque in tertium cœlum gratia operante valuit ascendere? Non simus curiosi ad investigandum, quod Apostoli exprimere minime potuerunt. Certe ex me nemo scire quærat, quod me nescire scio, nisi forte ut nescire discat, quod sciri non posse sciendum est. Sed per fidem et patientiam et sanctam matrem Ecclesiam speremus nos accipere, quidquid magnis et pusillis dignatus fuerit ille donare.

XXIV. Sancta Ecclesia, in qua omnis hujus sacramenti terminatur auctoritas, mater et virgo, corpore casta, prole fœcunda, sponsa Christi superius declarata, pie nutrit filios quos Deo Patri dignos assignare contendit. Filii boni, amate tantam matrem; filii boni, nolite deserere quotidie vos requirentem : rependite vicem, amate amantem. Tanta est, talis est, nobilis est, regia prole fœcunda est. Non eam patiamini aut filiorum malorum, aut pessimorum servorum injuriis atque insidiis macerari : agite causas matris vestræ, exerite ejus amplissimam dignitatem. Servus malus non insultet dominæ : hæreticus Arianus non insultet Ecclesiæ. Lupus est, agnoscite : serpens est, ejus capita conquassate. Blanditur, sed fallit : multa promittit, sed decipit. Venite, inquit, defendam, si necessitas est, pascam ; si nuditas, vestiam : dabo pecuniam, statuam quid per singulos dies quisque accipiat. O lupe male ! o serpens inique ! o serve nequissime ! dominam calcas, veram matrem impugnas. Christum exsufflas, catholicum rebaptizas; et quod est pessimum artis tuæ, alios potentia premis ut perdas, alios pecunia comparas quos occidas. Ergo-ne, hæretice, ad hoc vestis nudum, ut expolies intus Christo vestitum? Ad hoc pascis esurientem, ut animæ

[1] Sap. IX, 15. et Cor. XII, 2.

auferas cibum cœlestem? Ad hoc das pecuniam, ut sic tibi isti vendant Christum rebaptizandum, quemadmodum Judas Judæis Christum crucifigendum? « Pecunia tua te- » cum sit in perditionem[1]. » Pejora, hæretice, facis quam quæ fecit Judæus. Ecce enim Judæus etsi præmio comparavit Christum occidendum, semel latus in cruce pendentis pupugit, sed totum ejus corpus integrum reservavit : tu vero ad hoc eum quotidie comparas pecunia, ut sedentis in cœlo diversa laceres membra. Vos autem, dilectissimi, qui ab initio uberibus sanctæ matris Ecclesiæ nutriti, usque ad solidum cibum estis ab ea perducti, manete in ea. Si quis ejus vel disciplinam vel quamlibet admonitionem aspere tulit, et iratus abscessit, agnoscat matrem, redeat ad eam libenter : et hæc suscipit quæ requirit, gaudebitque filium perditum fuisse conversum. Sed licet multum gaudeat filium perditum fuisse conversum, stabilitatis dignitatem non quiescit prædicare secum permanentium filiorum.

[1] Act. VIII, 20.

DE SYMBOLO

AD CATECHUMENOS

SERMO III.

I. Sacramentum Symboli quod accepistis, memoriæque mandatum pro vestra salute retinetis, noveritis hoc esse fidei catholicæ fundamentum, super quod ædificium surrexit Ecclesiæ, constructum manibus Apostolorum et Prophetarum. Ædificium enim domus Dei, lapides sunt vivi: quod estis vos. Ita enim credentibus scribit Apostolus: « Nescitis, inquit, quia templum Dei estis, et Spiritus sanc» tus habitat in vobis[1]? » Sed et apostolus Petrus alloquens fideles, « Vos, inquit, tanquam lapides vivi ædificamini » in domum spiritalem[2]. » Quisquis huic ædificio conjungi desiderat, renuntiet diabolo, pompis et angelis ejus. Pompæ diaboli sunt quæque illicita desideria, quæ turpant, non quæ exornant animam : ut sunt desideria carnis, desideria oculorum, ambitiones sæculi. Ad concupiscentiam carnis pertinent illecebræ voluptatum : ad concupiscentiam oculorum, nugacitas spectaculorum : ad ambitionem sæculi, insana superbia ; ubi est fumus inflatus, ut homo positus in aliqua potestate, hominem se esse non agnoscat, cum de homine judicat. Qui ergo vult mundum vincere, tria ista vincat quæ sunt in mundo: et

[1] Cor. III, 16. — [2] 1 Petr. II, 5.

per hæc illum vincit etiam, qui suadendo per superbiam decepit mundum.

II. Postquam autem homo renuntiando diabolo excludit pessimum invasorem, introducat optimum possessorem : credat in Deum Patrem omnipotentem, etc. Magnum donum gratiæ, credere et intelligere Deum. Sed quid Propheta dicit ? « Nisi credideritis, non intelligetis [1]. » Credamus ergo, ut intelligamus : sed oremus, ut mereamur videre quod credimus. Peccata enim, et auctor peccati diabolus separavit animam a Deo : et dum creatura secuta est seductorem, suum deseruit salvatorem ; facta est ruina magna : et erravit anima, ut pro vero Deo coleret idola, et adoraret ipsa quæ fecit, deserendo illum a quo facta est. Adorando enim lapidem nullam habentem vitam, ipsa perit, deserendo Deum qui est ejus vera et æterna vita. Hinc error omnis, et desertio bonorum : hinc cultus paganorum, et perversitas hæreticorum. Et erraverunt animæ per diversas voluptates et perversas, ut alii colerent solem, alii lunam et stellas, alii montes, alii lapides et quæque virgulta, ut sibi quisque credidit invenisse, non adjutorem Deum, sed deceptorem diabolum : atque ita per diversa anima erravit a Creatore suo, aut omne quod ei dederat Deus ad servitium, hoc illa coleret ut Deum. Nonne omnia propter hominem creata sunt ? Legat quis Scripturas sanctas, et inveniet Deum dixisse homini, quem de limo terræ formavit, « Crescite, » et multiplicamini, et replete terram, et dominamini » ejus, et habete potestatem piscium maris, et avium » cœli, et pecorum terræ [2]. » Et paulo post : « Ecce, » inquit, dedi vobis omnia in usum et ad escam. » Eos autem qui Scripturas sanctas legere nolunt, ipsa rerum natura, ipseque mundus operibus famulatus sui incredu-

[1] Isai. VII, 9. — [2] Gen. I, 28.

los sua quadam voce convincit, et animam perversam increpans dicit : Quid est, misera, quod erras in me, et degener facta oblita es a quo quanta creata sis, cui cœlum et terra tam pulchra domus nullis meritis præcedentibus constructa est ? Respondent et singula quæque elementa clamantia, et ipsis suis operibus suum demonstrantia artificem. Clamat cœlum : Non sum Deus ; nam si Deus essem, nulla me nubilatio obumbrare potuisset, nec tenebræ succederent luci meæ ; sed lux integra, incorrupta, inviolataque mansisset, sicut manet lux illa vera quæ istam lucem temporalem creavit in me propter te. Clamat et sol : Quid me, homo, colis ut Deum, quem vides ortu occasuque concludi ? Deus nec ortum habet, nec occasum ? sed tu illum deserendo magnum incurristi casum. Sed consideras magnum atque mirabilem esse me : ego autem agnosco habere super me, qui et me creavit et te. Cum autem opera et splendoris et caloris mei tibi deserviant, quomodo me pro Deo colendum ducis, nisi quia verum Deum colere nescis ? Ita luna et stellæ istam similem proferunt vocem : Non vides, inquiunt, o homo, spatium nos agere nocturnum, excludi luce, nec terminos transgredi constitutos, quos ad solatium quietis tuæ omnipotens artifex terminavit ? Non sumus Deus : convincimus falsitatem tuam serviendo tibi ad pœnam tuam. Clamat mare, et omnia quæ in eo sunt : Non sumus Deus. Præbeo enim, ut mihi jussum est, famulatum, pervium iter carinæ suscipiens, motus congruos, flatus ventorum ; dirigens gressus, ut ad portum desideratum etiam rapiente te avaritia, nulla interposita tarditate perducam. Animalia vero quæ gignuntur ex me, tibi in escam donata esse cognoscis. Cum ergo per omnia agnoscam modulum meum, tu quare deseris ordinem tuum, deserendo omnium creatorem Deum ? Clamat terra : Ergo-ne,

homo, deitatis mihi nomen ascribis? Ideo non agnoscis quid sim, quia oblitus es qui sis. Non agnoscis materiam tuam : non agnoscis quia limum meum es, ex me quidem formatum, sed, quod non sum ego, animatum. Non agnoscis quia inter omnia animalia, quæ ex me procreata sunt, tu solus sub Deo pene mundi dominus constitutus es. Merito non intelligis, quia cum esses in honore, non intellexisti : comparatus es jumentis insipientibus, et simulatus es illis [1].

III. Nos autem, dilectissimi, quibus donatum est credere, nec solem credamus Deum vel regem cœli; nec mare, aut nescio quem regem ejus Neptunum, quem fingit vanitas, non veritas; nec terram et Plutonem : sed « credamus in Deum Patrem omnipotentem, universo- » rum creatorem, » regem cœlorum. Qui enim cuncta quia voluit de nihilo fecit, ipse regit quæ fecit. Immortales isti, qui a nobis superius commemorati sunt, ideo dii non sunt, quia et comprehendi et videri hic oculis possunt : cæteros autem, quos vani vane colunt, Jovem, Saturnum, Martem, Junonem, Minervam, Venerem, et cætera portenta, non numina bona, sed [2] nomina mala, homines mortales fuisse, etiam eorum litteræ clamant, qui talibus erroribus delectantur. Nostræ autem sacræ Litteræ qualem Deum prædicent, Paulum audite apostolum : « Immortali, inquit, invisibili, incorruptibili, soli » Deo honor et gloria [3]. » Non videtur Deus noster oculis carnis, sed videtur oculis cordis : non videtur ad tempus, sed videtur in æternum. Sed dicit Paganus : Ostende mihi quem colis. Respondeo : Ego quidem habeo etiam modo quem tibi ostendam, sed tu non habes oculos unde videas. « Beati enim, ait Salvator noster, mundo corde; » quoniam ipsi Deum videbunt [4]. » Cor immundum et

1 Psal. XLVIII, 13. — 2 *Forte* omina. — 3 1 Tim. I, 17. — 4 Matth. V, 8.

tenebris peccatorum obvolutum, Deum quærit videre? « Lux lucet in tenebris, sed tenebræ eam non compre- » henderunt [1]. » Numquid quia cæcus non videt, ideo lux non lucet? Si nosses, o infidelis, dicere Deo vero : « Illu- » mina oculos meos [2], » videres nobiscum nunc per speculum in ænigmate [3], ut possis videre facie ad faciem. Si ex operibus intelligeres artificem, ex creatura conjiceres creatorem. Si expavesceres in te, quia non totum capis te, agnosceres Deum qui fecit te. Non enim vides animam tuam, cum omnia videat anima tua per carnem tuam. Aut si vides animam tuam, dic mihi qualis vel quanta sit : utrum quadra, an rotunda; utrum lenis, an aspera, utrum calida, an frigida; utrum alicujus coloris, an omni colore carens. Video, deficis : ostendere animam tuam qualis sit, non potes. Ecce immortalis est anima tua, et vivificat mortalem carnem tuam. Immortalem dico animam tuam ad utrumque. Si credit, immortalis est ad vitam : si non credit, immortalis est ad pœnam. Credimus ergo Deum immortalem et invisibilem; non illum quem vos infideles Deum fingitis, simul et adulterantem et tonantem : sed Deum verum, totius mundi fabricatorem atque rectorem.

IV. Et Filium ejus Jesum Christum, olim promissum per Prophetas. Tenemus quod jam impletum esse cognoscimus. Sed ideo etiam hoc credere jubemur, quia quando factum est, præsentes non fuimus. Aderant tunc Judæi, ex quorum gente ipse Salvator Apostolos elegit, per quos ad nos fides ista pervenit. In ipsa autem gente in qua et ex qua nasci dignatus est, longe antea Isaïas propheta prædixerat : « Ecce virgo in utero accipiet et pariet fi- » lium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel, quod inter- » pretatur, Nobiscum Deus [4]. » Et alio in loco : « Exiet

[1] Joan. I, 5. — [2] Psal. XII, 4. — [3] I Cor. XIII, 12. — [4] Isai. VII, 14.

» virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet[1] : » virgam significans virginem Mariam, et florem virgæ, filium virginis Dominum Jesum Christum. Judæi antequam ista fierent, legebant, et non intelligebant : cœperunt impleri quæ promissa sunt, et non gaudebant, sed potius invidebant. Nascitur Christus ex virgine sicut flos ex virga, sine ullo composito semine. Nascitur infans parvus, rex magnus. Procedunt certa indicia, et signa magni regis : pastoribus nuntiant Angeli, per stellam velut per novam linguam clamant cœli. Adducuntur de loginquo Magi : veniunt, ut adorent adhuc in præsepi jacentem, sed jam in cœlo et in terra regnantem. Annuntiantibus Magis regem natum, turbatur Herodes ; et ne regnum perdat vult eum occidere, in quem si crederet, et hic securus, et in illa vita sine fine regnaret. Herodes a Judæis ubi Christus nascatur inquirit. Quærunt simul, non sicut Magi adorandum, sed inventum necandum. Quid times, Herodes, quia audis regem natum ? Non venit ille ut te excludat, sed ut diabolum vincat. Sed tu hæc non intelligens turbaris et sævis ; et ut perdas unum quem quæris, per tot infantum mortes magus [2] forte efficeris crudelis. Non te ulla pietas plangentium matrum, aut lugentium patrum funera filiorum, non mugitus et gemitus revocat infantum. Necas parvulos corpore, quia te necat timor in corde : et putas si hoc quod cupis impleveris, diu te posse vivere, cum ipsam vitam quæras occidere. Ille autem fons gratiæ, parvus et magnus, qui in præsepi jacet, thronum tuum terret : agit per te nescientem causas suas, et a captivitate diaboli animas liberat. Suscepit filios inimicorum in numerum adoptatorum. Moriuntur parvuli pro Christo nescientes, parentes plangunt martyres morientes : ille nondum loquentes idoneos

[1] Isai. XI, 1. — [2] *Forte* magis.

suos efficit testes. Ecce quomodo regnat, qui sic regnare venerat. Ecce jam liberat liberator, et salutem præstat salvator. Sed tu, Herodes, nesciens hoc, turbaris et sævis: et dum contra parvulum sævis, jam illi obsequium præbes, et nescis. Ille enim rex magnus qui ad hoc venit, ut per te et per alios suos hinc congreget, tu illi prior ad regnum cœlorum tot millia candidatorum infantum innumerabilem præmittis exercitum. Hanc turbam Apocalypsis illa beati Joannis apostoli demonstrabat, dicens: « Vidi turbam multam, quam dinumerare nemo poterat » ex omni tribu, stantes in conspectu Dei, et induti erant » alba veste, et palmæ fuerunt in manibus eorum [1]. » O magnum donum gratiæ! Quibus eorum meritis præstitum est, ut sic vincerent infantes? Necdum loquuntur, et Christum confitentur. Necdum motibus membrorum valent suscipere pugnam, et victoriæ jam efferunt palmam. Quomodo regnas, Herodes, qui sic vinceris? Parvus ille non te armatorum virorum fortium superavit manu, sed innumerabili vicit turba morientium parvulorum. Vis nosse quid infantibus quos trucidasti, præstiteris? Ideo accelerasti ad eorum vitam, ne cum suis parentibus occiderent veram vitam: hoc illo per te agente, qui novit bene uti etiam malis tuis. Illorum animas liberavit a parentum internecionis suæ societate, et te solum inanem reliquit in scelere. Egit et agit gratia causas suas, et per inimicos suos, et per ipsos, et in ipsis: nam et ipsi qui moriebantur, natura filii iræ erant, sicut et cæteri [2]. Sed quid eis præstitit gratia, nisi ut erueret eos de potestate tenebrarum! Præstitit eis Christus ut pro Christo morerentur, præstitit ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur. Nati sunt ad mortem, sed continuo eos mors reddidit vitæ. Iisdem gradibus, dilectissimi, quibus pe-

[1] Apoc. VII, 9. — [2] Ephes. II, 3.

rierat humana natura, a Domino Jesu Christo reparata est. Adam superbus, humilis Christus : per fœminam mors, per fœminam vita ; per Evam interitus, per Mariam salus. Illa corrupta secuta est seductorem, hæc integra peperit Salvatorem. Illa poculum a serpente propinatum libenter accepit, et viro tradidit, ex quo simul mererentur occidi : hæc gratia cœlesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari. Quis est qui hæc operatus est, nisi virginis filius et virginum sponsus? qui attulit matri fœcunditatem, sed non abstulit integritatem. Quod contulit matri suæ, hoc donavit et sponsæ suæ. Denique sancta Ecclesia quæ illi integro integra conjuncta est, quotidie parit membra ejus, et virgo est.

V. Crucifixum sub Pontio Pilato, et sepultum. Et hoc credimus, et ita credimus, ut inde gloriemur. « Mihi » enim, ait doctor gentium apostolus Paulus, absit » gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per » quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo [1]. » Et nos in hoc gloriemur, in hunc speremus, illi hæreamus. « Simul enim vetus homo noster cum illo crucifixus » est cruci [2]. » Nisi enim crucifigeretur ille, mundus non redimeretur. Pœna illa, salus est nostra. Quod Judæus et gentilis detestatur, Christianus inde salvatur. Sed quare Judæus detestatur? « Quia, sicut Apostolus dicit, illorum » delicto salus gentibus [3]. » Quod delictum commiserunt Judæi? Christum tenuerunt, vinctum Pilato tradiderunt, clamaverunt : « Crucifige, crucifige [4]. » Quare? quam ob causam? Quoniam suscitavit mortuum. Audit Pilatus, invenit innocentem, videt populum sævientem, excusat et dicit : « Ego in isto non invenio causam, accipite eum » vos, et crucifigite. » Quando dicebat Pilatus : « Ego

[1] Gal. VI, 14. — [2] Rom. VI, 6. — [3] Id. XI, 11. — [4] Joan. XIX, 15.

» in isto non invenio causam, accipite eum vos [1] : » quid aliud dicebat, quam hoc : Ad judicem quasi cum reo venistis, sed innocentem legibus tradidistis, in quem nullum crimen probare valuistis. Non ero justus, si secundum desiderium vestrum innocentem occidero : ero ab hoc facto, a vestra seditione alienus, si vobis eum tradidero. « Accipite eum, inquit, vos, et secundum legem » vestram crucifigite. » Et illi, « Nos scimus, inquiunt, » quia reus est mortis. » Quid scit cæcus corde, non corpore? Clamat quod nescit, et ut impleat quod sævit, dicit se scire quod nescit. Iterum Pilatus audit Jesum : et responsis ejus in metum missus, consilium invenit quomodo eum dimitteret. Egressus ad Judæos dixit : « Est » consuetudo ut dimittam vobis unum in Pascha, vultis » ergo dimittam vobis regem Judæorum? Clamaverunt » et dixerunt : Noli ipsum dimittere, sed Barabbam [2]. » Fuit autem Barabbas, ut Evangelista narrat, insignis latro. O cæcitas Judæorum! o furia phreneticorum! « Noli » ipsum dimittere, sed Barabbam : » quid fuit aliud dicere quam, Occidatur Christus salvator, quia suscitavit mortuum; dimittatur latro, ut iterum perpetret homicidium? Sed clamate : quid clamatis nescientes? Occidatur a vobis Christus, et redimantur gentes. Medicus autem ille animarum qui vos videbat phrenesi laborare, somnum salutis ingerebat : et ideo etiam ipse pro nobis dormire volebat. Tanquam diceret : Medicus sum, infirmi estis : infirmitas vestra magna refugit somnum salutis. Ecce dormio ego propter vos, ut, me viso, dormire delectet et vos, et a pœnali morte liberem vos. Sed illis et de illis hoc dicebat, quos credituros in se postmodum noverat, et pro quibus pendens Patrem rogabat, dicens : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt [3]. » Inter

[1] Joan. XIX, 6. — [2] Id. XVIII, 39-41. — [3] Luc. XXIII, 34.

eos erat et ille phreneticus, prius Saulus, postea Paulus[1] prius superbus, postea humilis : et ipse phrenesi laborabat, somnum salutis repudiabat. Sed quid ei fecit medicus? Prostravit sævientem, erexit credentem : prostravit persecutorem, erexit prædicatorem. Prostratus ad terram dormivit phreneticus : surrexit, et factus est medicus. Cœpit in aliis curare morbum quo ipse laborabat, et effectus discipulus cœlestis archiatri, antidotum bibit confectum ex sanguine medici : prior ipse bibit, et bibendum amatoribus propinavit. Hoc antidotum ex sanguine crucifixi confectum, etiam ipsi reges terræ biberunt : et qui erant Ecclesiæ persecutores, ejus facti sunt defensores. Sepulturam vero hujus crucifixi sanctum indicat Evangelium : quod susceptus sit a Joseph, obvolutusque linteaminibus, cum aromatibus positus sit in monumento novo. Homo enim novus sine ulla corruptione ex virgine procreatus, in monumento novo positus est, in quo nondum positus erat mortuus ut sanctitas virginalis uteri in omnibus ornaretur ex convenientia inviolabilis sepulcri.

VI. Tertia die a mortuis resurrexit. Quamvis multi sancti multa hinc senserint atque dixerint. Nam quidam volentes tres dies et tres noctes usque in diem Dominicum exprimere, a nocte præcedente sextæ feriæ, et ipsam sextam feriam concluserunt in unum diem, et noctem sabbati et sabbatum, et noctem Dominici diei et ipsum diem resurrectionis. Alii autem ab ipsa sexta feria, et nocte quæ media die facta est, voluerunt tres dies et tres noctes usque in diem Dominicum exponere, propter illam sententiam Domini in Evangelio positam : « Sicut enim » Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, » ita oportet esse Filium hominis in corde terræ tribus die-

[1] Act. xi.

» bus et tribus noctibus [1]. » Sed nos neutram eorum vacuantes sententiam, melius tamen, si placet, in his spiritalem requiramus intellectum, quomodo Filius hominis fuerit in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus : tres dies tria tempora sæculi ponentes, ante legem, sub lege, sub gratia ; et tres noctes tres mortes, id est, tres mortuos quos suscitavit Dominus præsens in carne, filiam archisynagogi in domo, filium viduæ foris portam, et Lazarum quatriduanum de sepulcro [2]. Unde enim mors, nisi per peccatum? Et quid sunt peccata, nisi magnæ tenebræ quæ faciunt gravem noctem? Ita ergo sibi conveniunt, ut unus dies sit ante legem, quando peccatum latebat : et huic accedit nox illa, quod puella mortua in domo jacebat, tanquam peccatum intra conscientiam latebat. Secundus dies sit sub lege, quando dictum est homini : « Non con» cupisces [3], » et peccatum processit ad publicum : et huic accedit nox illa, quod filius viduæ foris portam, tanquam peccatum animæ, quod intus latebat, processit ad publicum. Tertius dies sit sub gratia, quando jam plus peccat anima, quia scit voluntatem Domini sui, et facit digna plagis [4], et sub tanta plenitudine gratiæ, merito peccatorum jam putet : et huic accedit nox illa mortis Lazari in sepulcro jacentis, tanquam animæ peccatis obrutæ et fœtentis. In his tribus diebus et noctibus fuit Christus in corde terræ, hoc est, jacuit fides Christi in cordibus eorum qui habitant in terra. Habent ergo animæ in his diebus et noctibus et præcepta legis et voces pœnitentiæ, ut resurgere possint cum Christo. Ad diem et noctem latentis peccati, lex illa est generalis : « Quod tibi fieri non » vis, alii ne feceris [5]. » Et vox pœnitentiæ ejus est : « Delicta juventutis et ignorantiæ meæ ne memor fue-

[1] Matth. XII, 40. — [2] Matth. IX, Luc, VII, et Joan. XI. — [3] Exod. XX, 17. — [4] Luc. XII, 47. — [5] Tobiæ, IV, 16.

» ris [1]. » Ad sequentem diem manifestati peccati, lex illa est : « Non concupisces [2]. » Et vox pœnitentiæ ejus est : « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci [3]. » Ad tertium diem et noctem jam sepultæ animæ consuetudine peccati, lex illa est : « Ecce sanus factus es, jam noli » peccare [4]. » Et vox pœnitentiæ ejus est : « Domine, li- » bera animam meam de morte [5] : » et, « Eduxisti ab in- » feris animam meam [6]. » Per tria ista tempora veluti per tres dies resurgunt animæ cum Christo, quibus dicitur per Prophetam : « Resurgent mortui, et excitabuntur » qui in monumentis sunt, et exultabunt omnes qui sunt » super terram [7]. » Et quibus per Apostolum dicitur : « Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit » te Christus [8]. » Et jam resurgentibus, hoc est, a peccatis liberatis dicit : « Si surrexistis cum Christo, quæ » sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei » sedens [9] : » quia Dominus Jesus resurgens a mortuis, assumptus est in cœlos et sedet ad dexteram Dei Patris.

VII. Quis est qui « Sedet ad dexteram Patris? » Homo Christus. Nam in quantum Deus, semper cum Patre et ex Patre; et quando ad nos processit, a Patre non recessit. Hoc est enim esse Deum, ubique esse totum. Totus ergo Filius apud Patrem, totus in cœlo, totus in terra, totus in utero virginis, totus in cruce, totus in inferno, totus in paradiso quo latronem introduxit. Non per diversa tempora vel loca dicimus ubique esse totum, ut modo ibi totus sit, et alio tempore alibi totus : sed ut semper ubique sit totus. Si enim Deus hoc præstitit huic luci quæ videtur nostris aspectibus, ut simul tota ubique sit; neque enim quando hic est, in Oriente vel in aliis parti-

[1] Psal. xxiv, 7. — [2] Exod. xx, 17. — [3] Psal. l, 6. — [4] Joan. v, 14. — [5] Psal. cxiv, 5. — [6] Id. xxix, 4. — [7] Isai. xxvi, 19. — [8] Ephes. v, 14. — [9] Coloss. iii, 1.

bus terrarum non est, sed ubique tota est, et in omnibus tota est, et omnium oculos satiat, et ipsa integra perseverat : si hoc potest creatura, quanto amplius ipse Creator? Sed hoc quod Filius dicitur sedere ad dexteram Patris, demonstratur quod ipse homo, quem suscepit Christus, potestatem acceperit judicantis.

VIII. Inde enim venturus est judicare vivos et mortuos. Adventum ejus liber indicat Actuum Apostolorum. Postea enim quam a mortuis resurrexit, conversatus est cum Discipulis suis quadraginta diebus et quadraginta noctibus, intrans et exiens, manducans et bibens, non quod haberet infirmitatem, sed ut doceret veritatem. Quadragesimo die, ipsis videntibus et quodam modo in cœlum oculis deducentibus, astiterunt illis duo viri in veste alba, qui dixerunt eis : « Viri Galilæi, quid statis » intuentes in cœlum? Iste Jesus, qui assumptus est in » cœlum a vobis, sic veniet quemadmodum vidistis eum » euntem in cœlum [1]. » Veniet ergo, fratres mei, veniet : ille qui prius venit occultus, veniet in potestate manifestus : ille qui judicatus est, veniet judicaturus : ille qui stetit ante hominem, judicaturus est omnem hominem. « Deus manifestus veniet [2]. » Quid est : « Deus ma- » nifestus veniet? » Non sicut prius, homo humilis ; sed sicut Deus homo, majestate sublimis. Et judicabit. Quomodo judicabit? Non enim ut judex terrenus quæsiturus est testes ut te convincat, aut veritatem per tormenta requisiturus ut confessum puniat : cum judex sedeat ipsa justitia, et testis sibi sit ipsa mala conscientia. Ille judex, dilectissimi, nec gratia prævenitur, nec misericordia jam flectitur ; nec pecunia corrumpitur, nec satisfactione mitigatur. Hic, hic, dum tempus est, quidquid potest anima agat pro se, ubi locus est misericordiæ : nam ibi quid pro

[1] Act. I, II. — [2] Psal. XLIX, 3.

se agat non habebit, quia justitiæ solius locus erit. Hic agat anima pœnitentiam, ut ille possit mutare sententiam: hic det panem, ut accipiat postmodum salutem : hic faciat misericordiam, ut ibi inveniat indulgentiam.

IX. Credimus et in Spiritum sanctum. Spiritum sanctum Deum dicimus, nec tamen dicimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres deos, sed unum : quia una est æternitas, una majestas, una potestas. Pater non est Filius, sed Pater est Filii : Filius non est Pater, sed Filius est Patris : Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed Spiritus est Patris et Filii : tres personæ, sed unus Deus. Quomodo, inquis, tres nominas, et unum dicis? Ostende hoc aut ratione, aut aliqua similitudine, per quam intelligi possit quidnam illud sit? Quæ ratio, aut quæ similitudo illi rei invisibili comparari potest? Det tamen veniam ejus majestas, quia aliquam similitudinem quæ occurrit ex ejus creatura, ponit nostra infirmitas, per quam intelligere possit Vestra Charitas. Nisi enim ille permitteret, quis nostrum de ejus divinitate loqui auderet? Non vacat quod omnis creatura subjecta sit Creatori, in nulla tamen alia specie voluit apparere Deus noster quam in igne. Nam et sancto Moysi in rubo in flamma apparuit[1], et filiis Israël ducatum in columna ignis præbuit[2], et super Discipulos congregatos donum Spiritus sancti in linguis igneis effudit[3]. Habet enim hoc elementum magnum sacramentum, per quod exerceat quærentis ingenium. Ecce in igne quædam tria conspicimus, ignem, splendorem et calorem : et cum sint tria, unum lumen est. Simul exurgunt, simulque consistunt : nec ignis præcedit splendorem, nec splendor calorem. Et hæc non confuse unum sunt, nec disjuncte tria ; sed cum unum sint, tria sunt. Simul operantur, et cum inseparabiliter operantur, aliud

[1] Exod. III, 2. — [2] Id. XIII, 21. — [3] Act. II, 3.

igni tribuitur, aliud splendori, aliud calori. Nam cum ad ignem refers ustionem, ibi operatur et splendor et calor : et cum ad splendorem refers illuminationem, simul operatur et ignis et calor : et cum ad calorem refers calefactionem, simul operatur ignis et calor et splendor. Ita cum dicitur quod Deus fecerit mundum, intelligitur Pater cum Filio, et per Filium, et cum Spiritu sancto. Et cum dicimus Filium pro nobis passum, intelligimus passionem Filii operatum fuisse et Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Et cum remissio peccatorum tribuitur Spiritui sancto, intelligimus totam Trinitatem etiam hoc donum inseparabiliter operari. Hæc propter hæreticos Arianos vel alios qui aliter de Deo sentiunt quam dignum est, dicta sunt Vestræ Charitati. Cæterum illud quod est ineffabile est, incomprehensibile est, nec verbis angelicis explicari potest, quanto magis humanis?

X. Remissionem peccatorum. Omnia prorsus delicta delet sanctum baptisma, et originalia et propria : dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur. Innovat hominem, qui fecit hominem, donat delicta, qui non quærit merita : prævenit gratia etiam ipsam infantiam, ut sint liberi per Christum liberati, qui in Adam a diabolo tenebantur ante captivi.

XI. Carnis resurrectionem. Omnis spes fidei nostræ hæc est, quoniam resuscitabimur. « Omnes quidem re» surgemus, ait Apostolus, sed non omnes immutabi» mur [1]. » Resurgent boni, resurgent mali ; sed boni ut sempiterna beatitudine fruantur, mali ut perpetuo igne puniantur. Ibi discernetur fidelis ab infideli, ut accipiat fides præmium, et perfidia supplicii obtineat locum. Nec sibi frustra blandiantur increduli, qui audiunt in Psalmo: « Non resurgunt impii in judicio [1]. In judicio » dictum

[1] 1 Cor. xv, 51.

est, id est, non ut judicentur resurgent, quia per infidelitatem olim damnati sunt, secundum illam sententiam dominicam : « Qui non credit, jam judicatus est [1]. » Apostolus autem ut tolleret de cordibus infidelium omnem dubitationem, seminantis proposuit similitudinem, et ait : « Stulte, tu quod seminas non vivificatur, nisi » moriatur [2]. » Quid autem fiat in semine, puto neminem vestrum ignorare, quemadmodum grana triturata, purgata, recondita proferantur, projiciantur, obruantur. Nisi enim esset messis fertilitas nota, ista crederetur insania. Attamen cum obruuntur et ab oculis demittuntur sub terra, mortua jacent. Jam si curiositas exigat ea videre antequam pluvia descendat : videt putrefactum atque corruptum quod demiserat integrum. At si spes messis desit, dolor cor urit ; perdidisse se credit, quod reconditum habuit. Cum autem pluvia advenerit, quomodo delectat respicere herbam virentem, calamum surgentem, ad nodos pervenientem, culmum producentem, spicas proferentem? Delectat-ne videre quod mortuum jacebat, sic revixisse? Sed non sibi assignet terra fertilitatem, quoniam « Dominus dat suavitatem [4]. » Si enim pluvia desuper non descendat, etiam terra bona non spicas, sed profert spinas quæ igni tradantur, non quæ horreo recondantur. Similiter et terra nostra, hoc est caro nostra, sive hic, sive ibi, non sibi assignet merita : sed agnoscat etiam illic accepturam se gratiam pro gratia.

XII. In vita æterna. Bonum omne illud, quod resuscitabimur, quod a peccatis liberabimur, sempiternum erit, et ideo bonum sempiternum erit, quia in æterna vita manebit. Quod sit autem illud bonum quod promittit Deus sanctis suis, quis explicet verbis suis? Facilius tamen possumus dicere in illa vita æterna quid ibi non

[1] Psal. I, 5. — [2] Joan. III, 18. — [3] I Cor. XV, 36. — [4] Psal. LXXXIV, 13.

sit, quam quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames; nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœstitia, nulla tristitia. Ecce diximus quid ibi non sit : quid autem ibi sit vultis nosse? Hoc est : « Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis » ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se [1]. » Si in cor hominis non ascendit, cor hominis illuc ascendat. Mundetur cor ab omni immunditia, ut possit portare Deum, qui est vera sempiternaque justitia. Manet enim Deus in corde credentis et se diligentis : et manet homo in Deo, id est, in æterna vita, quod est præmium Deum amantis.

XIII. Nec amare, nec diligere quis potest, qui in Ecclesia ejus non est : quoniam omnis qui præter illam est, nec cum Deo est, qui vita æterna est. Ideo sacramenti hujus conclusio per Ecclesiam terminatur, quia ipsa est mater fœcunda, integra et casta, ubique diffusa, quæ filios Deo spiritaliter parit, quæ parvulos lacte verborum ejus spiritaliter nutrit, quæ pueros sapientiam docet, quæ adolescentes a luxuria atque impudicia sua sancta castitate custodit, quæ juvenes robore virtutis contra diabolum armat, quæ senes prudentiam docet, quæ seniores ætate provectos venerabiles facit. Per hanc juvenes et virgines, seniores cum junioribus, ætas omnis et uterque sexus laudant nomen Domini [1]. Hæc errantes filios revocat, mortuos graviter dolet, secum perseverantes indeficienter pascit. Hanc, dilectissimi, amemus omnes : tali matri sic amanti, sic prospicienti, sic consulenti inseparabiliter inhæreamus ; ut simul cum illa et per illam Deo Patri perpetuo conjungi mereamur.

[1] 2 Cor. II, 9. — [2] Psal. CXLVIII, 12.

DE SYMBOLO

AD CATECHUMENOS

SERMO IV.

I. Dum per sacratissimum crucis signum vos suscepit in utero sancta mater Ecclesia, quæ sicut et fratres vestros cum summa lætitia spiritaliter pariet, nova proles futura tantæ matris, quo usque per lavacrum sanctum regeneratos veræ luci restituat, congruis alimentis eos quos portat pascat in utero, et ad diem partus sui lætos læta perducat : quoniam non tenetur hac sententia Evæ, quæ in tristitia et gemitu parit filios [1], nec ipsos gaudentes, sed potius flentes. Hæc solvit, quod illa ligaverat, ut prolem quam per inobedientiam sui morti donavit, hæc per obedientiam restituat vitæ. Omnia sacramenta quæ acta sunt et aguntur in vobis per ministerium servorum Dei, exorcismis, orationibus, canticis spiritalibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, humilitate pedum, pavor ipse omni securitate appetendus, hæc omnia, ut dixi, escæ sunt, quæ vos reficiunt in utero, ut renatos ex baptismo hilares vos mater exhibeat Christo. Accepistis et Symbolum, protectionem parturientis contra venena serpentis. In Apocalypsi Joannis apostoli scriptum est hoc, quod staret draco in conspectu

[1] Gen. III, 16.

mulieris quæ paritura erat [1], ut cum peperisset, natum ejus comederet. Draconem diabolum esse, nullus vestrum ignorat. Mulierem illam virginem Mariam significasse, quæ caput nostrum integra integrum peperit, quæ etiam ipsa figuram in se sanctæ Ecclesiæ demonstravit: ut quomodo filium pariens virgo permansit, ita et hæc omni tempore membra ejus pariat, virginitatem non amittat. Ipsas sententias sacratissimi Symboli adjuvante Domino exponendas suscepimus, ut quid singulæ contineant, vestris sensibus intimemus. Parata sunt corda vestra, quia exclusus est inimicus de cordibus vestris. Mundata est domus, non remaneat inanis; ne cum vacuam desertor invenerit, adducat secum alios septem nequiores se, et efficiantur hominis illius posteriora, ut Evangelium loquitur, pejora prioribus [2]. Mox ut exclusus fuerit pessimus invasor, introducatur optimus possessor. Quis est invasor? Diabolus. Quid invasit? Hominem quem non fecit, insuper et decepit. Promisit ei immortalitatem, et propinavit iniquitatem. Huic vos renuntiare professi estis: in qua professione, non hominibus, sed Deo et Angelis ejus conscribentibus, dixistis: Renuntio Renuntiate non solum vocibus, sed etiam moribus; non tantum sono linguæ, sed et actu vitæ; nec tantum labiis sonantibus, sed operibus pronuntiantibus. Scitote vos cum callido, antiquo et veternoso inimico suscepisse certamen: non in vobis post renuntiationem inveniat opera sua, ne jure vos attrahat in servitutem. Deprehenderis enim et detegeris, Christiane, quando aliud agis et aliud profiteris: fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuæ fidem: modo ingrediens Ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis histrionibus impudice clamare. Quid tibi cum pompis

[1] Apoc. XII, 4. — [2] Luc. XI, 26.

diaboli, quibus renuntiasti? Ut quid claudicatis ambobus inguinibus? Si Deus est, ite post illum : si mundus est, ite post illum. Si Deus elegitur, serviatur illi secundum ipsius voluntatem : si mundus eligitur, ut quid fictum cor quasi Deo accommodatur? Quisquis contempto Deo sequeris mundum, et ipse te deserit mundus. Non vis bonus implere voluntatem Dei, et de te malo impletur voluntas Dei. Sequere adhuc quantum potes fugitivum, et si potes apprehende eum, tene eum : sed video, non potes, fallis te. Ille enim labiles motus suos torrentis ictu percurrens, dum te videt inhærentem sibi et tenentem se, ad hoc te rapit, non ut salvet, sed ut perdat te. Quid tibi cum pompis diaboli, amator Christi? Noli te fallere : odit enim Deus tales, nec inter suos deputat professores, quos cernit vitæ suæ desertores. Ecce ruinosus est mundus, ecce tantis calamitatibus replevit Deus mundum, ecce amarus est mundus, et sic amatur. Quid faceremus, si dulcis esset? O munde immunde, teneri vis periens, quid faceres si maneres? Quem non decipe-res dulcis, si amarus alimenta mentiris? Vultis, dilectissimi, non inhærere mundo? Eligite amare Creatorem mundi : et renuntiate pompis mundanis, quibus princeps est diabolus cum angelis suis.

II. Credite. Sic crede, ut desideres videre quod credis. Dicit aliquis : Ecce credo, et desidero videre quod credo: utinam mihi ostenderetur, ut fides mea ipsa visione lætaretur. Si nunc videres, non crederes : ideo credis, quia non vides : sed ita crede, ut videas. Fides, opus est : visio Dei, merces est. Præpostere vis accipere mercedem, qui non laborasti in opere. Nonne omni operanti penes te, recte a te merces non datur, nisi opus perficiatur? Quod agis cum servo tuo, hoc pete a Domino tuo. Tibi confert, quod per fidem te exercet : differendo visionem

suam, commendat donum suum, non negat, ut amplius desideres dilatum, ne vilescat cito datum. Nec tamen te deserit, qui utiliter nunc visionem suam subtrahit : oculi tui eum non capiunt. Cæterum ipse te omni tempore attendit. Adhibe oculos fidei. Nonne faciem ejus respicis, cum in ejus unigenito Filio credis? Nonne manus ejus vides, cum universam creaturam attendis? Nonne os ejus audis, quando præcepta ejus recitari advertis? Orationem tuam quomodo fundis, nisi scias te ad illum pervenire, de quo dicit Propheta : « Ecce oculi Domini super » justos, et aures ejus ad preces eorum [1] ? » Si autem et pedes ejus quæris nosse, audi quos voluit esse pedes suos. « Quam pretiosi pedes, inquit, eorum qui annuntiant » pacem, qui annuntiant bona [2]. » Conscripimus membra : sed non in his membris humanis continetur Deus, quoniam non est in loco, sed ubique totus est. Diximus secundum modum intelligentiæ humanæ, non secundum ineffabilem virtutem majestatis divinæ. Vis nosse qualis sit? Vide facturam, et intelliges factorem : perscrutare quæ fecit, et intelliges eum qui omnia creavit. Ecce ait Deo Propheta : « Cœli cœlorum non te ca- » piunt [3]. » Et quem non capiunt spatia cœli, capiunt angustiæ cordis humani, ipso dicente : « Inambulabo in illis, » et inhabitabo [4]. » Et Dominus Jesus : « Qui me diligit, » diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et mani- » festabo ei me ipsum : et veniemus ad eum, et mansio- » nem apud eum faciemus [5]. » Ecce qualem te fecit omnipotens qui te creavit. Agnosce te prius qui sis, et cognosces qui te fecit qui sit. Rex terrenus, ideo mortalis, quia visibilis : Rex cœlestis immortalis, et invisibilis. Rex terrenus cum nihil creaverit, omnia tamen in po-

[1] Psal. xxxiii, 16. — [2] Isai. lii, 7, et Rom. x, 15. — [3] 2 Par. vi, 18. — [4] 2 Cor. vi, 16. — [5] Joan. xiv, 21 et 23.

testate accepit : et non credis Regem qui omnia creavit, quod cuncta gubernet et regat? Quomodo, inquis, cuncta gubernat et regit? Ecce tanta mala fiunt in mundo, et non vindicat. O homo, ideo negas ejus potentiam, quia magnam ille exhibet patientiam? Peccantem quidem impunitum non dimittit : servat, aut pœnitendo corrigendum, aut ultimo judicio puniendum. Crede mihi, o tu quisquis es qui de malis quereris, quoniam omnes mali sumus. Si, ut vis, Deus malis statim retribueret mala ; nullus remaneret qui de alio murmuraret. Sed ideo ille Rex magnus, qui novit quomodo regat quod creavit, non implet voluntates perversas, sed suam perficit rectam, ut te doceat patientiam suam. Non tu Deum velis convertere ad furias tuas : regat te qui fecit te : nam si volueris regi a te, statim cades per te. Tandiu primus homo ille stetit, quandiu Deo adhæsit : dimisit, et dimissus est. Voluit probare vires suas, et invenit miserias et nostras et suas. Quam bonum illi esset, si hoc faceret quod Psalmus admonet : « Facta in Domino curam tuam, et ipse » te enutriet [1]. » Si tunc ille homo noluit esse cautus, nunc homo caveat vel expertus.

III. Confiteamur, intelligamus habere nos Regem immortalem et invisibilem : « Quem nemo hominum vidit, » nec videre his oculis potest [2]. » Apostoli hæc verba sunt. Si nemo hominum vidit, quomodo locutus est cum Moyse os ad os, sicut quis loquitur ad amicum suum? Irruit quæstio non parva. Ait enim Dominus : « Non quo- » modo cum aliis per ænigmata, ita loquar ad Moysen » famulum meum, sed os ad os loquar illi [3]. » Et subjunxit Scriptura quæ supra diximus : « Quoniam loque- » batur Moyses cum Deo os sd os, sicut quis loquitur ad » amicum suum. » Si os ad os loquebatur cum eo, et vi-

[1] Psal. LIV, 23. — [2] 1 Tim. VI, 16. — [3] Num. XII, 8.

debat eum, quomodo verum est illud apostolicum, quod « Deum nemo vidit unquam, nec videre potest [1] ? ». Si autem videbat eum Moyses, quid est quod idem ipse post paululum pro magno petit, et dicit : « Si inveni gratiam » ante te, ostende mihi faciem tuam? » Et Dominus illi : « Facies quidem mea non videbitur tibi : non enim vi- » debit quis faciem meam et vivet [2]. » Ubi est illud quod videbat? Etsi videbat, cur desiderabat videre quod videbat? Aut quomodo illi negabatur id, quod jam demonstrabatur? Exercet ingenium quærentis. Videbat Moyses Deum non oculis corporeis, sed oculis mentis. Et quia lux illa perpetua, quæ Deus est, plus eum quam cæteros illustraverat, ideo dictum est : « Os ad os loquebatur » illi : » ac si diceretur : Plus omnibus manifestatus est illi. In eo autem quod dictum est : « Non enim quis po- » terit videre faciem meam et vivere : » ostensum est neminem his oculis corporeis Deum posse videre. Quid autem concessum sit fidelissimo famulo Dei Moysi, ne tam magnum ejus desiderium in omnibus frustraretur, debet nosse Charitas Vestra. Dictum est illi a Domino, sicut eadem Scriptura narrat : « Vade, ascende super petram in » Choreb, et sta ibi; et transiet claritas mea ante te, et » posteriora mea videbis; facies autem mea non videbitur » tibi. » Ne forte subrepat perversus intellectus, aut hæreticus sensus, et putet quis Deum esse corporeum, vigilet pia fides et catholica doctrina. Mysticis enim figuris loquitur divina Scriptura, servans rebus tempora, quibus recognitis manifesta exerceat veritate : quoniam nec hoc vacat a mysterio, quod in monte Choreb super petram jussus est ascendere Moyses, et stare [3]. Ipsa est illa petra, quæ percussa produxit aquas populo sitienti : de qua dicit sanctus David : « Disrupit petram, et fluxerunt

[1] 1 Tim. VI, 16. — [2] Exod. XXXIII, 13 et 20. — [3] Id. XVII, 6.

» aquæ [1]. » Apostolus autem exponens hoc ait : « Patres » nostri escam spiritalem manducaverunt, et eumdem » potum spiritalem biberunt. Bibebant enim de spiritali » consequente eos petra. Petra autem erat Christus [2]. » Ipsa sunt illa posteriora Dei, Christus Dei. Hoc vidit Moyses prophetando, quod Paulus exponit dicendo : « Cum ve- » nit, inquit, plenitudo temporis, misit Deus Filium » suum factum ex muliere [3]. » Mulierem hic ponit, consuetudinem servans locutionis Hebrææ, quæ omnes fœminas mulieres appellat. Nam scriptum est : « Servate » mulieres quæ nondum cognoverunt virum [4]. » Et de ipsa Eva dictum est : « Formavit eam in mulierem [5] : » antequam illam viro conjungeret, eam mulierem appellavit.

IV. Fides autem et veritas hoc prædicat, quod Christus sit natus ex virgine. Sic accepistis, sic vos credere dixistis : Credo. Hæc nativitas Dei et hominis facta est causa hominis : ut sublimis illa Majestas procedens ex corde Patris, infunderet se in utero matris, causa exegit pietatis ; ut homo inveniretur perditus, et Deo Patri per Mediatorem restitueretur inventus. Mira tamen hæc nativitas secunda, fratres dilectissimi. Cæterum illam primam, qua de Patre natus est sine aliqua matre, quis enarrabit? Si hanc non possumus explicare, illam quando valemus vel inchoare? Si hæc ita nos exercet, ut fidei det locum ; illam quando attingimus, quam nec corda potuerunt comprehendere Prophetarum? De hac tamen secunda mira et ineffabili dicamus aliquid, quod factum est pro nobis, ut Verbum caro fieret, et habitaret in nobis [6]. Quis enim non expavescat, cum audit Deum natum? Audis nascentem, vide in ipso ortu miracula facientem.

[1] Psal. LXXVII, 20. — [2] 1 Cor. X, 4-5. — [3] Gal. IV, 4. — [4] Num. XXXI, 18. — [5] Gen. II, 22. — [6] Joan. I, 14.

Alvus tumescit virginis, claustrum pudoris permanet : impletur uterus matris sine ullo complexu patris, sentit prolem quæ se ignorabat conjugem. Angelus ad virginem loquitur, a virgine cor præparatur, Christus fide concipitur. Miraris hæc? Adhuc mirare. Parit mater et virgo, fœta et intacta : nascitur filius sine homine patre, qui fecit et ipsam matrem. Factor omnium fit inter omnia : portatur manibus matris rector totius orbis : lambit ubera, regens siderat : tacet, et Verbum est. Necdum per linguam se demonstrabat quis esset, et universa creatura suum natum indicat Creatorem. Angeli pastoribus annuntiant, stella Magos invitat : rusticitas pastorum admonitionem exigit Angelorum, curiositas Magorum instructa est lingua cœlorum. Magi Judæorum regem prædicant, Judæi abnegant : illi quærunt adorare, isti quærunt occidere. Dicunt Magi Herodi regi quem quærunt natum Regem : dicunt Judæi ex qua civitate Christus surgat regnare. Utrique prædicant, utrique confitentur : sed illi aliter, isti aliter; illi ut inventus adoretur, isti ut captus necetur. O Judæi, ad hoc ferentes in manibus lucernam Legis, ut aliis viam demonstretis, et vobis tenebras ingeratis : ecce Magi primitiæ gentium Christo offerunt munera, non solum aurum, thus et myrrham, verumetiam animas suas; et vos repudiat iniquitas propria, ut illum qui vos venit obligatos liberare, dementes effecti eum quæratis occidere. Quid vobis profuit, quod prodidistis Herodi, ubi Christus nasceretur? Nonne vos læsistis quam Christo aliquid nocuistis? Audiens enim ille a vobis ubi Christus natus possit inveniri, vestræ gentis infantes continuo præcepit occidi. Sævit Herodes, ut inter multos perdat unum : et plurimos necando se efficit reum, nec occidit quem quærit hominem Deum. O Herodes, magna tua iniquitas : et in-

fantes necas, et tuæ nequitiæ testes cumulas; et Christus a te non invenitur, quia nondum venit ejus hora ut patiatur. Teneris quidem persecutor Christi et reus mortis ejus, nihil agendo in ipso : sed dum multa agis contra ipsum, perdidisti te ipsum. Quid metuis talem Regem, qui sic venit regnare, ut te nolit excludere? Quem quæris, Rex regum est : si velles securus obtinere tuum regnum, ipsi supplicares, ut ab illo acciperes sempiternum. Regnet Christus quomodo venit regnare, suscipiat credentes, irrideat persequentes, faciat certantes, adjuvet laborantes, coronet vincentes, donet sanctitatem, amet castitatem, remuneret virginitatem. Gaudete, virgines sanctæ, virgo peperit Christum. Non vos contristet sterilitas, quarum fides magna est fœcunditas : nec doleatis non vos esse matres, quæ spiritaliter generatis, virgines permanetis, filios suscipitis, integritatem non amittitis. Accepistis ab illo nomen maternum, ut decus castitatis in vos permaneat sempiternum. Amate quod estis, servate quod accepistis. Imitamini fideles matrem capitis vestri, sponsi vestri : non vobis denegavit pignora, qui natus est de virgine Maria. Quod tantæ matri contulit, et in sua carne servavit, hoc etiam vobis donavit, virgo mater, sancta caro Christi ab omni contagione integra. Sed nec ipsa caro ejus sterilis fuit, dum per eam prædicando spiritales filios regeneravit ad vitam, et post passionem per totum mundum fructificavit occisa.

V. Crucifixi. Ex hoc omni libertate assumpta, fiduciam sui anima capiat christiana. Non enim erubescere debet in crucifixum se credidisse christum. Crux illa fidelibus non est opprobrium, sed triumphus. Crux illa vexillum nostrum est contra adversarium nostrnm diabolum : pugnavit enim Rex noster pro nobis contra adversarium nostrum. Adversarius diabolus noster mortem

minando terrebat, sed Christus æternam vitam promittebat. Adversarius diabolus carnem perempturum se esse dicebat : Rex autem noster ut doceret quomodo ejus exercitus vinceret, in se demonstravit mortem corporis non esse timendam, dum prior ipse pro omnibus dignatus est mori, ne ejus exercitus a diabolo in anima posset occidi. Hoc agebat in illo prælio diabolus, si sibi consentiretur : animas perdere cupiebat, et salutem corporibus promittebat. Christus mori docebat ad tempus, et animam et corpus vivere in æternum. Ille dicebat : Si mihi consenseritis, dabo vobis vitam istam temporalem ; Christus dicebat : Si a me non discesseritis, nec temporalem perditis, et æternalem accipietis. Diabolus dicebat : Nolite perdere istam lucem ; Christus dicebat : Ego qui feci et istam, dabo meliorem. Quod ille promittit, ait Christus noster, in potestate dare non habet, et hæc lux mea est, et hæc vita, me creata est : sed illam propter quam docendam veni a multo excellentior et melior est. Transite a bono ad melius, ne diabolo consentiendo remaneatis in pejus. In hoc tam magno certamine dum diabolus captivat, Christus liberat : diabolus decipit, Christus redimit : diabolus occidit, Christus restituit. Inter hæc omnia ipsum nostrum Regem adversarius diabolus existimavit carne perimendum, tanquam capite prostrato cætera sibi membra facilius subjugaret : falsusque in hoc quod videbat, Deum latere in carne minime cogitabat : inscius tanti sacramenti, quod ille Mediator esset, et ita temperaret Deum in homine, ut hominem conjungeret Deo ; occidit quasi potentem hominem defendentem homines, et sensit Deum liberantem omnes quos creaverat homines. Denique in ipsa passione videte spectaculum tanti certaminis. Armatur Judas ut pretio vendat magistrum, et qui erat in numero Discipulorum,

fit particeps consilii Judæorum, dat osculum falsum, in quo erat nequitiæ signum : fingit pacem plenus malitia in corde. Excitantur Judæi, veniunt cum facibus, laternis et armis : quærunt multi unum, et veniunt filii tenebrarum, ferentes in manibus lucem, per quam illam veram aliis demonstrarent, quam ipsi cæcati corde non poterant retinere. « Dominus autem Jesus sciens omnia quæ ven- » tura erant super se (non enim aliquid ignorabat qui ad » hoc venerat) egressus est ad eos, et ait illis : Quem » quæritis ? At illi : Jesum Nazarenum. Ait illis : Ego » sum. Quando autem illis dixit : Ego sum, abierunt re- » tro, et ceciderunt in terram [1]. » Ecce radius veræ lucis latens adhuc sub nube carnis, respexit tenebras, et prostravit ad terram. Quomodo tunc Judæi audebunt illam respicere claritatem, quando istam infirmitatem tolerare minime potuerunt ? Sed ut impleret propter quod venerat, exurgunt rursus tenebræ : dat eis potestatem, capiunt tenebræ lucem, non sequendam, sed occidendam: permittit se lux ab eis teneri, duci, suspendi, occidi, ut expoliatus nube carnis, fulgorem redderet majestatis. Quæ tandem acta sunt in illo certamine ? Quam fortiores sibi esse videbantur ministri diaboli, dum fremerent dentibus, dum irriderent, dum caput agitarent, dum spineam coronam imponerent, dum vestimenta ejus conscinderent, dum viderent pendentem illum quem viderant miracula facientem, dum fel et acetum darent, dum lancea perfoderent. Qualis vox veluti victoriæ eorum fuit dicentium : « Si Filius Dei est, descendat de cruce [2]. » Sed hoc ille per eos clamabat, qui patientiam Christo auferre cupiebat, ut excitatus insultationibus Judæorum, demonstraret potentiam, sed perderet patientiam. Ille autem Rex fortis, et singulare consilium per quod nasci-

[1] Joan. XVIII, 4-6. — [2] Matth. XXVII, 40.

tur et regitur omne sanum consilium, utramque aciem respiciebat, utramque aciem servabat, et patientiæ, et potentiæ : et quod servavit, exhibuit. Nam et patientiam servavit, quia de cruce non descendit : et potentiam demonstravit, cum de sepulcro surrexit. Dum in cruce pependit, falsa victoria Judæorum : dum de sepulcro surrexit, vera confusio Judæorum, et sempiterna victoria Christianorum. Dum in cruce pependit, mœsti, contristati, dispersique Discipuli : dum de sepulcro surrexit, gaudentes, una in domo sunt congregati. Dum in cruce pependit, diffidentia Discipulorum : dum de sepulcro surrexit, congregatio gentium. Dum in cruce pependit, timore negavit Petrus : dum de sepulcro surrexit, amore totus credit mundus. Non solum tunc actum est hoc certamen, sed nunc agitur : pugnatur, laborant membra Christi urgente adversario, resistitur illi ; quoniam caput nostrum jam sedet in cœlo. Ad hoc ille pugnare voluit, ut te doceret quomodo vinceres. Sed si vires tuæ parvæ sunt, ipsum invoca salvatorem, ipsum invoca adjutorem : Cum te perspexerit fideliter invocantem : qui pro te pependit in ligno, et hic victoriam, et coronam victoriæ præparabit in cœlo.

VI. Tertia die. Triduana mors Domini per Prophetas et prædicta est, et promissa, et impleta. Nam Osee propheta ait : « Post biduum suscitabit nos, die tertia » veniemus, et quasi ante lucem paratum illum invenie- » mus [1] : » ostendens nos in illo resurgere, quoniam dignatus est carnem, in qua moreretur, a nobis accipere. Quid jam dicam de figura illa Jonæ prophetæ, quem ipse Dominus expressius demonstrans, ait ad Judæos : « Gene- » ratio hæc, generatio nequam est ; signum quærit, et » signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.

[1] Osee, VI, 3.

» Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et » tribus noctibus, ita oportet esse et Filium hominis in » corde terræ tribus diebus et tribus noctibus [1]. » Ipsam figuram propheticam comparando, breviter percurramus. Missus est Jonas ad civitatem Ninive, ut ejus finem prædicaret : missus est Christus a Patre, ut finem mundi omnibus demonstraret. Fugit Jonas in Tharsis a facie Domini : fuga Jonæ, velox transitus Christi : de quo dicit Propheta : « Exultavit ut gigas ad currendam viam [2]. » Ascendit navem Propheta fugiens : lignum Christus ascendit, per mare hujus sæculi transiens. Irruit tempestas magna in mari : perturbatio maris, perfidia Judæorum. Data est sors, ut Propheta fugitivus in mare mitteretur : sors data est super Christi vestimenta, ut unitas omni mundo prædicaretur. Projectus est e navi in mare Jonas : mors Christi in cordibus gentium collocata est. Susceptus est a bestia Propheta, custodiendus, non comedendus. Audi hic ipsius vocem Christi per sanctum David : « Non » derelinques animam meam apud inferos, nec dabis » sanctum tuum videre corruptionem [3]. » In ventre bestiæ marinæ positus Jonas sanctus oravit : in inferno Christus descendens mortuos suscitavit. Tertio die Propheta littori incolumis est redditus : die tertio Christus de sepulcro surgens, super cœlos est exaltatus. Ad prædicationem Jonæ per pœnitentiam salvata est civitas : per Christi prædicationem sancta Jerusalem redempta est civitas.

VII. Assumptus in cœlum. « Qui descendit, ait Apos- » tolus, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut » adimpleret omnia [4]. » Quis est qui descendit? Deus homo. Quis est qui ascendit? Idem ipse Deus homo.

[1] Matth. XII, 39 et 40. — [2] Psal. XVIII, 6 — [3] Id. XV, 10. — [4] Ephes. V, 10.

Agnoscat se omnis homo, quoniam propter hominem Deus factus est homo. Quod pro te suscepit, levavit in cœlum; terrenumque corpus fecit cœleste. Si credis et tu quod possis resurgere, et in cœlum ascendere; quia certus es de tanto pignore, securus eris de tanto munere. Regnat homo jam susceptus a Christo, ad dexteram Patris sedens : et ut sui ab illo regnum accipiant, vocat, invitat, hortatur. Festinet ad eum omnis anima, quæ avida est gloriæ, pergat ad talem regem, a quo ut accipiat potestatem, non ei pretium pecuniæ dabit; sed plenam perfectamque fidem cum ad eum attulerit, etiam Angelos judicabit.

VIII. Inde venturus. Quis est iste, qui expectatur venturus mortuos vivosque judicare, nisi ille homo qui pro nobis dignatus est in cruce pendere? Homo susceptus expectatur ut veniat. Cæterum secundum id quod Deus est, et Patri æqualis est, semper judicat, et semper præsens est. Veniet autem Redemptor noster in ea forma, in qua assumptus est, ut impleatur illud quod de eo ait propheta Zacharias : « Videbunt in quem pupugerunt [1]. » Videbunt ergo Judæi Deum hominem semper regnantem, quem negando desperaverant morientem. Judicabit eos in animis mortuos, qui venturus est resuscitare mortuos. Duobus enim modis hæc sententia accipitur : Vivi et mortui in anima : item vivi et mortui in corpore. Secundum priorem, judicabit vivos in anima, credentes; et mortuos in anima, fidem nullam habentes : secundum posteriorem, judicabit vivos incarne, quos præsentes invenerit ejus adventus; judicabit et mortuos in carne, quos resuscitaturus est Deus excelsus. Eligamus, dilectissimi, ut vivos nos inveniat ejus adventus in anima; ne peccando simul ab illo damnetur caro et anima. Finis

[1] Zach. XII, 10 et Joan. XIX, 37.

mundi in proximo est : etsi, ut quidam putant, in proximo non est, dies ultimus uniuscujusque nostrum incertus est. Quid differimus, si ad beatam vitam tendimus? Corrigamur, dum tempus est emendemur : bonas causas habeamus, ut futuram diem judicii non timeamus.

IX. Credo in Spiritum sanctum. Spiritus sanctus Deus est, Patre Filioque non minor, sed una majestas, una potestas, inseparabilis Trinitas, indivisibilis sanctitas, simul ubique tota : Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, non tres dii, sed Trinitas unus Deus. Nec tempore separatur Filius a Patre, quoniam æternum Verbum Patris est : nec major est Filio Pater, quoniam æqualem genuit Deus Deum sine tempore, per quem fecit tempora. Nec Spiritus sanctus minor est Patre et Filio ; cum sit charitas atque concordia Patris et Filii. Quomodo enim Filius minor est Patre, ut Arianus hæreticus prædicat, cum Apostolus eum dicat Dei virtutem et Dei sapientiam? Si virtus et sapientia Patris Filius est, qui eum minorem dicit, Deo Patri contumeliam facit[1] : quoniam eum et minorem sapientiam et infirmam virtutem in se habere contendit. Aut quomodo Spiritum sanctum minorem prædicat etiam Filio, cum membra Christi templum Apostolus ponat Spiritus sancti? « Vos, inquit, es- » tis corpus Christi et membra[2]. » Et alio loco : « Nesci- » tis, inquit, quia membra vestra templum in vobis est » Spiritus sancti[3]? » Quomodo Deus non est, qui templum habet : aut quomodo minor est Christo, cujus membra templum habet? Non sunt diversi gradus, ubi est una Trinitas et trina æternitas. Qui enim diversos gradus componit, ipse se ab unitate præcidit. Quomodo exultas, Ariane, quod teneas veritatem, cum te malus error a catholica doctrina separans, hæreticumque pro-

[1] 1 Cor. I, 24. — [2] Id. XII, 27. — [3] Id. VI, 19.

testans a communione totius orbis secernens in uno angulo damnaverit? Cavete, fratres, doctrinas hæreticorum, tanquam insidias luporum. Oves Christi, audite vocem pastoris vestri. « Qui intrat per ostium in ovile ovium, » ille pastor est, ait; qui autem ascendit per aliam par- » tem, fur est et latro [1]. » Cavete fures, cavete latrones; non quiescit pastor clamare, non sinit etiam suos canes tacere. Non se sequestret ovis a summo pastore, ne ipsa se in deprædationem nequissimi offerat lupi raptoris.

X. In remissionem peccatorum. Fortiter tenete, fideliter sperate, patienter expectate : reddetur vobis novitas per baptismum, vetustate discedente : deonerabitur anima sarcinis peccatorum, ut libertate novæ vitæ induta, adversus diabolum cum adjutorio divino valeat fortiter dimicare, eumque a quo superata est ita superet, ut in regno Dei translata, de hoste devicto secura, regnet cum suo capite Christo.

XI. Carnis resurrectionem. Magna fides est necessaria, quoniam magnum præmium promittitur. Nec attendatis quid nunc fit, sed quid tunc fit : quod enim nunc fit, multos movet. Quem enim non movet, cum videt tantam speciem, tantam pulchritudinem, tantumque decorem, hominem formatum resolvi in pulveres, ossa dispergi, terram terræ mandari? Non te ista, Christiane, deterreant. Seminatus est homo, non perditus. Anima quidem discedente habitaculum ejus solvitur : non est enim præsto illa domina, quæ curam gerat luteæ domus, atque ejus restauret ruinas. Vadit enim, ut magno præmio regnum comparet sempiternum. Quid ergo metuis, o anima? Christo Domino dicata es : atque ipso donante bene vivis, et ad regnum Dei pervenire contendis. Ut quid formidas vehiculum mortis? Proficis-

[1] Joan. x, 1.

ceris quidem, et injuriam patietur ad tempus caro tua : reverteris cum summo Rege regnans, et talis tibi reddetur quæ nequeat corrumpi, et tecum maneat sempiterna. Si ad hoc pergis ut melior efficiaris, non credis, quoniam meliori et in regno cœlorum quodam modo administranti melius tibi præparabitur hospitium? Si hæc terrena, lutea, fragilis, tantam tibi exhibuit pulchritudinem ; restaurata et cœlestis effecta qualem tibi exhibebit decorem? Si hanc tantum diligis, quæ paululum manet et transit in tempore ; illam quantum amabis, quæ decore suo nunquam carebit, quoniam in ætternum vita manebit?

XII. Hoc sequitur in sancto Symbolo, quod omnia quæ credimus et speramus, in vita æterna percipiamus. Vita æterna, dilectissimi, nunquam vilescat, semperque dulcescat. Si amatur vita, quare non quæritur vera? Si amatur vita, talis quæratur quæ nunquam finiatur. Et si amatur, quare non quæritur? Aut si quæritur, quia hic non est, ad eum locum ubi est quare non festinatur? Quid quod etiam ultro se nobis ipsa vita ingessit? Christus est enim Deus verus et vita æterna. Venit ad nos perditos, et redemit inventos : venit huc ad regionem mortalium ipsa vera vita : dedit gustum saporis sui ; gustavimus, vidimus quoniam suavis est. Præcessit nos, invitavit ut sequamur : et ad tam magnum illud donum, cujus talem suscepimus gustum, sequi formidamus? Venit ad te vita, repende vicem, veni et tu ad illam. Suscepit vehiculum mortis, ut transiens liberaret te : suscipe et tu mortem, ut cum ad illam veneris, ita ab illa suscipiaris, ut nunquam moriaris.

XIII. Sanctam Ecclesiam. Propterea hujus conclusio sacramenti per sanctam Ecclesiam terminatur, quoniam si quis absque ea inventus fuerit, alienus erit a numero

filiorum : nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem : nihilque ei valebit quod credidit vel fecit tanta bona sine fine summi boni. Ecclesia, mater est spiritalis : Ecclesia, sponsa Christi est gratia ejus dealbata, pretioso sanguine dotata. Totum possidet quod a viro suo accepit in dote. Lego tabulas matrimoniales ejus, recitabo. Audite, hæretici, quid scriptum sit : « Oportebat » Christum pati et resurgere a mortuis, et prædicari in » nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum » per omnes gentes [1]. » Omnes gentes totus mundus est. Ecclesia totum possidet, quod a viro suo accepit in dote. Quæcumque congregatio cujuslibet hæresis in angulis sedet, concubina est, non matrona. O hæresis Ariana, quid insultas? quid exsufflas? quid etiam ad tempus multa usurpas? Injuriam a te patitur domina ab ancilla ; multas ei ingeris contumelias : licet hæc doleat, non te magno metuit sponsa Christi sancta Catholica. Cum enim respexerit ille sponsus, ejicieris tu ut ancilla cum filiis tuis [2] : quoniam non erunt hæredes filii ancillæ cum filiis liberæ. Cognoscatur una sancta et vera regina Catholica, cui regnum Christus tale dedit : quod eam per totum mundum diffundens, ab omni macula et ruga mundans, totam pulchram suo adventu præparavit.

[1] Luc. XXIV, 47. — [2] Gen. XXI, 10.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE

DISCIPLINA CHRISTIANA.

SERMO[1].

1. Locutus est ad nos sermo Dei, et depromptus est ad exhortationem nostram, dicente Scriptura : « Accipite » disciplinam in domo disciplinæ[2]. » Disciplina, a discendo dicta est : disciplinæ domus, est Ecclesia Christi. Quid ergo hic discitur, vel quare discitur ? Qui sunt qui discunt, et a quo discunt ? Discitur bene vivere. Propter hoc discitur bene vivere, ut perveniatur ad semper vivere. Discunt Christiani, docet Christus. Primo ergo quid sit bene vivere ; deinde quæ sit merces bonæ vitæ ; tertio qui sint veri Christiani ; quarto quis sit verus magister, pauca loquentibus nobis, sicut donat Dominus, audire dignemini. Omnes in domo disciplinæ sumus, sed multi nolunt habere disciplinam ; et quod est perversius, nec in domo disciplinæ volunt habere

[1] In MSS. plerisque appellatur *Liber*, aut *Libellus Augustini de Disciplina christiana*, sive *de Disciplina Christianorum*. In editis Er. et Lov. additur, *vel de domo Disciplinæ*. — [2] Eccli. LI, 31 et 36.

disciplinam. Cum propterea debeant in domo disciplinæ accipere disciplinam, ut servent illam et in domibus suis : ipsi contra, indisciplinationem non solum in domibus suis habere volunt, sed ferre illam secum et ad domum disciplinæ. Ideo apud quos non vacat verbum Dei, qui cor auri conjungunt; qui non sunt via, ubi semen, cum ceciderit, ab avibus colligitur[1]; qui non sunt petrosa loca, ubi semen altam radicem habere non potest, et ad horam exit, et in æstu arescit; qui non sunt ager spinosus, ubi semen cum germinaverit et in auras surgere cœperit, spinarum densitate suffocatur : sed qui sunt terra bona parata semen accipere, et fructum reddere vel centenum, vel sexagenum, vel tricenum : (Recordamini, qui non sine causa intratis disciplinæ scholam, has me similitudines ex Evangelio commemorasse :) qui ergo tales sunt, accipiant quod per me Dominus dicere dignatur. Ego enim, quoniam ille seminat, quid sum? Vix cophinus seminantis. Ipse in me ponere dignatur, quod vobis spargat. Nolite ergo attendere ad vilitatem cophini, sed ad charitatem seminis et ad potestatem seminatoris.

II. Quid est ergo bene vivere, quod hic discitur? Præcepta multa sunt in lege, quibus ipsa bona vita continetur, imperatur et discitur. Multa omnino præcepta sunt, innumerabilia. Præceptorum ipsorum paginas vix quisquam enumerat, quanto magis ipsa? Quæ voluit tamen Deus, propter eos qui se possent excusare, vel quia eis non vacat legere, vel quia non norunt legere, vel quia non possunt facile intelligere, ut excusationem nemo habeat in die judicii, voluit, sicut scriptum est, consummare et breviare verbum super terram, sicut de illo Propheta prædixerat : « Verbum enim consummans et brevians fa» ciet Dominus super terram[1]. » Hoc ipsum verbum con-

[1] Isai. x, 23.

summatum et breviatum, nec obscurum esse Deus voluit. Ideo breve, ne non vacaret legere; ideo apertum, ne dicat : Mihi non licuit intelligere. Thesaurus ergo est magnus divinarum Scripturam, habens in se mirabilia præcepta multa, tanquam multas gemmas, et pretiosa monilia, et vasa ingentia et magni metalli. Sed quis potest scrutari thesaurum istum, et nti eo, et pervenire ad omnia quæ ibi sunt? Quando hanc similitudinem Dominus dedit in Evangelio suo, et dixit : « Simile est regnum » cœlorum thesauro invento in agro[1] : » ne quis se minus idoneum diceret ad perscrutandum thesaurum, continuo dedit aliam similitudinem : « Simile est, inquiens, reg- » num cœlorum homini negotiatori quærenti bonas mar- » garitas, qui invenit unam pretiosam margaritam, et » vendidit omnia quæ habuit, et emit illam[2], » ut si piger eras ad perscrutandum thesaurum, non sis piger unam margaritam sub lingua ferre, et quo vis securus ambulare.

III. Quod est ergo verbum consummans et brevians : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex » tota anima tua, et ex tota mente tua; et diliges proxi- » mum tuum sicut te ipsum. In his duobus præceptis » tota Lex pendet et Prophetæ[3]. » Ecce quod discitur in domo disciplinæ : Diligere Deum, diligere proximum : Deum tanquam Deum, proximum tanquam te. Non enim invenis parem Deo, ut possit tibi dici : Dilige Deum sicut diligis illum. De proximo inventa est tibi regula, quia inventus es proximo tuo par tu ipse. Quæris quomodo diligas proximum? Attende te ipsum; et quomodo te diligis, sic dilige proximum. Non est ubi erres. Volo jam ergo et tibi committere proximum tuum, ut diligas eum tanquam te ipsum : volo, sed adhuc timeo. Volo tibi di-

[1] Matth. xiii, 44. — [2] Ibid. 45. — [3] Id. xxii, 37.

cere : Dilige proximum tuum sicut diligis te ipsum ; et timeo : adhuc enim discutere volo quomodo diligas te ipsum. Noli ergo ægre ferre. Non es tu ipse facile dimittendus, cui est proximus committendus : non transitorie tecum agendum est. Tu unus homo es, proximi tui multi sunt. Non enim primo sic debes intelligere proximum, vel fratrem, vel cognatum, vel affinem. Proximus enim est omni homini omnis homo. Proximi sibi dicuntur pater et filius, socer et gener. Nihil tam proximum, quam homo et homo. Sed si putamus non esse proximos, nisi qui de iisdem parentibus nascuntur : Adam et Evam attendamus ; et omnes fratres sumus. Et quidem fratres secundum quod homines sumus, quanto magis secundum quod Christiani sumus? Ad id quod homo es, unus pater fuit Adam, una mater Eva : ad id quod Christianus es, unus pater est Deus, una mater Ecclesia.

IV. Videte ergo quantos proximos habeat unus homo. Omnes homines in quos incurrerit, quibus jungi potuerit, proximi ejus sunt. Quomodo ergo discutiendus est utrum diligat se, cui committendi sunt tot proximi, ut sic eos diligat tanquam se? Non ergo irascatur unusquisque, si discutio quomodo se diligat. Certe ego discutio, ipse se inveniat. Ut quid enim discutio? quia ego inventurus sum? Ideo discutio, ut ipse se interroget, ipse sibi appareat, ipse se non lateat, ipse sibi se non abscondat, ipse sibi se ante oculos suos, non post dorsum ponat. Me loquente faciat hoc, me nesciente faciat hoc. Quomodo te diligis? Quisquis me audis, imo quisquis Deum per me audis, in hac domo disciplinæ, attende te, quomodo te diligis. Profecto enim si te interrogem utrum diligas te, respondes quia diligis. Quis enim se odit? Hoc dicturus es : Quis enim se odit? Ergo non diligis iniquitatem, si te diligis. Nam si diligis iniquitatem, non ego dico : Psal-

mum audi : « Qui diligit iniquitatem, odit animam suam[1]. » Ergo si diligis iniquitatem, audi veritatem, veritatem non te palpantem, sed aperte tibi dicentem : Odis te. Quanto magis dicis, quia amas te, odis te. « Qui enim diligit ini- » quitatem, odit animam suam. » Quid dicam de carne, quæ pars vilior est hominis ? Si animam odit, carnem quomodo diligit ? Denique qui amant iniquitatem, et oderunt animam suam, omnem turpitudinem exercent de carne sua. Jam ergo qui diligis iniquitatem, quomodo tibi volebas committi proximum, ut diligeres eum tanquam te ? Homo, quid perdis te ? Si enim tu ipse sic te diligis ut perdas te ; sic profecto perditurus es et eum quem diligis sicut te. Nolo ergo quemquam diligas : vel solus peri. Aut corrige dilectionem, aut respue societatem.

V. Dicturus mihi es : Diligo proximum tanquam me ipsum. Audio plane, audio. Inebriari vis cum illo, quem diligis tanquam te ipsum. Bene nobis faciamus hodie, quantum possumus bibamus. Vide quia sic te diligis, et illum ad te trahis, et ad quod amas vocas. Necesse est ut quem diligis tanquam te ipsum, illuc illum trahas ad quod et tu te amas. Humanus homo, imo belluinus, amando talia qualia belluæ. Belluas enim Deus prostratas in faciem fecit, pastum quærentes de terra : te in duos pedes erexit de terra. Tuam faciem sursum attendere voluit. Non discordet cor tuum a facie tua. Non habeas faciem sursum, et cor deorsum : imo verum audi et verum fac, Sursum cor : ne mentiaris in domo disciplinæ. Quando enim audis, responde, sed sit verum quod respondes. Sic te dilige, et diliges proximum tanquam te ipsum. Quid est enim sursum habere cor, nisi quod dictum est prius : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto » corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua[2] ? »

[1] Psal. H. x, 6. — [2] Matth. xxii, 37.

Quia ergo duo præcepta sunt, si unum diceret, non sufficeret? Sufficit et unum, si intelligatur. Nam aliquando sic loquitur Scriptura, sicut Paulus apostolus : « Non » adulterabis : Non homicidium facies : Non concupisces : » et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone reca- » pitulatur, Diliges proximum tuum tanquam te ipsum. » Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem » legis est charitas[1]. » Quid est charitas? Dilectio. Nihil videtur dixisse de dilectione Dei, sed solam proximi dilectionem dixit sufficere ad implendam legem. Quidquid est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, in hoc sermone impletur. In quo? « Diliges proximum tuum » tanquam te ipsum[2]. » Ecce unum est. Certe duo præcepta sunt, in quibus tota Lex pendet et Prophetæ. Videte quomodo plus breviatum est, et adhuc pigri sumus. Ecce quæ duo erant, unum factum est. Prorsus proximum dilige, et sufficit. Sed dilige quomodo te ipsum diligis, non quomodo te ipsum odisti. Dilige proximum tuum tanquam te ipsum : sed prius est ut diligas te ipsum.

VI. Quærere habes quomodo diligas te ipsum : et audire habes : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde » tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua : » Homo enim quomodo a se fieri non potuit, sic nec beatus fieri a se potest. Alia res eum fecit hominem, quod non est ipse homo : alia res eum factura est beatum, quod non est ipse homo. Denique errans videt ipse, quia per se non potest beatus esse, et amat aliud unde sit beatus. Unde se fieri putat beatum, hoc amat. Quid, putamus, amat, unde putat se fieri beatum? Pecuniam, aurum, argentum, possessiones : breviter dico, pecuniam. Totum enim quidquid homines possident in terra, omnia quorum domini sunt, pecunia vocatur. Servus sit, vas, ager, arbor, pe-

[1] Rom. XIII, 9-11. — [2] Matth. XXII, 39.

cus; quidquid horum est, pecunia dicitur. Et unde est primum vocata pecunia? Ideo pecunia quia antiqui totum quod habebant, in pecoribus habebant. A pecore pecunia vocatur. Legimus antiquos patres fuisse divites pastores. Ergo pecuniam diligis, o homo: unde putas te fieri beatum, pecunia est, et multum eam diligis. Volebas diligere proximum tanquam te ipsum, divide cum illo pecuniam tuam. Quid esses discutiebam. Inventus es; apparuisti tibi, vidisti te, considerasti te. Non es paratus dividere cum proximo pecuniam tuam. Sed quid mihi respondet benigna avaritia? quid mihi respondet? Si divisero cum illo, minus erit et mihi et illi: minuetur quod amo, nec totum habebit ille, nec totum habebo ego. Sed quia diligo eum tanquam me ipsum, opto illi ut tantum habeat: ut nec meum minuatur, et ipse mihi coæquetur.

VII. Optas unde nihil perdas: atque utinam hoc verum dicas, vel optes. Timeo enim ne invideas. Quomodo enim socialis erit felicitas tua, quam torquet felicitas aliena. Nonne cum cœperit ditescere vicinus tuus, et incipere quasi surgere, et ire post te, times ne sequatur te, times ne transeat te? Certe diligis proximum tanquam te ipsum. Sed non loquor de invidis. Avertat enim Deus hanc pestem ab animis omnium hominum, nedum Christianorum: vitium diabolicum, quo solus diabolus reus est, et inexpiabiliter reus. Non enim dicitur diabolo ut damnetur: Adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti, sed: Homini stanti lapsus invidisti. Invidentia diabolicum vitium est: sed habet matrem suam. Superbia vocatur mater invidentiæ. Superbia invidos facit. Suffoca matrem, et non erit filia. Ideo humilitatem docuit Christus. Non ergo loquor invidis, bene optantibus loquor. Illis loquor qui optant bene amicis, ut habeant tantum quantum habent et ipsi. Optant bene egentibus, ut

habeant quantum et ipsi : sed nolunt illis dare ex eo quod habent. Inde te jactas, homo Christiane, quia optas bene? Melior te est mendicus, qui plura tibi optat, et nihil habet. Bene vis optare nihil a te accipienti : da aliquid bene optanti. Si bonum est bene optare, redde mercedem. Optat tibi bene pauper, quid trepidas? Addo aliquid, in domo disciplinæ es. Addo aliquid his quæ dixi, Da bene optanti, Christus est. Ipse a te petit qui tibi dedit. Erubesce. Ille dives pauper esse voluit, ut haberes pauperes quibus dares. Da aliquid fratri tuo, da aliquid proximo tuo, da aliquid comiti tuo. Tu dives es, ille pauper est. Vita ista via est, simul ambulatis.

VIII. Sed forte dicis : Ego dives, ille pauper est. Simul ambulatis, annon? Quid est quod dicis : Ego dives, ille pauper, nisi, ego oneratus, ille levis? Ego dives, ille pauper. Sarcinam tuam commemoras, pondus tuum laudas. Et quod gravius est, constrinxisti ad te sarcinam tuam : ideo non potes porrigere manum. Onerate, ligate, quid te jactas? quid te laudas? Solve vincula tua, minue de sarcina tua. Da comiti, et illum adjuvas, et te relevas. Inter has voces tuas laudantes sarcinam tuam, adhuc Christus petit, et non accipit : et obtendis nomen pietatis crudelibus vocibus, et dicis : Et quid servo filiis meis? Christum illi oppono, filios suos mihi reponit. Ista vero magna justitia, ut habeat unde luxurietur filius tuus, egeat Dominus tuus : « Cum enim uni ex minimis meis » fecistis, mihi fecistis[1]. » Non legisti, non advertisti : « Cum uni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis. » Non legisti, non timuisti? Ecce quis eget, et filios tuos numeras? Postremo numera filios tuos, adde unum inter illos, Dominum tuum. Unum habes, sit ille secundus : duos habes, sit ille tertius : tres habes, sit ille quartus :

[1] Matth. xxv, 40.

nihil horum vis. Ecce quomodo diligis proximum tuum, quem tibi facias socium ad istam perditionem.

IX. Quid tibi dicturus sum : Diligis proximum tuum? Quid illi in aures insusurrabis, homo avare, nisi, fili, aut frater, aut pater, bonum est nobis, ut cum hic vivimus, bene sit nobis? Quantum habebis, tantus eris. Frange lunam, et fac fortunam. Ista susurrabis proximo tuo, quæ non didicisti in domo disciplinæ, nec audisti hic. Nolo sic diligas proximum tuum. O si possem facere, ut nulli jungereris! « Corrumpunt enim mores bonos colloquia » mala [1]. » Sed non possum facere ut nemini jungaris, cui mala ista quæ non vis dediscere insusurres : et non solum nolis dedoceri, sed affectes etiam docere. Nolo, imo volo, sed non possum, disjungere te ab auribus aliorum. Alios admoneam, ad quorum aures ambis, quorum aures penetrare moliris, ad quorum corda per aures intrare disponis. O qui accipis verbum sanum in domo disciplinæ : « Sepi aures tuas spinis. Corrumpunt » bonos mores colloquia mala. Sepi aures tuas spinis [2]. » Sepi, et spinis sepi; ut ille qui importune intrare ausus fuerit, non solum repellatur, sed etiam compungatur. Repelle illum a te. Dic, Christianus es, Christianus sum : non hoc accepimus in domo disciplinæ, non hoc didicimus in illa schola, quam gratis intravimus; non hoc didicimus sub illo magistro, cujus cathedra in cœlo est. Noli mihi ista dicere, aut noli ad me accedere. Hoc est enim : « Sepi aures tuas spinis. »

X. Convertam me ad illum. Avarus es, pecuniam amas: beatus esse vis? Deum tuum ama. Pecunia te non facit beatum : tu eam facis ornatam, non illa te beatum. Sed quia multum amas pecuniam, et video quia pergis quo jusserit cupiditas : piger perge quo jubet charitas : respice,

[1] 1 Cor. xv, 33. — [2] Eccli. xxviii, 28.

et vide quantum intersit inter pecuniam tuam et Deum tuum. Pulchrior est iste sol quam pecunia tua, et tamen sol iste non est Deus tuus. Porro si pulchrior est lux ista quam pecunia tua, quantum est pulchrior qui fecit hanc lucem. An forte comparare vis pecuniam tuam luci? Ecce occidit sol : ostende mihi pecuniam tuam. Nitet, et nocte subtraho lucernam, ecce dives es, ostende mihi divitias tuas. Jam si lumine priveris, jam si non habeas unde quod habes videas, ubi sunt divitiæ tuæ? Et sic tamen horrenda profunditas avaritiæ non patet oculis, et scatet animis. Vidimus et cæcos avaros : dicatur mihi, unde avari sunt cæci qui non vident. Quod habet nec habet, et tamen avarus est cæcus. Quare? Quia credit se habere, avarus est. Fides eum facit divitem : credendo dives est, non videndo. Quanto melius fidem convertit ad Deum? Non vides quod possides, et Deum tibi sic prædico. Nondum vides : ama, et videbis. Amas pecuniam, o cæce, quam nunquam videbis. Cæcus possides, cæcus moriturus es, quod possides hic relicturus es. Non tenebas et quando vivebas : quia non videbas quod habebas.

XI. De Deo quid tibi dicitur? Ecce hoc tibi dicit ipsa Sapientia : « Ama illum tanquam pecuniam [1]. » Indignum est, injuriosum est, ut sapientia pecuniæ comparetur : sed amor amori comparatur. Video enim hic vos sic amare pecuniam, ut jubente amore pecuniæ labores suscipiatis, jejunia toleretis, mare transeatis, ventis et fluctibus vos committatis. Habeo unde eligam quod ametis, sed non habeo quod addam ad amorem quo amatis. Sic me amate, plus nolo me amari, ait Deus. Improbis loquor, avaris loquor; pecuniam diligitis, tantum me diligite. Certe melior sum incomparabiliter : nolo a vobis ampliorem amorem : quantum diligitis pecuniam, tan-

[1] Prov. II, 4.

tum me amate. Erubescamus saltem, confiteamur, et pectora tundamus, non ut super peccata nostra pavimentum solidemus. Nam qui tundit pectus et non corrigitur, solidat peccata, non tollit. Tundamus pectus, et cædamus nos, et corrigamur a nobis, ne ille postea nos cædat, qui magister est. Diximus enim quid hic discatur: jam quare discatur.

XII. Quare ivisti in scholam? quare vapulasti, et a parentibus ductus, et fugitans quæsitus, et inventus attractus es, et adductus extensus es? Quare vapulasti? Quare tanta in pueritia pertulisti? Ut disceres. Quid disceres? Litteras. Quare? Ut haberetur pecunia, aut ut compararetur honor, et teneretur sublimitas dignitatis. Vide quia periturus propter perituram rem; perituram rem cum tanto labore didicisti in tantis pœnis, et amabat te qui te ad pœnas trahebat; ipse qui te amabat, ipse te ad pœnas trahebat; ut vapulares, amando faciebat; ut disceres, quid? Litteras. Bonæ sunt litteræ? Bonæ. Novi, dicturus es mihi: Quare et vos, Episcopi, litteras legistis? Quare nunc divinas Scripturas in ipsa litteratura tractatis? Ita vero: sed non ad hoc didicimus litteras. Non enim parentes nostri, quando nos in scholam mittebant, hoc nobis dicebant: Discite litteras, ut habeatis unde legere[1] codices dominicos. Nec ipsi Christiani filiis suis hoc dicunt. Sed quid? Discite litteras: quare? Ut sis homo. Quid enim? Modo pecus sum? Quod dico, ut sis homo, hoc est, ut sis eminens inter homines. Unde et illud proverbium: Quantum habebis, tantus eris. Ut habeas quantum cæteri, aut quantum pauci; aut plusquam cæteri, aut plusquam pauci; habeas inde honorem, habeas inde dignitatem. Et ubi erunt ista omnia, cum mors venerit? Quomodo stimulat, quomodo metus iste interpellat? Quo-

[1] *Supple* possitis.

modo nomen ipsum a me commemoratum omnium corda percussit? Quomodo timorem vestrum teste gemitu declarastis? Audivi, audivi, gemuistis, mortem timetis. Si timetis, quare non cavetis? Mortem timetis : quid timetis? Ventura est : timeam, non timeam, venire habet : sero, cito, ventura est. Si timeas, non efficies ut non sit quod times.

XIII. Illud potius time, quod si nolis, non erit : Quid? peccare. Peccare time, quia si amaveris peccata, in aliam mortem irrues ; quo posses non venire, si non amares peccata. Modo autem perversus plus amas mortem quam vitam. Absit, inquis. Quis est hominum qui plus amet mortem quam vitam? Forte convinco te, quia plus amas mortem quam vitam. Ecce unde te convinco. Amas tunicam tuam, bonam eam vis : amas villam tuam, bonam eam vis : amas filium tuum, bonum eum vis : amas amicum tuum, bonum eum vis : amas domum tuam, bonam eam vis. Quid est quod etiam bonam vis habere mortem? Quotidie enim rogas, ut quoniam mors ventura est, bonam mortem tibi Deus det ; et dicis : Deus avertat a me malam mortem. Plus ergo amas mortem tuam, quam vitam tuam. Mori male times, male vivere non times. Corrige male vivere, time male mori. Sed noli timere : Non potest male mori, qui bene vixerit. Prorsus confirmo, audeo dicere : « Credidi propter quod locutus sum [1] : » Non potest male mori, qui bene vixerit. Jam tu dicis tibi : Non multi justi naufragio perierunt? Certe non potest male mori, qui bene vixerit. Non multos justos gladius peremit hostilis? Certe non potest male mori, qui bene vixerit. Non multos justos latrones occiderunt? Non multos justos bestiæ laniaverunt? Certe non potest male mori, qui bene vixerit. Et ego respondeo : Hæc tibi enim videtur mala mors? naufragio perire, gladio percuti, a bestiis

[1] Psal. cxv, 10.

laniari, mors mala tibi videtur? Nonne istas mortes Martyres subierunt, quorum Natalitia celebramus? Quod genus mortis non subierunt? Et tamen si Christiani sumus, si in domo disciplinæ nos esse meminimus, vel cum hic sumus, vel cum hic audimus, si exeuntes hinc non obliviscimur, si meminimus quod hic audimus, nonne Martyres beatificamus? Quære mortes Martyrum : oculos carnis interroga : male mortui sunt? Oculus fidei interroga : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum » ejus [1]. » Quidquid ergo est quod exhorres in morte, omnino non exhorreas, si eos imitaris. Id age, ut bonam vitam habeas : et quæcumque occasio fuerit ut exeas de hoc corpore, exis ad requiem, exis ad beatitudinem, quæ non habet timorem nec finem. Nam quasi bona mors divitis in purpura et bysso [2] : sed mala mors sitientis et inter tormenta guttam aquæ desiderantis. Quasi mala mors jacentis pauperis ante januam divitis, inter linguas canum, in fame et siti micas de mensa desiderantis : mala mors, aversanda mors. Finem respice : Christianus es, fidei oculum intende. « Contigit mori inopem illum, et » efferri ab Angelis in sinum Abrahæ. » Quid proderat diviti sepulcrum marmoreum, sitienti apud inferos? Quid oberant pauperi panni cum sanie ulcerum ejus, requiescenti in sinu Abrahæ? Longe vidit eum requiescentem, quem contempserat jacentem. Modo elige mortem : dic mihi, quis bene mortuus est, quis male? Puto quia melius ille pauper, quam ille dives. An vis aromatibus sepeliri, et apud inferos sitire? Respondes : Absit a me. Puto quod hoc dices. Disces ergo bene mori, si didiceris bene vivere. Merces enim bonæ vitæ, æterna est.

XIV. Qui discunt, Christiani sunt : qui audiunt et non discunt, quid ad seminantem? Seminantis manum non

[1] Psal. cxv, 15. — [2] Luc. xvi, 19.

terret via, non terrent lapides, non spinæ : jactat ille quod suum est. Qui timuerit ne cadat in terram malam, non pervenit ad terram bonam. Et nos dicimus, jactamus semina, spargimus semina. Sunt qui contemnunt, sunt qui reprehendunt, sunt qui irrident. Istos si nos timuerimus, nihil habemus seminare, et in messe habemus esurire. Ergo veniat semen ad terram bonam. Scio quia qui audit et bene audit, deficit, et proficit : deficit iniquitati, proficit veritati : deficit sæculo, proficit Deo.

XV. Quis est enim magister qui docet? Non qualiscumque homo, sed Apostolus. Plane Apostolus, et tamen non Apostolus. « An vultis, inquit, experimentum ejus » accipere qui in me loquitur Christus[1]? » Christus est qui docet : cathedram in cœlo habet, ut paulo ante dixi. Schola ipsius in terra est, et schola ipsius corpus ipsius est. Caput docet membra sua, lingua loquitur pedibus suis. Christus est qui docet : audiamus, timeamus, faciamus. Et ne contemnas et ipsum Christum, qui propter te in carne natus est, pannis mortalitatis circumdatus; propter te esurivit et sitivit, propter te lassatus ad puteum sedit; propter te fatigatus in navi dormivit, propter te contumelias indignas audivit; propter te a facie sua sputa hominum non abegit; propter te alapas in faciem accepit; propter te in ligno pependit; propter te animam effudit; propter te in sepulcro positus est. Hæc omnia forte contemnis in Christo? Vis nosse quis sit? Recole Evangelium quod audisti : « Ego et Pater unum sumus[2]. »

XVI. Conversi ad Dominum, ipsum deprecemur pro nobis, et pro omni plebe sua astante nobiscum in atriis domus suæ : quam custodire protegereque dignetur : per Jesum Christum Filium suum Dominum nostrum, qui cum eo vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 2 Cor. XIII, 3. — [2] Joan. X, 30.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE CANTICO NOVO,

ET DE REDITU AD CŒLESTEM PATRIAM,

AC VIÆ PERICULIS.

AD CATECHUMENOS

SERMO.

I. Omnis qui baptismum Christi desiderat, vitam novam concupiscit. Transeat ergo a vetustate, ut perveniat ad novitatem. Prius enim fuit testamentum vetus, canticum vetus, homo vetus : nunc autem testamentum novum, canticum novum, propter hominem novum. Demonstremus hoc quod dicimus testimoniis sanctarum Scripturarum. Jeremias propheta : « Ecce, inquit, dies » veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum » Juda testamentum novum [1] : » David quoque propheta : « Deus, canticum novum cantabo tibi [2]. » Et iterum : « Cantate Domino canticum novum [3]. » Apostolus etiam

[1] Jerem. xxxi, 31. — [2] Psal. cxliii, 9. — Id. xcv, 1.

Paulus : « Expoliantes, inquit, vos veterem hominem, » induite novum [1]. » Et alibi : « Vetera transierunt, ecce » facta sunt nova [2]. » Quæ vetera transierunt? quæ facta sunt nova? Si adsit spiritalis auditor, non solum intelligit, verumetiam videt quæ facta sunt nova. Si autem carnalis adsit, qui totum per oculos carnis, nihil per aciem mentis intelligit, irridens respondet : Rogo te, dic quæ facta sunt nova? Numquid aliud cœlum respicio quam antea, aut sidera in novum splendorem micantia? Nonne iisdem cursibus sol peragit diem, eisdemque curriculis luna peragit noctem? Numquid mare terminos suos finesque transgressum est, aut terræ facies immutata alia insolita germina procreavit? Nonne sicut ex initio horis duodecim peragitur dies, eisdemque crementis æstatis tempus, quibus detrimentis hyems peragitur? Progenies quoque ipsa mortalium aliis decedentibus, aliis succedentibus terminatos finiunt dies. Cum ergo omnia, sicut ex initio constituta sunt, ita concurrunt, suos motus finesque servantia; quid est quod nobis prædicatur : « Vetera transierunt, ecce facta sunt nova? » Responde o Paule, talia de nobis requirenti; et quia minus valeo ad respondendum, te obsecro, responde pro me. Ecce audi Apostolum : Quid quæris carnalis auditor per oculos carnis respicere? Erige mentis aciem, ut quod dicitur possis intelligere : « Vetera transierunt, ecce facta sunt nova [1]. » Quæ vetera transierunt? quæ facta sunt nova? « Primus » homo, inquit, de terra terrenus, secundus homo de » cœlo cœlestis. » Transiit Adam, homo vetus factus ex limo : venit Christus, Deus homo missus e cœlo. Transiit vetustas mentium, accessit novitas credentium : transiit vita carnalis, successit spiritalis. An parva est novitas hæc, ita demonstrata per hominem Deum, ut moriendo

[1] Coloss. III, 1. — [2] 2 Cor. V, 17. — [3] 1 Cor. XV.

susciperet vetustatem tuam, resurgendo ostenderet novitatem tuam, ascendendo firmaret claritatem tuam? Vetera transierunt : quæ vetera transierunt? Quod eratis filii Adam, filii carnales. Nova accesserunt : quæ nova? Quod efficimini filii Dei, filii spiritales. Vetera transierunt, terra eratis : Ecce facta sunt nova, cœli jam pene effecti estis. « Cœli enim enarrant gloriam Dei [1]. » Non vobis impossibile videatur, quod cum sitis terrestres, efficiamini cœlestes. De terra non facit cœlum, qui de nihilo fecit terram et cœlum? Vetera transierunt, lapides colebatis : Nova accesserunt, Deum verum adoratis. Vetera transierunt, transiit mortalitas : Nova accesserunt, promissa est immortalitas. Vetera transierunt, perierat omnis caro per mulierem simul cum viro peccante : Nova accesserunt, reparata est caro sine viro virgine pariente. Vetera transierunt, transiit regio vetustatis : Nova accesserunt, succedit Jerusalem civitas cœlestis novitatis. Ad hanc civitatem novam pervenire cupitis, qui nomina vestra conscribenda dedistis.

II. Eia, fratres mei, ardenter desideremus propriam patriam : peregrinationem istam, quæ nos ab ea adhuc detinet, toleremus, non amemus : festinemus tamen. Non est quare hic stare : nec invenis in sæculo, quod jam possis amare. Ipse enim amor parentum, conjugum, filiorum, facultatum, aut magnum quibusdam incusserunt laborem, aut magnum pariunt timorem : non est quare hic stare. Melius enim festinando appetimus sempiterna, quam hic remanendo sæculi nos apprehendat ruina. Præparemus sitarciam, apprehendamus et ascendamus navem fidem simul et crucem, nec desit anchora spes nostræ salutis, extendamus funes diversas virtutes, vela charitatis colligamus, invocemus ventum prosperum verbum Dei; exhauriamus

[1] Psal. XVIII, 2.

sentinam a peccatis, per eleemosynas mundetur conscientia. Non impediatur hujus nostri cursus navigii, operemur manibus ut possumus. Manibus suis sentinam exhauriebat qui dicebat : « Manibus meis coram eo nocte, et non sum de- » ceptus[1]. » Non negligamus nostra peccata : minuta sunt, sed multa sunt. Fluctus unus validus irruens obruit navem, minaturque naufragium : humor autem per rimas influens et in sentinam veniens, nisi subinde siccetur, hoc idem facit. Ergo exhauriatur sentina, non negligatur misericordia : « Quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa » purgat peccata[2]. » Adsit nostra tutela Christi gratia, celeuma nostrum dulce cantemus Alleluia : ut læti ac securi ingrediamur sempiternam ac felicissimam patriam. Non metuat anima mare hoc magnum, sæculum scilicet, cujus fluctus ac turbines sentimus inimicas sæculi potestates. In Deo sperantes multi jam sancti hos fluctus spreverunt, multi calcaverunt, multi super ejus aquas ambulantes securi ad patriam pervenerunt. Sed exurgit ventus validus et magna tempestas, sua cujusque cupiditas. Titubat fides in mari, clamet in te Petrus : Domine, pereo[3] : dabit manum mergenti, nec sinit perire ille qui propter nos super aquas dignatus est ambulare. Vide apostolum Paulum, hoc navigium non solum demonstrantem, verumetiam ascendentem, et quamplurimos invitantem. Quando dicebat : « Habentes victum et tegumentum, his contenti simus[4] : » quid aliud quam competentem sitarciam imponendam esse monstrabat? Quando dicebat : « Mihi autem absit » gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per » quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo[5] : » navem ascendebat. Quando dicebat : Induite vos sicut » electi Dei, benignitate, humilitate, longanimitate,

[1] Psal. LXXVI, 3. — [2] Tobiæ, v. 11. — [3] Matth. XIV, 30. — [4] 1 Tim. VI, 8. — [5] Gal. VI, 14.

» mansuetudine[1] : » quid aliud quam funes extendebat? Quando dicebat : « Manet fides, spes, charitas, major ho- » rum charitas[2] : » vela colligebat. Quando dicebat : « Ver- » bum Dei habitet in vobis abundanter[3] : » ventum pros- perum invocabat. Quando dicebat : « Infatigabiles itaque » dum tempus habemus operemur bonum ad omnes[4] ; » et, Operantes propriis manibus vestris[5] : » quid aliud quam sentinam exhauriri præcipiebat? Quando dicebat : « Gratia salvi facti estis[6] : » tutelam exorabat. Quando dicebat : « In psalmis et hymnis cantantes in cordibus » vestris Domino[7] : » celeuma sanctum docebat. Quando dicebat : « Spe salvi facti sumus[8] : » anchoram in cordi- bus credentium figebat. Quando dicebat : « Jerusalem » quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostra[9] : » ipsam patriam demonstrabat. Quando dicebat : « Ubi est, » mors, contentio tua? Gratias Deo, qui dedit nobis vic- » toriam per Dominum nostrum Jesum Christum[10] : » non adhuc in mari periclitabatur, sed jam in propria patria lætabatur. O optime gubernator, o pulcherrime magister et doctor, docuisti, fecisti ; et ideo celeriter pervenisti, quia quæ docuisti, prior ipse fecisti.

III. Si quis forte, ut assolet, refugit navigium, et in- solitos fluctus maris horrescit, desideratque iter conficere, quo, etsi tardius, ad patriam valeat pervenire : demons- trabo viam, imo ipsa se demonstrat via. Ecce in Evan- gelio clamat Salvator : «Ego sum via[11].» Habes viam, am- bula, sollicitus tamen doma jumentum tuum, carnem tuam, ipsi enim insidet anima tua. Quomodo si in hac via mortali jumento insideres, quod te gestiendo vellet præ- cipitare ; nonne ut securus iter ageres, cibaria ferocienti

[1] Coloss. III, 18. — [2] 1 Cor. XIII, 13. — [3] Coloss. III, 16. — [4] Gal. VI, 10. — [5] 1 Thess. IV, 11. — [6] Ephes. II, 8. — [7] Id. V, 19. — [8] Rom. VIII, 24. — [9] Gal. IV, 26. — [10] 1 Cor. XV, 55. — [11] Joan. XIV, 6.

subtraheres, et fame domares quod freno non posses? Caro nostra jumentum nostrum est : iter agimus in Jerusalem : plerumque nos rapit caro, et de via conatur excludere [1]. Tale ergo jumentum cohibeamus jejuniis. Vide illum gubernatorem eumdemque viatorem apostolum Paulum [2], vide illum jumentum suum domantem. « In » fame, inquit, et siti, in jejuniis sæpius castigo corpus » meum, et in servitutem redigo [3]. » Ita ergo et tu, qui ambulare desideras, doma carnem tuam, et ambula. Ambulas enim, si amas. Non enim ad Deum passibus, sed affectibus currimus.

IV. Via ergo ista nostra ambulantes quærit. Tria sunt hominum genera quæ odit : remanentem, retro redeuntem, aberrantem. Ab his tribus generibus malis Domino adjuvante vindicetur et defendatur gressus noster. Jam vero cum ambulantes sumus, alius tardius ambulat, alius celerius ambulat, tamen ambulant. Excitandi sunt ergo remanentes, retro redeuntes revocandi, errantes in viam ducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi. Qui non proficit, remansit in via : qui forte a meliore proposito declinat ad id quod deterius reliquerat, reversus est retro : qui fidem deserit, a via erravit. Cum tardis sit nobis et cum celerioribus ratio, cum ambulantibus tamen. Quis est qui non proficit? Qui se putaverit esse sapientem : qui dixerit : Sufficit mihi quod sum : qui non attenderit eum qui dicit : « Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt exten- » tus, secundum intentionem sequor ad palmam vocatio- » nis Dei in Christo Jesu [4]. » Currentem se dixit, sequentem se dixit : non remansit, non retro respexit : absit ut erraverit, quia viam ipse docebat, qui et tenebat et ostendebat. Celeritatem autem ejus ut imitaremur, ait :

[1] *Forte* excutere. — [2] 2 Cor. xi, 17. — [3] 1 Cor. ix, 27. — [4] Philip. iii, 18.

« Imitatores mei estote, sicut et ego Christi[1]. » Arbitramur ergo nos, dilectissimi, in via vobiscum ambulare : si tardi sumus, prævenite nos ; non invidemus, quærimus quos sequamur. Si autem nos putatis celeriter ingredi, currite nobiscum : unum est ad quod omnes festinamus, et qui tardius et qui celerius ambulamus. Qui sunt et retro redeuntes ? Qui ex continentia revertuntur in immunditiam, qui ex sancto et singulari bono proposito virginitatis divertuntur in turpitudines voluptatis, et corrupta mente corrumpunt simul et carnem. Hos increpat apostolus Petrus dicens : « Melius illis erat non cognoscere viam » salutis, quam cognoscentes retro respicere[2]. » O malum, retro respicere ! Uxor enim Loth, quæ liberata a Sodomitis[3], contra præceptum retro respexit, quod evaserat perdidit. Nec immerito in statuam salis repente conversa est, nisi ut fatuos suo etiam exemplo condiret. Qui sunt et aberrantes ? Omnes hæretici, qui relicta veritatis via errando per desertum latrocinantur, et animas captant in peccatis, præpediuntque ne quis ad patriam valeat pervenire : effecti lupi semitarii induti ovina pelle, cum sint intus lupi rapaces ; prædicantes Christum viam, et qui eos sequuntur ducentes ad mortem.

V. Hic si aliquis dicat : Quid ego faciam non invenio : ecce homo Christum prædicat ; viam prædicat, Christi se dicit esse discipulum, veritatem se dicit annuntiare, quare non sequar talia prædicantem ? Respondeo : Quia aliud ejus habet lingua, aliud conscientia. Unde novi inquis ? numquid ego conscientias discutere possum ? Christum ab eo audio : quod audio, hoc credo, hoc teneo. Non te seducat filius falsitatis, si filius es veritatis. Disce jam, Christiane, qui Christum desideras et audire et videre. Si quis tibi Christum prædicat, attende et consi-

[1] 1 Cor. xi, 1. — [2] 2 Petr. ii, 21. — [3] Gen. xix.

dera qualem prædicet, ubi prædicet. Christus enim veritas est[1], per Scripturas sanctas prædicatur, non in angulis, non occulte, sed palam, publice. « In sole enim » posuit tabernaculum suum[2]; » hoc est, in manifesto collocavit Ecclesiam suam. Jam hic respice illum qui tibi Christum prædicat, dicat qualem Christum prædicet.

VI. Ecce hæreticus Manichæus, qui per suam doctrinam promittit introducere te in veritatem, ipsum Christum dicit esse fallacem. Non habuit, inquit, verum corpus : phantasma fuit; spiritus fuit. Et hoc in illo fuisse negat nequissimus Manichæus. O pessime hæretice Manichæe, si credere non vis veritatem dicentem Discipulis suis : « Palpate, et videte, quia spiritus ossa et carnem » non habet, sicut me videtis habentem[3] : » si credere non vis, ut dixi, Veritati, Judæo crede crucifigenti. Nam cum tu dicis : Christus Deus fuit, non homo, Judæus dicit : Non fuit Deus, sed homo. Catholica utrosque convincens, Ego, ait, verum teneo, quod Christus et Deus est et homo. Tu autem, Manichæe, unde probas Christum spiritum fuisse? Spiritus alapas accepit? spiritus spineam coronam portavit? spiritus sibi crucem bajulavit? Si spiritus fuit, cujus vestimenta milites diviserunt? Si spiritus fuit, quomodo cum traderet spiritum, corpus ejus prope dimidium diem exanime pependit in cruce? Si spiritus fuit, quomodo latus ejus perforatum est lancea? Quomodo susceptus est a Joseph sepeliendus, quomodo sepulcro est conditus? Omnia ista spiritus pati non potest. Sicut de eo antea per Prophetas prædictum est, ita et factum. Erras tu nimis falsitas, in omnibus te superat veritas. Ergo-ne, hæretice, ut doces, veritas mentita est, et tu verum prædicas? Et ubi hoc prædicas? In absconso, in occulto. Si veritate fulcitur prædicatio tua, publica sit

1 Joan. XIV, 6. — 2 Psal. XVIII, 6. — 3 Luc. XXIV, 39.

doctrina tua. Demonstra mihi Ecclesiam tuam. Sed novimus quid agatis decepti et deceptores. Apostolus Paulus vos prodidit dicens : « Quæ enim occulte fiunt ab eis, » turpe est etiam dicere[1]. » Nobis turpe est dicere, sed vos non quiescitis agere. Manifesta est ignominia vestra, nudata est turpitudo vestra : ex confessione simul et scriptura vestra, omnibus palam facta est turpis doctrina vestra : utinam aliquando corrigantur corda vestra.

VII. Alii hæretici Ariani ipsam viam Christum, per quam itur ad Patrem, secundum Divinitatem nolunt esse æqualem Patri. Et cum ipse dicat : « Ego et Pater unum » sumus[2] : » illi dicunt : Si missus est Christus, minor est ; major est utique qui mittit illo qui mittitur. Hæc argumentatio est humana, non auctoritas divina. Alia est operatio Trinitatis, quam tu, hæretice, non assequeris, qui carnaliter sapis. Mundum enim cor non habes, nec ad Deum. Christus enim in quantum hominem suscepit, missus dicitur : in quantum Deus est, æqualis est Patri. Nam quo eum Pater mitteret, ubi ipse cum Filio non esset ? Aut quo Filius venisset, ubi non simul cum Patre esset ille qui dicit : « Ego in Patre, et Pater in me est : et, Philippe, » qui vidit me, vidit et Patrem[3] : » et qui per Prophetam dicit : « Cœlum et terram ego impleo[4] : » et de quo Salomon ait : « Attingit a fine usque ad finem fortiter, et dis- » ponit omnia suaviter[5] ? » Attingit ubique propter suam munditiam. Sed tu, hæretice, ideo dicis majorem esse qui mittit, minorem qui mittitur, quia temporum spatia cogitas. Sed multum erras, illi assignare tempora per quem facta sunt tempora. Si Patrem confiteris Deum, Deum Filium, æternumque credis et Patrem et Filium ; noli minorem facere Filium in eo quod fecit te, quia ideo minor factus

[1] Ephes. v, 12. — [2] Joan. x, 30. — [3] Id. xiv, 9, 10. — [4] Jerem. xxiii, 24. — [5] Sap. viii, 1.

est, ut redimeret te. Sed ipse, iniquis, dixit : « Pater ma-» jor me est[1]. » Intellige secundum susceptum hominem, et deponis errorem. Secundum hoc dicit : « Pater major » me est, » secundum quod de eo ait Propheta : « Mino-» rasti eum paulo minus ab Angelis[2]. » Tu autem dic, secundum quid eum minorem asseris ? Si secundum potestatem : « Pater non judicat quemquam, sed Filius[3]. » Si secundum opera : « Omnia per Filium facta sunt[4]. » Si secundum tempus hoc credis de Deo tuo, quia sicut tu major es filio tuo, ita ille filio suo : avertat hoc Deus ab auribus fidelium ; indigna sunt ista credere de Deo. Si enim Filius secundum deitatem Dei Verbum est, sicut evangelista Joannes narrat : « In principio erat Verbum, » et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum[5] ; » fuit aliquod tempus quando Pater fuit sine Verbo, aut fuit aliquod principium ante ipsum principium, quoniam ipse Filius dixit se esse principium ? Interrogantibus quippe Judæis : « Tu qui es ? Respondit : Principium[6]. » Ergo et illud quod in Genesi scriptum est : « In principio fecit » Deus cœlum et terram[7], » intelligitur in Filio, qui est principium. Sic ergo semper Deus Pater, semper Deus Filius : quia nec ille aliquando non Pater, nec iste aliquando non Filius. Non enim ut Pater generaret Filium, minuit se ipsum : sed ita genuit de se alterum qualem se, ut totus maneret in se. Spiritus autem sanctus non præcedit unde procedit, sed integer de integro, nec minuit eum procedendo, nec auget hærendo. Et hæc tria unus Deus, de quo Propheta dicit : « Tu es Deus solus magnus[8]. » Tu autem, hæretice, compone gradus, separa Trinitatem : fac Patrem majorem, Filium minorem, Spiritum sanctum sequentem. Sed jam de Filio, quod æqualis sit Patri, ali-

[1] Joan. XIV, 28. — [2] Psal. VIII, 6. — [3] Joan. V, 22 — [4] Id. I, 3. — [5] Ibid. I, 2. — [6] Id. VIII, 25 — [7] Gen. I, 1. — [8] Psal. LXXXV, 10.

qua diximus, et quod occurrit, diximus : audi et de Spiritu sancto, quem minorem vis esse Patre et Filio. Nempe Spiritus sanctus ipse Spiritus est Dei. Audi et ipse quod simul sit cum Patre et Filio, et ubique sit totus. « Deus, » inquit Joannes apostolus, Spiritus est[1]. » Et ipse Filius per Prophetam ait : « Spiritus Domini super me[2] : » non ait, post me, ut sequentem eum faceret, vel minorem : sed ait, super me. Unde et angelus Gabriel ad Mariam : « Spiritus sanctus, inquit, superveniet in te[3]. » David quoque propheta : « Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua » quo fugiam ? Si ascendero in cœlum, tu ibi es ; si des- » cendero in abyssum, tu ades[4]. » Ergo si Spiritus Dei et in cœlo et in terra et in inferno adest cum illo qui dicit : « Cœlum et terram ego impleo[5] : » Ergo Trinitas unus est Deus. Sed audi adhuc, hæretice, unde convincaris, quod Trinitas unus sit Deus. In ipso principio libri Geneseos, quod diximus scriptum est : « In principio fecit Deus cœlum et » terram[6]. » Ecce Deus Pater, et principium Filius, secundum quod se dixit esse principium. Si autem et Spiritum sanctum quæris : « Spiritus, inquit, Dei superferebatur su- » per aquas[7]. » Cum ergo in consequentibus legitur : « Di- » xit Deus : Fiat lux ; et, Finxit Deus de terra ; et, Fecit » Deus, » hoc demonstratur quod inseparabilia sunt opera Trinitatis. Evidentius hoc in consequentibus demonstratur. Nam cum ventum esset ad id ut homo formaretur, ait Scriptura : « Et dixit Deus : Faciamus hominem ad ima- » ginem et similitudinem nostram[8]. » Non dixit : Faciam ad imaginem et similitudinem meam, ut solus Pater intelligeretur : nec dixit : Fiat, ut Filio veluti juberet facere, per quem facta sunt omnia : nec dictum est : Fecerunt, ut singuli singula in eo conferrent opera sua : sed

[1] Joan. IV, 24. — [2] Isai. LXI, 1. — [3] Luc. I, 35 — [4] Psal. CXXXVIII, 7, 8. — [5] Jerem. XXIII, 24. — [6] Gen I, 1. — [7] Ibid. 2. — [8] Ibid. 26.

cum diceretur : « Faciamus hominem ad imaginem et si-» militudinem nostram, » ut Trinitas unus Deus intelligeretur; statim subjunctum est : « Et fecit Deus homi-» nem, ad imaginem suam fecit illum[1]. » Ecce per Scripturas sanctas Trinitas unus Deus prædicatur, Arianus convictus aliquando confundatur. Sed audi adhuc, hæretice, apostolum Paulum convincentem te et docentem me, audi quid de Deo Filio dicat : « Cum, inquit, in forma » Dei esset, non rapinam arbitratus esse æqualis Deo[2]. » Ille eum prædicat æqualem, tu eum asseris minorem. Cui credendum est, Apostolo, an tibi? Tibi quem totus orbis abjecit, an illi quem totus mundus suscepit? Cedat igitur vel sero convicta perversitas tua, quia jam totum mundum possedit Evangelica et Apostolica doctrina.

VIII. Alia quoque spelunca latronum non bonorum, hæreticorum Pelagianorum, et demonstranda est et cavenda : hæc est enim eorum perversa doctrina. Cum Scriptura dicat : « Maledictus homo qui spem suam ponit » in homine[3]; et, qui gloriatur, in Domino glorietur[4] : » isti contra, hoc maledictum hominem non incurrere promittunt, si de se præsumpserit, vel in se ipso gloriatus fuerit. Sed quid contra hos multa dicamus? Hoc promisit et pater illorum diabolus illi primo homini : « Non morte, » inquit, morieris : eritis sicut dii[5]. » Deum contempsit, serpenti credidit, et quod acceperat perdidit. Si tunc ille homo non fuit cautus, nunc homo caveat vel expertus. Odit Deus præsumptores de viribus suis. Quid enim valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi; ad bonum non, nisi adjuventur a Deo. Primus enim ille homo accepit liberum arbitrium rectum, et posuit ante eum Deus, sicut Scrip-

[1] Gen. I, 27. — [2] Philip. II, 6. — [3] Jerem. XVII, 5. — [4] I Cor. I, 31. — [5] Gen. III, 4-5.

tura dicit : « Ignem et aquam : ad quod volueris, inquit, » porrige manum tuam[1]. » Elegit ignem, reliquit aquam. Videte justum judicem. Quod elegit homo liber, accepit : malum voluit, hoc illum secutum est. Videte rursum illum justum judicem misericordiam facientem. Cum videret quod homo totam stirpem suam, male usus libero voluntatis arbitrio, in se tanquam in radice damnasset, ipse non rogatus de cœlo descendit, et hominem superbia pereuntem, sua humilitate sanavit : errantes perduxit ad viam, peregrinos perducit ad patriam. Non ergo glorietur humana natura de se, sed in eo glorietur qui fecit se.

IX. Jamvero cæteræ sectæ hæreticorum Christum viam prædicantium, sed longe a via errantium, una voce ipsius veræ viæ convincuntur atque confunduntur dicentis : « Multi mihi dicent in illo die : Domine, Domine, » nonne in tuo nomine prophetavimus, et in tuo nomine » dæmonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fe- » cimus? Et tunc dicam eis : Non novi vos : recedite a » me omnes qui operati estis iniquitatem[2]. » Ideo operati estis iniquitatem, quia Ecclesiæ meæ perturbastis unitatem.

X. Vos autem fidelia germina sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ per universum mundum diffusæ, fugite omnes hæreses. « Si quis aliud evangelizaverit vobis, anathema » sit[3]. » Rectos cursus facite pedibus vestris : non declinetis nec ad dexteram præsumendo, nec ad sinistram desperando. Currite velociter rectam viam : ipsa enim vos perducit ad patriam ; ad illam patriam cujus cives Angeli sunt, cujus templum Deus, cujus splendor Filius, cujus charitas Spiritus sanctus ; civitas sancta, civitas beata ; civitas ubi nullus perit amicus, quo nullus admittitur inimicus, ubi nullus moritur, quia nullus oritur ; nul-

[1] Eccli. xv, 17. — [2] Matth. vii, 22, 23. — [3] Gal. i, 9.

lus infirmatur, quia incorrupta salute lætatur. Cum illuc venerimus, non ibi esuriemus aut sitiemus : visio ipsa satietas nostra erit. Non ibi dormiemus, quia non ibi laborabimus. Nulla cujuslibet rei necessaria erit refectio, ubi nulla erit defectio. Vivemus, regnabimus, lætabimur. Si tantum delectat cum de ea loquimur, quid erit et videre : Videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo. Vita enim nostra erit laudare Deum, et sine defectu amare. « Beati enim, ait Propheta, qui habitant in domo » tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te[1]. » Fratres dilectissimi, si cum navigantibus laboravimus, et viatoribus ducatum præbuimus, si devias fauces latronum, hoc est, hæreticorum sollicite demonstravimus, si ipsam patriam cœlestem declaratam atque demonstratam jam cernitis oculis cordis vestri : reddite nobis fructum laboris nostri. Reddite, fratres, reddite, exigimus a vobis. Talis est enim merces nostra, quam a vobis exigimus, ut nec nos pudeat petere, nec vos pigeat erogare. Hoc quod exigimus, erogando cumulabitis magis, quam detrimentum patiemini, si non erogaveritis. Quæ est ergo merces nostra? Non quærimus aurum vestrum, non argentum vestrum, non nummum vestrum, nec quidquam de rebus vestris : sed merces nostra est, ut in illo sancto fonte adjuvetis nos orationibus vestris.

[1] Psal. LXXXIII, 5.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE QUARTA FERIA,

SIVE

DE CULTURA AGRI DOMINICI.

SERMO[1].

I. Cœlesti gratiæ et spiritali pluviæ præparandus est ager Ecclesiæ, quia imber divinus in proximo est. Operemur, dilectissimi, in isto agro quod nobis creditum est. Nobis enim datum est, plantare, rigare, arare, novellare : sed Dei est, incrementum dare. Apostolus Paulus doctor gentium in fide et veritate, per se ipsum et operando et monendo hanc nos docuit dominicam exercere culturam, dicens : « Ego plantavi, Apollo rigavit, sed » Deus incrementum dedit. » Et paulo post : « Dei enim » sumus cooperarii, Dei agricultura, Dei ædificatio es- » tis [2]. » Et alibi : « Cooperatores mei estote, fratres, et » intendite eos qui sic ambulant sicut habetis formam » nostram [3]. » In ista itaque, fratres, dominica agricul-

[1] Sequentes Sermones, *de Quarta Feria, de Cataclysmo*, et *de Tempore barbarico*, dubii nobis sunt, et videntur subdititii. — [2] 1 Cor. III, 6. — [3] Philip. III, 17.

tura, in qua nos Dominus operari præcepit, sic operemur, ut mercedem promissam dono gratiæ accipere mereamur. Tempus est, operemur, laboremus.

II. Quinque illa juga boum, quæ ille invitatus in Evangelio dum ad cœnam venire nollet [1], probare se velle dixit, et propterea a cœna se excusavit, quoniam sibi ea, non agriculturæ dominicæ comparavit : nos ea ipsa quinque juga in agro dominico jungamus, terram durissimam sulcis spiritalibus exaremus, semen verbi Dei projicientes, quascumque spinas malarum cupiditatum invenerimus, evellamus, eradicemus, divino igne succendamus : ut in tali opere laborantes, Domino Deo nostro fiducialiter dicamus : Domine paterfamilias, quoniam te adjuvante fecimus opus quod jussisti, redde mercedem quam promisisti. Quæ sunt quinque illa juga boum? Quinque juga boum, quinque sensus corporis sunt, visus in oculis, auditus in auribus, olfactus in naribus, gustus in faucibus, tactus in manibus. Et ista juga sunt : duo sunt oculi, duæ aures, geminæ nares, duæ manus; et in ipso gustu geminum quiddam invenitur, quando sapor ipse faucibus atque palato judicante discernitur. Ista ergo quinque juga terram versant, quando suis officiis deservientes animum carnemque parant, aut ad uberes fruges si ros cœlestis infuderit, aut ad aridas spinas si sicca terra remanserit, eorum opus in posterum subsequetur.

III. Sed quoniam nos Dominus atque paterfamilias noster passim et sine ulla discretione cujuslibet glebæ semen verbi sui jacere præcepit : (Inducit enim in Evangelio hujus ministri similitudinem, et dicit : « Ecce exiit semi- » nans seminare : et dum seminat, aliud cecidit inter spi- » nas, aliud in viam, aliud in petrosa, aliud in terram » bonam [2]. » Et cum demonstraret quæ esset spinosa

[1] Luc. XIV, 19. — [2] Matth. XIII, 3.

terra, homines videlicet qui verbum Dei spinis cupiditatum præfocant tantum semen, et non reddunt fructus justitiæ; similiter de alia terra petrosa atque conculcata via, suæ similitudinis propositæ redderet rationem, ad terram bonam pervenit, et ait : « Quod autem cecidit » in terram bonam, hi sunt qui cum acceperint verbum » Dei, custodiunt illud et faciunt [1]. » Quia : « Non audi- » tores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis jus- » tificabuntur [2]. ») Non ergo nos, dilectissimi, aut timor spinarum, aut saxa petrarum, aut durissima via perterreat : dum tamen seminantes verbum Dei, ad terram bonam tandem aliquando pervenire possimus. Accipe verbum Dei omnis ager, omnis homo, sive sterilis, sive fœcundus : ego spargam, tu vide quomodo accipias; ego erogem, tu vide quales fructus reddas. Melius est enim ut de accepto tu pro te rationem reddas, quam nobis non erogantibus juste dicatur : « Serve nequam et piger, tu » erogares, ego veniens cum usuris exigerem [3]. » Si vero te terram infœcundam aut spinosam vel siccam sentis, recurre ad Creatorem tuum. Hoc enim nunc agitur, ut innoveris, ut fœcunderis, ut irrigeris ab illo, qui « Po- » suit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua » in exitus aquarum, et habitare fecit illic esurientes, et » constituerunt civitatem habitationis, et seminaverunt » agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum fru- » menti [4]. » Ex qua terra? Ex illa sterili, spinosa, et inaquosa. Et tu unaquæque anima quæ accedis ad Christum, terra es spinosa et arida. Unde probamus, quia talis es? Recole illam sententiam, quam in primis parentibus accepisti, et invenies quid inde traxisti. « Spinas, » inquit, et tribulos pariet tibi [5]. » An respondebis, non

[1] Matth. XIII, 23. — [2] Rom. II, 13. — [3] Matth. XXV, 26. — [4] Psal. CVI, 35-38. — [5] Gen. III, 18.

te esse terram spinosam? Si spinas non haberes, capiti Creatoris tui coronam spineam non imponeres. Quia ergo et tu talis es, spinarum multitudine, id est, peccatorum, prægravata es : ideo tibi talis cultura impenditur, propterea crucis ligno exararis, propterea cœlesti pluviæ præpararis, ut cum fœcunda effecta fueris, non gratuleris de tuis quæ nulla sunt meritis, sed reddens bonos fructus Christi prædices gratiam. Vis nosse qualis tibi adhibeatur cultura, qualis te desuper perfundat gratia? Ecce agnosce, Christi cruce exararis, quando ejus signo in fronte signaris: ejus sanguine rigaris, quando in morte ipsius baptizaris. « Quotquot enim, ait Apostolus, in Christo baptizati su-» mus, in morte ipsius baptizati sumus [1]. »

IV. Multum est quod dictum est, ejus sanguine rigaris. Videamus quomodo per aliquam similitudinem hoc quod diximus probare possimus. Non enim nostris sermonibus, sed documentis divinis fides accommodanda est. Ecce, intendite, dilectissimi, Judas ille malus et falsus discipulus, venalis et venditor, fur et traditor, emptus a Judæis, ut cum eis mancipium esset diaboli, pretium accipiens de illo qui non habet pretium, venditor sanguinis Christi, ex ipso pretio, ut Scriptura narrat [2], emit sibi agrum figuli : ut is qui hæreditatem integram Christum non habebat in cœlo, partem aliquam habere vellet in sæculo. Quam nec ipsam possedit, quia sceleris tanti facti sibimet conscius, collum sibi alligavit, et prostratus in faciem disruptus est medius. Ager tamen ille qui ab eo comparatus est, vocatus est ager sanguinis, quoniam ex pretio comparatus est tanti sanguinis. Vendidit discipulus sanguinem magistri, et emit exinde agrum figuli : quid est hoc? Putamus, dilectissimi, vacare hanc actionem in illa venditione vel emptione, vel in ipsa Christi mystica pas-

[1] Rom. VI, 3. — [2] Act. I, 19.

sione? Comparavit, ait Scriptura, Judas agrum figuli, et vocatus est ager ille, ager sanguinis. Clamat hæc terra quali vel quo pretio fuerit comparata, imo pretium ipsum clamat, sanguis ipse clamat, Abel ille justus ab impio fratre occisus clamat. Namque, dilectissimi, cum hæc similitudo passionis Christi et nequitia Judæ ac Judæorum in illis duobus primis monstraretur fratribus, Caïn et Abel, posteaquam a majore fratre minor occisus est, ab invido innocens peremptus est, a scelerato pius interfectus est, interrogat Deus Caïn, quasi nescius, quasi ignarus, et dicit : « Ubi est Abel frater tuus [1]? » Quæ vox non est ignorantis, sed peccatum ante oculos scelerati ponentis; ut inexcusabilis sit omnis homo, qui et admonitus pœnitere non vult in malo. « Ubi est Abel frater tuus? » hoc fuit dicere ei : Agnosce, Caïn, non me potuisse latere id quod me putasti posse latere : agnosce quid feceris, de proximo age pœnitentiam, ut possis accipere indulgentiam. Verum ille sensu durior, in scelere pertinacior, moribus perversis in anima percussus, respondet Deo dicenti : « Ubi est frater tuus? » et dicit : « Nescio. Numquid » ego custos sum fratris mei? » Quid dicis, Caïn? cui dicis : « Nescio? » Cum illo loqueris qui omnia videt oculis suis. Quid est quod dicis : « Numquid ego custos fratris mei » sum? » Talia perpetrando repulisti a te in omnibus timorem Dei. Et Dominus illi : « Quid fecisti? Vox sanguinis » fratris tui clamat ad me de terra [2]. » Si enim esses fratris tui custos, ejus non esses interfector. Si agnosceres fraternitatem, tantam non committeres immanitatem. Si timeres meum judicium, in fratrem non committeres parricidium. « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. » Et nunc, ait Dominus, maledictus tu a terra. » Non maledicta terra, sed, « Maledictus tu a terra, quæ accepit

[1] Gen. IV, 9. — [2] Ibid. 10.

» sanguinem fratris tui de manu tua [1]. » Agnosce jam, terra, quoniam sanguine rigata es innocentis, convince vocem negantis, suscipe sanguinem confitentis. Interrogentur et nunc Judas et Judæi, imo in Juda omnes Judæi. Interroget Dominus Judam, et dicat ei, Juda, ubi est Christus frater tuus? An forte dicturus es, o male frater, quod Christus tuus non fuit frater? Convincat te prius ipse Dominus quod tuus fuerit frater. Dic nobis, Domine Jesu Christe, utrum Judas fuerit frater tuus. Respondet: Et si fuit, fuit: non enim est quod fuit, et si fuit, fuit: ego enim generaliter de omnibus Patri meo dixi: « An- » nuntiabo nomen tuum fratribus meis [2]. » Ecce, Juda, convictus es, quod Christus fuerit frater tuus. « Ubi est » frater tuus? » Responde, dic, sequere, dic quod dixit et ille: « Nescio. Numquid ego sum custos fratris mei? » Non enim et tu fuisti custos, qui et proditor factus es et venditor. Dic: « Numquid sum custos fratris mei? » ut respondeatur et tibi: « Vox sanguinis fratris tui clamat » ad me de terra. » Quid enim dicit omnis homo terra? « Primus enim homo de terra terrenus; » et: « Qualis ter- » renus, tales et terreni [3]. » Quid dicit omnis homo terra, quando accipit sanguinem Christi? « Amen » dicit. Quid est « Amen? » Verum est. Quid est verum? Quia fusus est sanguis Christi. Quo faciente? Discipulo Juda tradente. « Amen » dicendo, verum clamando dicit hoc omnis homo terra. Ecce, Juda, « Vox sanguinis fratris tui clamat » ad me de terra. » Probavimus, quia ejus sanguine rigaris.

V. Vide, terra, quomodo accipias hunc sanguinem: quia qui eum bene accipit, accipit benedictionem: qui vero eum male accipit, judicium sibi bibendo acquirit. Hoc figuratum est et in illo agro Judæ, de quo dictum est

[1] Gen. IV, 11. — [2] Psal. XXI, 23. — [3] 1 Cor. XV, 45-48.

quod esset ager sanguinis : secutum est enim ut diceretur : « Fiat villa ejus deserta [1]. » Si enim ad Judam pertines, si facta ejus imitaris, si sanguinem Christi non cum timore et tremore accipis ; eris villa deserta, maledicta, reproba et spinosa. Si autem sanguinem Christi tota cum reverentia percipis, cognosces per illum tua tibi dimitti peccata, quoniam ager ille quem comparavit Judas, figuli dictus est : « Habet potestatem figulus luti, » ex eadem consparsione aliud quidem vas facere in ho» norem, aliud in contumeliam [2]. » O terra tanto rigata sanguine, responde tanto sanguini, non sicut Caïn et Judas verba excusationis, sed sicut sancti Martyres verba confessionis. Responde sicut respondit beatus Stephanus, qui in isto agro dominico ut bonus colonus plurimum laborando genu fixit, atque de terra petrosa vulneratus, ex ea lapides in suo corpore tanquam in sinu suo collegit : et sudando in opere, terram sancto sanguine rigando centenum fructum ex martyrio Domino præsentavit. Responde sicut respondit Cyprianus, Laurentius, cæterique sancti pueri et puellæ, ætas omnis et uterque sexus, qui percipientes sanguinem Christi, testimonium dicentes, et non negantes nomen Christi, pro sanguine quem biberunt, sanguinem suum fundere non dubitaverunt, simulque cum Perpetua et Felicitate in æternum regnare meruerunt. Hoc in Apocalypsi revelante Angelo, Joannes « Vidit turbam multam, quam dinumerare nemo po» terat [3]. » Hanc requirens quænam esset, responsum tale accepit : « Hi sunt, dictum est, qui laverunt stolas » suas, et candidas eas fecerunt in sanguine Agni [4]. »

VI. Jam agnoscis, anima christiana, quemadmodum et tu ex illo sanguine efficiaris candida, ut omnis et corpore et corde pulchra ascendas de fonte Christi consecrata in

[1] Actr, 20. — [2] Rom. IX, 21. — [3] Apoc. VII, 9. — [4] Ibid. 14.

sanguine. Quid enim manavit ex illo latere crucifixi ? Sanguis et aqua : ex sanguine rubor, ex aqua splendor. In istis duobus sacramentis decorantur singulæ animæ, ex quibus una illa pulchra efficitur sponsa Ecclesia, cui dicitur in Cantico canticorum : « Quam speciosa es, soror » mea, dilecta mea, quam speciosæ sunt genæ tuæ[1]. » Et cum ipse eam talem fecerit, ipsamque pulchritudinem ei ipse donaverit, videns eam talem quasi miratus exclamat, atque circumstantes interrogans dicit : « Quænam est hæc » quæ ascendit dealbata ? Et illi, Æquitas dilexit te[2]. » « Ipsa est regina quæ astitit a dextris tuis in vestitu » deaurato, circumamicta varietate[3], » linguarum diversarum gentium varietate decorata. Audiens hæc sponsi sui vocem dicentis : « Quænam est hæc quæ ascendit deal- » bata ? » verecunde etiam ipsa respondere cogitur, et dicit suo sponso : De me interrogas quænam sim quæ ascendi dealbata ? Ego sum quam fœdam invenisti, pulchramque fecisti. Ego sum cujus preces audisti, quando me in Psalmo cantare fecisti : « Lavabis me, et super nivem dealbabor[4]. » Quid ergo miraris pulchritudinem meam, cum scias hanc esse opera tua ? Quid interrogas, quod ipse fecisti. Vides me dealbatam, tu lotam super nivem fecisti candidam. Ut videas me ascendentem, te cognovi de cœlo descendentem, te amavi in cruce pendentem. Humilitas tua facta est exaltatio mea, fœditas tua facta est pulchritudo mea. Nisi enim tu de cruce vulneratus descenderes, ego dealbata de fonte non ascenderem. Vere dictum est : « Quia valida est sicut mors dilectio[5]. » Quousque se sponsus hic inclinavit, qui tantum amando fœdam ut faceret pulchram, usque ad mortis exitum venit : « Et » Domini, inquit, mortis exitus[6]. Vidimus enim eum,

[1] Cant. IV, 1. — [2] Id. VIII, 5. — [3] Psal. XLIV, 10. — [4] Id. L, 9. — [5] Cant. VIII, 6. — [6] Psal. LXVII, 21.

» ait Propheta, et non habebat speciem, neque decorem[1]. » Quid miraris? Amando talis factus est.

VII. Hanc tamen amissionem decoris hujus timuit Petrus, quando prænuntianti Domino passionem suam dixit: « Absit a te, Domine, propitius tibi esto, ne fiat istud[2]. » Sed ille talia sapientem increpavit, et Apostolum diabolum vocavit dicens: « Redi retro, Satanas, non enim sapis » quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum[3]. » Æstimavit enim Petrus totam illam Divinitatis pulchritudinem absorberi potuisse in corporis humani specie, et nesciebat agi illud magnum sacramentum, quod propterea se illam pulchritudinem quodam modo expoliaret, ut quam sibi conjungere dignabatur sponsam Ecclesiam, eamdem ipsam pulchritudinem ipse vestiret. Non enim dando perdebat illud, quod erogando crescebat. Ille dedit, hæc accepit; et ista quod non habuit invenit, et ille dando quod dedit non amisit, quia cum ipsa pulchritudine a mortuis resurrexit. Quid expavescis, Petre, quasi perdiderit Christus illam pulchram vestem, quando eum nudum intendebas in ligno pendentem? Noli expavescere, noli timere, noli negare: tunicam illam Divinitatis atque immortalitatis Christus non perdidit in cruce, quia sponsæ suæ eam consignavit in dote. Vidisti eum, o Petre, non habentem speciem neque decorem, et continuo negasti illum, quem omnibus relictis tuis amasti: et non solum semel, sed stans in atrio Sacerdotis ab una ancilla tertio interrogaris, et negas. At ubi te, gallo canente, convicit præsumptorem, qui prædixerat antea negatorem[4]: respexit te intus in corde, et ut amare fleres, intus quodam modo tecum tacite loquebatur illa ipsa ejus Divinitas, et dicebat tibi: Ubi est, Petre: « Si possides amicum, in tentatione posside eum[5]? »

[1] Isai. LIII, 2. — [2] Matth. XVI, 22. — [3] Ibid. 23. — [4] Matth. XXVI, 75. — [5] Eccli. VI, 7.

Ubi est : « In tempore tribulationis illius permane illi fide- » lis, ut et in hæreditate illius cohæres sis[1] ? » Ubi est, Petre : « Animam meam pro te ponam[2], « et, » Tecum usque ad » mortem[3] ? » Quam celeriter negasti quasi hominem mortuum, quem antea confessus fueras vivi Dei Filium ! Hæc dum ille tecum in corde sermocinaretur, respexit Divinitas, et flevit humanitas : agnita est dulcedo, et periit amaritudo : suscepta est charitas, et deleta est iniquitas : rediit amor et fugatus est timor. Ecce subito quem negaverat, quia non habebat speciem neque decorem, agnoscit resurgentem speciosum forma præ filiis hominum, conjunctamque illi videt sponsam, tunicam illam immortalitatis, quam antea Petrus timuerat perituram, indutam videt : cognoscit quod tali sit circumamicta veste, et alloquitur illam ipsam sponsam Petrus, ut servet hujus tunicæ dignitatem, et dicit animæ humanæ : « Christus pro vobis » passus est, relinquens vobis exemplum, ut sequamini » vestigia ejus[4]. » Sequere, sponsa, sequere vestigia sponsi tui : nullus te metus revocet a consortio dilecti tui. Ama amantem, quia prius ille amavit non amantem : require requirentem, quia prius ille quæsivit non quærentem : Require, et dic sponso tuo. « Ubi pascis, ubi cubas in me- » ridie ? Ne forte fiam sicut operta super greges sodalium » tuorum[5]. » Quam sic dilexisti, pro qua sanguinem fudisti, cujus tabernaculum in sole posuisti[6] : « Non fiam si- » cut operta super greges sodalium tuorum. »

VIII. Ecce dum te quæro ubi pascas, ubi cubes in meridie, meridies Africa est, quæ in solis occasu est, et tamen quia ab ortu solis usque ad occasum laudatur nomen tuum[7], et sunt qui te prædicant non caste, quærentes quæ sua sunt, non quæ tua sunt, dum te quæro in meri-

[1] Eccli. XXII, 29. — [2] Joan. XIII, 37 et 38. — [3] Luc. XXII, 33. — [4] I Petr. II, 11. — [5] Cant. I, 6. — [6] Psal. XVIII, 6. — [7] Psal. CXII, 3.

die, id est, in Africa, ecce greges sodalium tuorum, scholæ pessimæ hæreticorum, fraus Manichæorum, nequitiæ Pelagianorum, superba congregatio Arianorum, insultant velut opertæ, id est, velut incognitæ, et dicunt mihi : Quem quæris ? Christum quæris ? Ecce hic est, ecce illic est. Tu autem quia me admonuisti dicens : « Si autem dixerint : » Ecce hic est, ecce illic est, ne abieris post eos[1] ; » cum te noverim ubique totum esse, non partes defendere, sed unitatem diligere, facta sum illis incognita et velut operta : et derident me, quia nesciunt te. Et quid magnum, quia ego ab eis sustineo tale opprobrium, cum tu eorum nunc usque contumeliosum sustineas verbum ? qui te cum Patre nolunt esse unum, sed dividendo inter Patrem et Filium, inter sponsam et sponsum, magnum incurrunt sacrilegium, magnum suæ animæ inferunt morbum ; quia nec te unius unicum sponsum, nec fidelem atque integrum habere desiderant medicum. Tu autem, anima christiana, quæ ascensura es ex sacratissimo fonte, rubore atque decore perfusa, speciosa nimis et candida, serva decorem tuum : agnosce quid fueris et quid eris, vide ne deseras mensam sponsi tui. Ut pulchra permaneas, carnes ejus quotidie manducabis : ut vitam æternam habeas, sanguinem ejus potabis : vide ne deseras hanc mensam. Plurimos apparatus hæreticorum fuge : et si plurima illic pravis disputationibus apponuntur, aut fœda sunt, aut semesa sunt. Non est enim illic quidquam integrum, ubi Pater et Filius et Spiritus sanctus non est unum. Mensa sponsi tui panem habet integrum, et calicem sanctum : quem panem etsi confractum comminutumque vidimus in passione, integer tamen mansit in illa sua cum Patre individua unitate. De isto pane et de isto calice dicebat ipse Dominus : « Panis » quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita : et ca-

[1] Matth. xxiv, 23.

» licem quem sanctificavero, sanguis meus est, qui pro » vobis fundetur in remissionem peccatorum. » Superius enim dixerat: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, » et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in » vobis. » Quod verbum audientes, nec intelligentes Discipuli, dixerunt: « Durus est hic sermo, quis eum potest » audire? » Et multi ex hoc verbo scandalizati discesserunt. Cum videret autem Jesus, ait reliquis: « Numquid » et vos vultis ire? » Tunc Petrus, qui sanctæ figuram portabat Ecclesiæ, respondit pro omnibus: « Et ad quem » ituri sumus? Verbum vitæ habes, et dimittimus te[1]? » Videtis, dilectissimi, quid sit exire, quid sit permanere. Qui exierunt, quia verbum Christi non intellexerunt, non jam discipuli, sed hæretici remanserunt: qui perstiterunt, verbum vitæ tenuerunt. Agnoscite, hæretici, exitum vestrum, quia minorem prædicatis Christum nostrum. Et vos cum eo stare noluistis, quia Christum unum esse cum Patre non intellexistis: ideo foras existis, quia verbum vitæ reliquistis. Non in vobis manet, qui cum Patre æqualis manet. Audi ipsum, quia simul cum Patre manet. « Si » quis, inquit, me diligit, diligetur a Patre meo, et ego » diligam eum, et veniemus ad eum ego et Pater, et » mansionem apud eum faciemus[2]. » Dic mihi, obsecro, hæretice Ariane, unam animam tuam simul habitat hæc Trinitas, Pater, et Filius et Spiritus sanctus? Quoniam et Spiritus sanctus habitat in nobis: « Nescitis, inquit » Apostolus, quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus » habitat in vobis[3]? » An diversas mansiones in corde tuo præparas Trinitati, ut majorem partem teneat Pater major, minorem Filius minor, inferiorem Spiritus sanctus inferior? Jam ergo non habes unum cor, sed duplum, aut triplum. Non ergo illic habitat Trinitas. Quare? Quia dic-

[1] Joan. VI, 52-69. — [2] Id. XIV, 23. — [3] 1 Cor. VI, 19.

tum est : « Væ duplici corde[1]. » Insensate, inepte, fatue : ignis, splendor, et calor simul atque inseparabiliter, nec distincte, sed æqualiter habitant unam lucernam, et una Trinitas Deus simul non potest inhabitare animam humanam ? Si apud te æqualis unitatis individuæ Trinitatis non fuerit digna mansio inventa, respondebitur tibi : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta[2]. » Non enim de lapidibus vivis construis templum Deo, quos rebaptizando præfocas, exhonoras, reprobas, vastas, damnas, exterminas. Nec fundamenta Apostolorum sequeris, cum sint ipsi columnæ Dei vivi, super quas fabricavit Sapientia domum suam : ut construeretur verum illud templum, in quo erat pietatis magnum sacramentum. De quo templo dicebat Judæis : « Solvite templum hoc, et in triduo » resuscitabo illud[3]. » In patribus tuis non habes lapidem angularem, quem secundum Divinitatem Patri æqualem non credis : nec tecum ex duabus pennis charitatis dilectionem Dei et proximi te habere demonstras ; quia nec Deum diligis sicut diligendus est, nec proximum sicut te ipsum. « Diliges enim Dominum Deum tuum, dic- » tum est, ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex » tota virtute tua[4]. » Da cor tuum Patri, animam Filio, virtutem Spiritui sancto. Ecce tria Trinitati, ex tribus unum hominem uni Trinitati sacrificium obtulisti, hæresim Arianam vicisti ; quoniam Dominus Deus tuus non tres dii, sed Dominus unus est. Hæc est fabrica sancta, hæc est aula[5] vera, in qua sunt oves Christi, non lupi diaboli.

IX. Cavete, dilectissimi, fraudes hæreticorum ; oves Christi, timete insidias luporum : videte quia nihil subtractum est utilitati vestræ, in quantum ipse Dominus

[1] Eccli. II, 14. — [2] Matth. XXIII, 38. — [3] Joan. II, 19. — [4] Matth. XXII, 37. — [5] *Forte* caula.

donavit de annuntiatione verbi Dei. Quid Christus sit et quid Ecclesia audistis, approbastis, clamastis : sed quare tanta mala patiamur, vel quibus meritis peccatorum in manus tribulantium nos traditi fuerimus, cum ante paucissimos dies loqueremur[1], simul agnovimus, simul flevimus. Nunc etiam quid accepturi estis, vel quid eritis, adhuc in auribus vestris insonat strepitus nostræ vocis : admonemus vos ut fratres, obsecramus ut patres, hortamur ut filios. Nolite perdere tantum bonum. Amor Christi in cordibus vestris non refrigescat : amor matris hujus circa vos non torpescat : quæ vos parturit, quæ curam magnam pro salute vestræ animæ gerit, quæ spem vestram dirigit, quæ quotidie redeuntes materno sinu excipit, quæ vobis spiritales cibos præparat, quæ ad æternam saturitatem perducere desiderat. Immaculatos filios Deo Patri vult assignare, quos tanta cura ac sollicitudine dignatur nutrire. Hanc toto corde amate, hanc amando conservos vestros, fratres vestros, Dei ministros puro amore diligite : atque pro nostra mercede in illo sacratissimo fonte pro nobis orate. Orate pro pace, orate pro liberatione hujus terræ : orate ut misereatur qui juste indignatur. Novelli filii, dum in vestra sancta nativitate pater exultat, vestris orationibus et fletibus mitigate irascentem, quem sensimus fortiter vindicantem. In summa autem rei, Apostolorum sanctorum verbis utentes, commendamus vos Deo in verbo gratiæ ejus, qui potens est custodire in vobis quod ipse donavit[2]. Ipsi gloria cum Spiritu sancto in in sæcula sæculorum. Amen.

[1] *Forte* in Sermone *de Tempore barbarico*. — [2] Act. xx, 32.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE CATACLYSMO.

AD CATECHUMENOS

SERMO.

I. Quoniam in proximo est dies redemptionis vestræ, percipite, dilectissimi, ea quæ vos erudiant atque corda vestra enutriant, erigant, corroborent ad timorem Dei : fervor iste tanti amoris non pigrescat in cordibus vestris. Nec putet quis tantum esse Christianum, quod his imbutus mysteriis renascitur ex aqua et spiritu, et postmodum dimittat se voluptatibus variis ; securusque effectus quod sacramento baptismatis munierit animam suam, non eam custodiat contra versutias inimici. Imo et ipse quantum potest custodiat, et custodiendam petat, ne tempestatibus hujus mundi procellisque depereat. Baptizatus est quis, navis est instaurata, subuncta, velificata, missa in mare, indiget gubernaculo, quousque ad portum desideratum perveniat. Mare, hoc sæculum scilicet, non solum tempestatibus scopulisque periculosum est, verumetiam bestiis cupiditatum insidiantibus abundans. Omni sollicitudine, omni cura, omni industria excitati jam vi-

gilent nautæ : frequenter etiam Christus invocetur gubernator, ut navem tantis periculis ereptam, ad portum securitatis ipse perducat. Baptizatus es, signatus es regio charactere, cœpisti consequi annonam de mensa Regis tui. Noli esse desertor, nec ut delicatus miles diffluas per voluptates, et te hostis diabolus inermem diffluentemque inveniat : sed ut fortis miles quidquid potes age in hoc bello, ut virtus tua Christus non solum te tueatur, verumetiam alii proficiant ad salutem. Postula a rege tuo arma spiritalia. Bellum tibi, inquit, indicitur, in quo enitescas pugnando, ut ad plenam pacem triumphando pervenias. Non contra unum dimicabis, multi enim contra te exient adversarii : pugnabis enim cum vitiis, et, ut beatus martyr Cyprianus ait [1], si depresseris avaritiam, exurget libido, quod et si libidinem superabis, succedet ambitio ; et si ambitio a te fuerit devicta, ira, zelus, æmulatio, invidentia, superbia, ebriositas, cum cæteris suis pestiferis sociis in unum contra te dimicantium constituent castra.

II. Sed non metuas, habes quod agas. Invoca Dominum virtutum, induat te ex alto virtute, ut illam proferas vocem : « Si consistant adversum me castra, non ti-» mebit cor meum ; et si exurgat in me prælium, in illo » ego sperabo [2]. » In illo, in quo ? nisi in Domino virtutum, qui militem suum ita expectat dimicantem, ut adjuvet laborantem. Baptizatus es, mundatus, unctus oleo, restauratum est corpus tuum ad priorem statum primi illius hominis ante peccatum : noli postmodum male securus esse. Ad agonem produceris, contra diabolum vitiorum principem dimicabis in arena hujus mundi ; utræque partes, Christi scilicet et diaboli, infinita populi multitudo te expectat luctantem ; et quisnam vincat, vide

[1] Cypr. in libro de Mortalitate. — [2] Psal. xxvi, 3.

omnem turbam nimia intentione pendentem : Non de te triumphet pars diaboli. Si vis vincere, noli de te præsumere : sed illi assigna victoriæ gloriam, qui tibi donat ut victoriæ perferas palmam. Vis vincere? Caput prius contere inimici, excludendo de corde tuo suggestiones diaboli. Vis vincere? Manus tuæ fortes inveniantur in bono opere. Vis vincere? Fige pedes, non nutent vestigia tua frequentando spectacula et deserendo ecclesiam. Sed ut hanc etiam in tam magno agone et tam grandi luctamine possis implere victoriam : « Mittat tibi Dominus auxilium » de sancto, et de Sion tueatur te [1]. »

III. Ecce, dilectissimi, venturi estis ad fontem aquæ : non dicatis in cordibus vestris : Hoc est totum quod pro magno desiderabamus? Fons iste visibilis, similitudo est æterni fontis. Renascemini ex aqua et Spiritu. Aqua illa non solum corporis sordes mundat, sed animam a peccatis liberat. Debetis autem nosse cur virtus illius aquæ et animæ prosit et corpori. Non enim omnis aqua mundat : sanctificatur hæc per consecrationem verbi. Tolle [2] verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Virtus Verbi per aquam mundavit nos, quia super aquas ambulavit. Ut autem a tempestate hujus sæculi liberaret vos, videte potentiam Verbi Dei, quemadmodum dominetur cunctæ creaturæ suæ. Quod dicturus sum nostis. In Evangelio legitur : Cum quarta noctis vigilia veniret Dominus Jesus ad Discipulos suos ambulans super aquas maris, et inveniret eos piscantes quos jam fecerat hominum piscatores, perterriti Discipuli putaverunt se phantasma videre[3]. Accessit autem Jesus, et ait illis : « Nolite timere, ego sum. » Tunc unus illorum Petrus ille præsumptor, et postea negator, post vero confessor et amator, « Si tu es, inquit, Domine,

[1] Psal. xix, 3. — [2] Ex Tract. lxxx in Joan. n. 3. — [3] Matth. xiv, 25.

» jube me venire ad te super aquas. » Et Dominus : « Veni, » inquit. Descendit Petrus, et cœpit ambulare super mare plenus fiducia. Dum ambulat, trepidavit infirmitas, sed statim subvenit Divinitas. Cœpit mergi : et exclamavit : « Domine, pereo. » Porrexit manum Dominus, erexit mergentem, confirmavit diffidentem, et ait illi : « Modicæ fidei, quare dubitasti? » Videtis, dilectissimi, quantum adjuvet fides, et quantum deprimat infidelitas. Si quis enim veniens ad aquas baptismi, fide plenus est, sublevatur : si quis infidelis est, mergitur. Sed porrigat manum Dominus etiam infidelibus mergentibus, et plenam fidem operetur in cordibus.

IV. Audite adhuc, aquæ sacramentum quid in vobis operabitur. Proponam figuram, ut ex ea vobis veritas elucescat. Cum Ægyptii duris operibus populum premerent Hebræum, clamor factus est populi in auribus Dei : et deprecati sunt ut eos liberaret a dominatu gentis pessimæ. Missus est Moyses, qui eos ex Ægypti educeret servitute[1]. » Apud Pharaonem principem Ægyptiorum fidelissimus Dei famulus allegat Imperatoris sui jussionem, et quid Rex omnium gentium præceperit, auribus durissimi regis insinuat. Obdurat Pharao cor suum, nec scire se dicit Deum : atque ejus ministros repudians gravioribus pœnis affligit populum. Ex majori angustia populi major clamor exurgit. Suscipit certamen famulus Dei Moyses, congreditur cum Pharaone, nullo telo, nullo gladio, nulla visibilia indutus arma, sed munitus potestate divina : inferuntur decem plagæ in Ægypto, et vindex ira in populum contumacem surgit, ut ex minutissimis animantibus, vermiculis, ranis et locustis cervix caderet superborum : in quibus plagis ultima mors primogenitorum Ægyptiorum omnium facta est, ut suos juste perderent, qui alienos injuste de-

[1] Exod. III.

tinebant. Dimittit populum Pharao, non voluntate, sed nimia necessitate constrictus. Pergit populus erutus ad mare Rubrum festinans, ut per aquas salvarentur qui a pessimo hoste liberabantur. Sequuntur Ægyptii, imminent populo fugienti. Vident supra se Israëlitæ hostes, et inimicorum suorum expectant gladium. Mors in oculis, timor et tremor in manibus singulorum; ne in fauces caderent persequentium. Exurgit Moyses famulus Dei portans virgam quam a Domino acceperat, et per quam jam multa signa fecerat : percussit mare, et divisum est. Ubi est illa potentia, non numinum, sed dæmoniorum? Ubi est vana superstitio Paganorum? Numquid ut mare divideretur, ille Neptunus est invocatus, quem regem maris esse volunt qui regem verum Deum suum agnoscere nolunt? Virga extensa manu aquas percutit Moyses, et statim cogitur fluctus in cumulum, et unda in semetipsa repressa curvatur : soliditatem recipit liquor, et solum maris arescit in pulveres. Ingressi sunt alii salvandi, alii damnandi. Unum elementum aquarum auctore totius creaturæ jubente judicavit utrosque : separavit pios ab impiis; illos abluit, istos obruit; illos mundavit, istos occidit. Moyses figuram habuit Domini Christi, quoniam dux fuit populi. In virga agnoscite crucem. Mare Rubrum agnoscite baptismum Christi sanguine purpuratum : regem Ægyptiorum populumque ejus, auctorem peccatorum diabolum cum omnibus ministris ejus. Sævit diabolus, quando nos videt per aquam baptismi a sua oppressione liberari. Exclamate ad Moysen vestrum Dominum Christum, et virga crucis percutiat mare baptismi, revertatur aqua et operiat Ægyptios : ut quemadmodum nullus remansit Ægyptiorum, nihil remaneat etiam vestrorum peccatorum. Totum mundet, qui totum fecit : reparet perdita, qui creavit omnia integra : extinguat Pharaonem

diabolum mortis auctorem, et suum populum liberet per aquam salutarem.

V. Audistis, dilectissimi, figuræ illæ quomodo transierunt ad speciem veritatis : illud superest, ut noveritis quemadmodum celebraverit Pascha liberatus populus ex Ægypto, baptizatus, ut ait Apostolus, in nube et in mari Rubro [1]. Acceperunt præceptum Domini per Moysen, ut in occisione agni celebrarent Pascha, ex cujus sanguine postes domus suæ unusquisque liniret, nec timerent Angelum vastatorem, qui signum sanguinis agni occisi in suæ fronte domus haberent. « Os, inquit, non commi- » nuetis ex eo, nec relinquetis quidquam in mane. Cum » picridiis et azymis comedetis agnum [2]. » Fecerunt quod præceptum est filii Israël. Demonstra et tu Israël spiritalis, fili Abrahæ secundum fidem, non secundum carnem, demonstra et tu quomodo celebres Pascha : habes agnum occisum, demonstra. « Ecce Agnus Dei : ecce qui tollit » peccatum mundi [3]. » Lini sanguine ejus postes domus tuæ : demonstra et dic : Ecce crux sanguinis Christi in frontibus est pudoris nostri. Dic cum Paulo : « Mihi ab- » sit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi [4]. » Os non comminuetis ex eo [5], » dictum est : Impletum est hoc in ipsa Domini passione, ipsius sancti Agni immolatione, quando crucifixus cum duobus latronibus in medio pendebat, ipsa summa justitia liberans unum confitentem, alium puniens blasphemantem. Ita factæ sunt tres cruces, tres causæ. Unus latronum Christo insultabat [6], alter sua merita confessus Christi se misericordiæ commendabat; crux Christi in medio, non fuit supplicium, sed tribunal. Mox ut peregit omnia quæ de se erant scripta, accepto felle et aceto, propter illud quod præ-

[1] 2 Cor. x, 11. — [2] Exod. xii, 46. — [3] Joan. i, 29. — [4] Gal. vi, 14. — [5] Exod. xii, 46, et Num. ix, 12. — [6] Luc. xxiii, 29.

dictum erat : « Dederunt in escam meam fel, et in siti » mea potaverunt me aceto [1] : » inclinato capite tradidit spiritum. Venerunt milites, fregerunt crura latronibus in cruce pendentibus : ad Jesum autem cum venissent, non fregerunt ejus crura, ut impleretur, ait Evangelista, quod Scriptum est : « Os non comminuetis ex eo [2]. » Sed unus e militibus latus ejus aperuit, et continuo exiit sanguis et aqua, quæ sunt matris Ecclesiæ gemina sacramenta. Percussit latus lancea persecutor, et fudit pretium Redemptor. Hic sanguis inebriat mentem, ut amorem obliviscatur mundi. Hæc aqua mundat animam, ut corpus sordes [3] careat diaboli. « Nec relinquetis quidquam ex » eo usque in mane. » Hoc nunc agitur : comeditur enim agnus per noctem hujus sæculi, ut cum mane illud venerit quod vesperum non habebit, non jam offeratur sacrificium imaginis agni, sed ipsum agnum quem quotidie comedimus, et cujus sanguinem bibimus, inveniamus illic eum sacerdotem perfectum, quem hic pro nostra salute constat occisum. Quæ sunt hæ picridiæ, olera amaritudinis, quæ comedit Israël spiritalis? nisi vox illa amara ad tempus sanctorum Martyrum emissa per sanctum David, ac dicentium : « Cibabis nos pane lacrymarum, et po- » tum dabis nobis in lacrymis, in mensura [4] : » et per apostolum Paulum : « In omnibus tribulationem patimur, sed » non angustiamur [5]. » Demonstra et azyma, sancte Paule, ex Israëlita carnali spiritalis effectus. Celebrasti enim Pascha cum populo vetere, et quemadmodum novus populus figuras in veritatem converteret, tu docuisti, tu demonstrasti. Ostende ergo azyma consparsionem novam. « Non in fer- » mento, inquit, veteri, neque in fermento malitiæ et » nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis [6]. »

[1] Psal. LXVIII, 22. — [2] Joan. XIX, 36. — [3] Multi codices habent *sordibus*. — [4] Psal. LXXIX, 6. — [5] I Cor. IV, — [6] Id. V, 8.

VI. O agne occise, o Christe sancte pro nobis crucifixe, qui ut lapsa reparares in cruce pependisti : ipsa est illa virga regni tui, crux ipsa, inquam, qua virtus in infirmitate perficitur, ipsa illa virga crux, ipsa illa virga quæ floruit ex radice Jesse, ipsa illa virga quam portabat Moyses, quæ conversa in serpentem glutiit Magorum serpentes : doctrina Christi diffusa per omnes gentes, hæreticos superans dementes. In illo enim populo, fratres, in quo multa miracula faciebat Moyses per virgam, exurrexerunt Magi Pharaonis, facientes et ipsi prodigia contra famulum Dei Moysen. Sed ad hoc quædam mira facere permissi sunt, ut mirabilius vincerentur. Magi Pharaonis quid aliud significabant, nisi omnes hæreticos ministros diaboli; qui sub nomine Christi devorare cupiunt populum Christi? Scatent nunc hæreses in hanc terram, tanquam serpentes Magorum, quos devoravit et devorat ille serpens exaltatus in ligno. Sed quoniam non est temporis ire per multos, singulorum capita conterantur : quomodo exurgunt, sic devorentur. Fuit hic, ut nostis, dilectissimi, viperea doctrina Donatistarum : contrita est, consumpta est. Mox Maximianistarum serpentina fraus pullulavit : contrita est, consumpta est. Manichæorum venenum aspidis subrepserat : contritum est, consumptum est. Pelagianorum novum dogma a ministris diaboli tanquam a Magis Pharaonis excitatum illi nostro serpenti certamen indixit : conteritur, consumitur.

VII. Cum tot serpentum capita catholica doctrina contriverit, dissipaverit, consumpserit, ecce nobis unus anguis Arianus olim mortuus insultat : caput erigit, veluti vivum se demonstrare conatur, quem jam olim constat occisum. Redi, Moyses noster; redi, virga; redi, serpens Christe sancte, æqualem potestatem cum Patre habens : redi, contere capita draconum super aquas : confringe

caput draconis magni, vivum sese profitentis, sed veram vitam non habentis. Dic tu quid es, quoniam ille aliud docet quam es. Dic, dic, audiamus unde hæreticos convincamus. Audite quid dicat : « Ego sum via, et veritas, et » vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me[1]. » Secundum humanitatem via, secundum Divinitatem veritas et vita. Tu autem, hæretice Ariane, qui minorem vis esse in Divinitate vitam et veritatem, sequitur ut non per eum venias ad Patrem. Sed adhuc, Domine Jesu, contere caput draconis, dic quid sis cum Patre : te audiamus docentem, non hæreticum blasphemantem : dic quid sis cum Patre : « Ego, inquit, et Pater unum sumus[2]. » Dic adhuc. « Ego » in Patre, et Pater in me est[3], » Adhuc dic : « Qui me » vidit, vidit et Patrem[4]. » Credis jam, hæretice, tantæ auctoritati? An ipsius testimonium de se ipso non admittis, sed alios de eo testes requiris? Ecce introducuntur adversum te, dicunt, convinceris, refutaris, et legis laqueis irretiris. Dic testis Dei, Paule, qui usque ad sanguinem pro isto testimonio accessisti, et ne falsæ doctrinæ succumberes, animam posuisti. Dic : audiat qui convinci formidat; convincatur qui nec convictus mutatur. « Singuli » quique, ait, hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu, » qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est » esse æqualis Deo[5]. » Audis æqualem, audis formam Dei : et tu audes dicere minorem Filium Dei? Veniat et alius testis, ut in duobus vel tribus confirmetur æquitas veritatis. Dic et tu, sancte Petre, quid tibi revelaverit, non caro et sanguis, sed Pater cœlestis. « Tu es, inquit, Christus Filius Dei vivi[6]. » Et in Epistola sua ad gentes secunda : « Notam facimus vobis, inquit, Domini nostri » Jesu Christi virtutem, et præscientiam, et magnitu-

[1] Joan. XIV, 6. — [2] Ibid. 10. — [3] Ibid. 20. — [4] Ibid. 9. — [5] Philip. II, 5. — [6] Matth. XVI, 16.

dinem[1], » Audis virtutem, audis magnitudinem, audis præscientiam. In quo, hæretice, Christum dicis esse minorem? Sed audi adhuc quid adversum te hic testis et de Filio et de Spiritu sancto dicat. « Non voluntate humana » allata est, inquit, prophetia : sed Spiritu sancto acti, » locuti sunt homines Dei. Fuerunt vero et pseudopro- » phetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri men- » daces, qui subinducent sectas perditionis, et qui emit » eos dominatorem abnegantes[2]. » Vides te validis testimoniis et demonstrari et convinci. « Negantes, inquit, » dominatorem esse qui emit eos. » Quem negas dominatorem, nisi Filium quem dicis esse minorem? Et quis est qui nos emit, nisi qui nos suo sanguine redemit? Sed ingrediatur et tertius testis, ut tres unum verum testimonium dicant uni Trinitati et trinæ divinitati. Dic tu, sancte Joannes, qui super pectus Salvatoris discumbebas, et videbas[3] supercœlestia mirabilia verbum Domini : dic et tu, inquam, quid noveris Filium Dei. « In principio, in- » quit, erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus » erat Verbum[4]. » Et in Epistola sua : « Scimus, inquit, » quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis intellectum, ut » sciamus quid verum sit, et simus in vero Filio ejus; hic » est enim verus Deus et vita æterna[5]. » Tu autem minorem dicendo Filium, qui est Deus verus, non habes vitam æternam. Sed ad confutandam contumaciam perversam hæresis, ad deglutiendum te serpens magice factus, non a veritate susceptus, ipse Pater testimonium dicat de Filio : ut nihil amplius quæras, nihil amplius credas. Per Prophetam : « Tecum, inquit, principium in die virtutis » tuæ. » Principium Pater, principium Filius : Ergo Pater et Filius principium sine ullo principio. « Tecum prin-

[1] 2 Petr. 1, 6. — [2] Ibid. 21, et II, 1. — [3] Vide lib. de sancta Virginitate, cap. 27. — [4] Joan. I, 1. — [5] 1 Joan. V, 20.

» cipium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum » ex utero generavi te[1] : » tanquam diceret : Ut sancti illuminarentur, processisti ex me. Nec fuit, dilectissimi, alia causa cur vel ipsa nomina Patris et Filii et Spiritus sancti sejuncta viderentur, nisi ut sancti homines instruerentur. Cæterum quod dictum est Moysi ab ipsa substantia Trinitatis : « Ego sum qui sum. Et sic dices : Qui est, » misit me[2]. » Ergo ex utero in splendoribus sanctorum generatus est Filius. Sed ne hanc generationem carnaliter vel temporaliter acciperes factam, audi quomodo eum genuerit. « Eructuavit, inquit, cor meum Verbum[3]. » Joannes testis dicit : « In principio erat Verbum[4]. » Deus Pater dicit : « Eructuavit cor meum Verbum. » Habacuc dicit : « Ambulavit Verbum[5]. » Audis Deum Verbum, et hoc esse in principio apud Deum, et Deum esse Verbum[6]. Testimoniorum vox, et ipsius Trinitatis unitas per totum mundum contra te clamat : et tu velut canis rabidus contra totum mundum latras. Sed audi adhuc unde plenius convincaris, quod Trinitas unus Deus sit : Patris vox est per Prophetam ad Filium : « In splendoribus sanctorum ex » utero genui te[5]. » Patris vox est ad Isaïam prophetam de Spiritu sancto : « Spiritus sanctus, inquit, a me exiet. » Et Filii vox est in Evangelio ostendens in se Patrem esse, et se in ipso, ubi ait : « Pater in me manens ipse facit » opera[7]. » Filii vox est de Spiritu sancto, ostendens quia quomodo procedit ex Patre, ita ex se ipso, ubi ait Discipulis suis post resurrectionem : « Accipite Spiritum sanc- » tum. Et insufflavit in eis[8], » ait Evangelista, Spiritum sanctum dans eis, ac dicens : « Si cui remiseritis peccata, » remittentur illi. » Unde est et illud apostoli Pauli : « Si

[1] Psal. CIX, 3. — [2] Exod. III, 14. — [3] Psal XLIV, 2. — [4] Joan. I, 1. — [5] Habac. III, 5, juxta LXX. — [6] Psal. CIX, 3. — [7] Joan. XIV, 10. — [8] Id. XX, 22.

» quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus[1]. » Si ergo Filius in Patre et ex Patre, Spiritus sanctus simul est et in Filio et Patre ; non est sejuncta Trinitas, ubi est perfecta unitas. Discedat Arianus confusus reus, quia Trinitas unus est Deus.

VIII. Sed quando tibi, perversa hæresis, verba mea proficiunt, cum sis aspis surda, obturans aures ne audias vocem incantantium ? Noveris te tamen a serpente esse comedendam, dum oves quas tenes captivas, ad suum ovile ille pastor adduxerit, ut sit unus grex et unus pastor. Ille pastor noster, dilectissimi, qui in virga ferrea pascit et regit, confringit et restituit, ipse pastor est, ipse rector, ipse fabricator, ipse architectus noster. Magnum te pastorem video, domine Jesu, oves pascentem, errantes requirentem, inventas cum gaudio ad gregem tuis humeris reportantem : magnum te architectum video, virgam portantem, in virga pendentem, et de ista virga multa miracula facientem. Multum expavesco expositionem virgæ hujus, Dilectissimi, dum loca divinarum Scripturarum considero. Virga Maria sancta, virga ipse Christus, virga crux. Et de ista virga quam magna et mira fecit hic architectus : et arborem fecit crucis ubi ipse angularis pependit lapis, et scalas cœli per quas hominem lapsum ad Patrem levavit. Quale miraculum, fratres, hujus architecti, ut de virga sua faceret scalas, et tales quarum caput in cœlum poneret, et per eas ipse et ascenderet et descenderet, et propter confirmationem ipse super eas incumberet. Ascende securus, qui desideras cœlum : non te terreat earum nec angustia, nec longitudo, nec altitudo : nihil timeas, non nutant gradus ejus, quos ille architectus sic confirmavit, ut in ejus ligno manus suas clavis affigi voluerit. Vide has scalas hujus architecti dis-

[1] Rom. VIII, 9.

cipulum apostolum Paulum et demonstrantem, et gradus quasi numerantem et ascendentem, et quamplurimos invitantem : « Flecto, inquit, genua mea ad Patrem Domini » nostri Jesu Christi, ut det vobis comprehendere cum » omnibus sanctis quæ sit altitudo et latitudo, longitudo » et profundum[1]. » Quatuor gradus posuit crucis. Non ergo laboriosæ sunt hæ scalæ : quatuor gradus habent, et perducunt ad cœlum. In altitudine crucis caput positum est crucifixi : sursum cor habeat Christianus ad Dominum, quod interrogatus quotidie respondet ; et ascendit unum gradum. In latitudine crucis manus affixæ sunt crucifixi : perseverent manus Christiani in operibus bonis ; et secundum gradum ascendit. In longitudine crucis corpus pependit crucifixi : castiget quis corpus suum observationibus, jejuniis illud suspendat, ut servituti animæ subjiciat ; et tertium gradum ascendit. In profundo crucis occultum est quod non vides, sed inde exurgit hoc totum quod vides, adsit fides christiana, quod non potest comprehendere, credat corde, altiora se non quærat, spes eum nutriat : et tunc quartum gradum ascendit.

IX. Per hos gradus ascenderunt sancti omnes, continentes, conjugati fideles : evaserunt ruinas mundi, migraverunt ad loca tutissima, ubi jam nec barbaros timent, nec fragiles casus humanos exhorrent, nec corruptiones metuunt, nec ægritudines patiuntur, nec tribulationibus affliguntur, nec ipsam jam mortem timent, sed cum Deo de Deo vivunt. Hanc vitam, dilectissimi, amemus, appetamus, desideremus : ad quam omnis qui currit, non graditur via pedum, sed via morum. Boni ergo mores requirantur, ipsi in omnibus inveniantur. Uterque sexus et omnis ætas habet in hoc sanctorum hominum imitationis exemplum. Imitentur senes mores Tobiæ, qui cum cæcus

[1] Ephes. III, 14 et 18.

esset corpore, viam vitæ filio demonstrabat in corde. Ille eum manu ducebat in terra, et pater monendo eum perducebat ad cœlum. Imitentur adolescentes Joseph sanctum, pulchrum corpore, pulchriorem mente : quem castitas sic possederat, ut irruentes minæ dominæ mulieris impudicæ non possent eum violare, nec mente, nec corpore, cujus jam Deus possederat mentem. Imitentur virgines sanctæ sanctam Domini sui matrem Mariam. Imitentur viduæ religiosam viduam Annam : imitentur et conjugatæ castam Susannam. Virgo mater quod vovit, implevit Anna vidua in orationibus et jejuniis usque in finem perseverantiam tenuit : Susanna casta pro pudicitia conjugali usque ad periculum mortis accessit. Intendite conjugatæ, qualis vobis hujus a Scriptura sancta imitatio proponatur. Non enim eam prædicat, quod fuerit auro, monilibus vel veste pretiosa forinsecus compta, cum fuerit intrinsecus pudore castitatis ornata. Omnibus vitam donavit, qui bonos mores instituit. Propterea namque ipse vir de fœmina est nasci dignatus, quia ab ipso uterque sexus est liberatus. Multa diximus, intentissime audistis, epulas dominicas libentissime comedistis : rependite vicem ministratori vestro, ut si non verbo, saltem vestris orationibus pascar.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE

TEMPORE BARBARICO.

SERMO.

I. Admonet Dominus Deus noster, non nos debere negligere nostra peccata, quando talem demonstrat iram suam. Ipse quippe juste punit nocentem, quia nullum invenit pœnitentem. Quoties, dilectissimi, intonuerunt atque intonant tubæ divinæ : « Agite pœnitentiam, ap- » propinquavit enim ad vos regnum cœlorum? » Et clausis auribus cordis, magis operamur mala, et petimus ut veniant bona. Sed talium judicium justum dicit esse Apostolus. In eo enim ipso quod talia sapiunt qui tales sunt, ex malis operibus posse se bona suscipere, obdurati sunt, pœnitentiæ locum non requirunt. Merito juste judicati, qui a semetipsis inveniuntur esse damnati. Licet non omnes tangat hic noster sermo, omnes tamen astringit sermo divinus dicens : « Omnes declinaverunt, simul inutiles » facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad » unum[1]. » Quomodo omnes, et quomodo non omnes? Quomodo non omnes? Quia sunt multi qui gemunt et do-

[1] Psal. XIII, 8.

lent ob iniquitates quæ fiunt in medio eorum, volentes resistere, sed timore sæcularium rerum non audentes, quas adhuc vel adipisci desiderat humana fragilitas, vel amittere formidat infirmitas. Secundum id quod dolent, non omnes : secundum quod rem non timendam timent : « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; » quia plus æstimatur timor hominis, quam timor Dei, et præferunt homines res quas acceperunt a Deo ipsi Deo. Ne eas tollat malus homo, contemnitur Deus per quem factus est homo. Vellem vos quidem qui adhuc tales estis, et amore rerum sæcularium obligati peccantibus aut parcitis, aut favetis, vellem vos quidem aliquibus exhortationibus admonere, quid cui rei præponere debeatis : nisi nos fluvius lacrymarum compelleret plangere eos qui peccant, et nolunt agere pœnitentiam. Si esset in nobis humanus affectus, si esset compassionis sensus, unius hominis mortem flere, dolere ac plangere deberemus : quibus lacrymis, quo gemitu, quibus planctibus exagitamur, quando aut maximam partem, aut pene totam plangimus civitatem? Æger est charus, et vena ejus malum renuntiat; omnes qui eum diligunt, ægrotant simul animo. Si eum et in ipsa vicina morte ridere viderint, quemadmodum ab eo omnem spem salutis ablatam sentiunt, eumque adhuc vivum tanquam mortuum merito plangunt? Inter tantas angustias et in ipso fine rerum posita est universa provincia, et quotidie frequentantur spectacula : sanguis hominum quotidie funditur in mundo, et insanientium voces crepitant in circo : O planctus omni tristitia acceptior! o planctus omni mœstitia affligens cor! Libet flere. Plangimus enim, dilectissimi, et illos et nos, quia et nos digni sumus qui cum talibus merito flagellemur. Nos enim, cum alios accusamus[1] : omnes declinavimus, simul inutiles facti sumus,

[1] *Forte addendum*, nos excusamus.

prorsus omnes. Nullus est excusatus : quia talis est judex, ut omnis homo ab illo inveniatur reus. « Cum enim rex » justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se ha- » bere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a pec- » cato[1]? »

II. Advenit tempus illud quod prædixit Dominus : « Putas, cum venerit Filius hominis, inveniet fidem in » terra[2]? » Quis habet fidem? Quis credit verbis? Audebit aliquis nostrum assignare sibi fidem, quando audit Dominum dicentem Discipulis : « Si haberetis fidem sicut » granum sinapis, diceretis arbori huic : Eradicare, et » plantare in mari; et obaudisset vobis[3]? » Quis sibi audebit assignare, quod faciat omnia quæ præcepit Deus? Nemo, prorsus nemo. Prædicamus, et non facimus : auditis, et facere non curatis. Merito omnes sub flagello, et doctor, et factor, et auditor et contemptor. Studemus invicem reprehendere, et non studemus opera nostra discutere. Detrahit proximus proximo, detrahit clericus clerico, detrahait laïcus laïco. Video quidem se invicem accusantes, sed neminem video juste se excusantem. Unusquisque enim, dilectissimi, proprium onus portat. « Nolite detra- » here alterutrum, fratres, ait apostolus Jacobus. Qui » enim detrahit fratri aut judicat fratrem, detrahit legi » et judicat legem. Si autem judicas legem, non es factor » legis, sed judex. Unus est enim legislator et judex, » qui potest perdere et liberare. Tu autem quis es, qui ju- » dicas proximum[4]. »

III. Nec tamen voces detrahentium, silentium possunt imponere verbo Dei. Clamat ille per bonos, et per malos : « Agite pœnitentiam, appropinquavit ad vos regnum Dei. » Nolite esse auditores legis tantum, sed factores. Facite

[1] Prov. xx, 8 et 9. — [2] Luc, xviii, 8. — [3] Id. xvii, 6. — [4] Jacob. iv, 11 et 12.

» dignos fructus pœnitentiæ. Ecce enim, ait Evangelista, » securis ad radices arborum posita est. Omnis enim arbor » non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mit- » tetur[1]. » Video, inquit, omnes homines diversas arbores, fructus etiam diversos habentes : sed bonus fructus quæritur qui pascat, non qui pungat. Sunt enim et arbores spinosæ, igni deputatæ, merito incendendæ, quia in eis nullus fructus est animæ. Putatis-ne, dilectissimi, nos omnes tales sumus, qui in istis malis pro peccatis nostris dimissi sumus? Exacuit agricola ferrum, amputat inutile lignum, abscisum servat incendio concremandum. Hoc nunc agitur a vero agricola. Videntur quidem sibi mali adhuc stare, adhuc florere. Quisquis talis es, quisquis malus es, quisquis corrigi non vis, non te consoletur altitudo tua : quia major te expectat ruina, ampliorque sustinet flamma. Quia securis hæc ad te nondum venit, ideo putas te posse semper stare? cum videas vel audias alias arbores te ampliores cecidisse. Quod te hic agricola differt, ejus est patientiæ, ne forte intercedat apud eum locus pœnitentiæ. Colonus enim ille in Evangelio, qui intercedebat pro arbore, quam dominus eradicare volebat, quod fructum per triennium non haberet, videte quid ait : « Domine, dimitte illam et hoc anno : faciam ei fossam, » adhibeam cophinum stercoris : si fecerit fructum, » bene; sin autem, abscides eam[2]. » Arbor hæc sterilis, genus hominum est non habens fructum pœnitentiæ. Dominus ejus, conditor ejus est. Intercessor hujus arboris, apostolus Paulus est. Unde probamus? Audi in quadam Epistola sua quemadmodum intercedebat pro talibus : « Flecto, inquit, genua mea ad Patrem » Domini nostri Jesu Christi, ut det vobis virtutem[3]. » Hoc ergo eis petebat, ut acciperent quod non habebant.

[1] Matth. xxiii, 8 et 10. — [2] Luc. xiii, 8. — [3] Ephes. iii, 14.

« Faciam, inquit, ei fossam, adhibeam cophinum ster- » coris. » Fossa locus est humilitatis : cophinus stercoris, lacrymæ sunt pœnitentis. Quem locum si quis contempserit, amplius sustinebit tormentum, quando illius agricolæ acutissimum senserit ferramentum. Agite mali pœnitentiam, corrigimini mali, quia vobiscum flagellantur et boni.

IV. Dicet aliquis : Si mali merito flagellantur, boni quare talia cum malis et a malis patiuntur? Quare? Quia secundum quemdam modum dicuntur boni, secundum autem rectum verumque bonum : « Nemo bonus, nisi solus » Deus. » Ergo et ipsi boni, quicumque sunt boni, non tales sunt, quales debent esse boni : non enim sunt perfectum bonum : proficiunt enim de die in diem. Si proficiunt, utique exercitationibus proficiunt. Nemo se justificet, tanquam jam sit perfectus. Recedat de medio male justificator Pelagianus, confundatur hæreticus Arianus : « Nemo enim bonus, nisi solus Deus[1]. » Quid ergo? Christus non est Deus? Plane Deus. De ipso quippe dicit Scriptura divina : « Hic est verus Deus, et vita æterna[2]. » Quid Spiritus sanctus, non est Deus? Plane Deus. Unde probamus, quoniam et ipse Deus? Audi in Actibus Apostolorum Petrum Ananiæ fraudatori improperantem : « Anania, in- » quit, cur implevit Satanas cor tuum, mentiri te apud » Spiritum sanctum? Non es mentitus hominibus, sed Deo[3]. » Ecce et Spiritus sanctus Deus. Ergo Trinitas unus est Deus : et verum est, « Quia nemo bonus, nisi unus Deus. » Patientes estote boni, ut sitis vere boni : patientes estote usque ad adventum Domini. Tolerate mala quæ patimini a malis cum malis : quia ista tentatio, vestra est examinatio. Si aurum es, quid times paleam, quid times ignem? Simul quidem eritis in fornace, sed ignis paleas in cineres vertit,

[1] Luc. XVIII, 19. — [2] 1 Joan. V, 20. — [3] Act. V, 3 et 4.

tibi sordes tollit. Si frumentum es, quid times tribulam? Non apparebis qualis antea eras in spica, nisi tribula conterendo a te separaverit paleas. Si oleum es, quid times pressuram preli? Non declarabitur species tua, nisi etiam pondus lapidis a te separaverit amurcam. Verumtamen interroget se unaquæque anima, et videat si injuste patitur. Proferatur statera justitiæ, appendatur amor mundi cum amore Dei, vide quemadmodum præponderet amor mundi. Proferatur speculum Scripturæ divinæ. Speculum hoc neminem palpat : qualis es, talem te tibi demonstrat. Intende et vide, et si est aliquid quod offendat, abi confusus, et redi correctus. Annon confunderis, et in malis tuis gloriaberis? Eris enim perfectum malum, non qualecunque bonum. Talis non vis flagellari cum mundo, aut flagellatus murmuras sub flagello? Serve male, fecisti quod Dominus jussit? Ne vapulares, ista flagella tibi ante prædixit. Quis jussit? Dominus jussit, Creator tuus jussit. Quid jussit? « Qui amat, inquit, patrem aut matrem plus » quam me, non est me dignus. » Ecce quid jussit. « Aut : » Qui amat filium aut filiam plus quam me, non est me » dignus [1]. » Ecce quid jussit. Et quis est, inquit, qui odit patrem aut matrem aut filios? Nec ille illos odire præcepit : sed vel quantum illos, tantum se diligi jussit. Plus quidem debueras diligere Creatorem, quam creaturam : sed si non vales præferre, saltem vel æquare dignare. Vere filios tuos diligeres, si Christum filiis præferres, ipsosque filios ipsi committeres. Vere filios tuos diligeres, si in ipso illos diligeres, qui eos tibi dedit ut diligas. An ideo eos videris diligere, quia eorum voluptatibus faves? Audis blasphemantes, et patienter fers, Christiane, quod rex Nabuchodonosor alienigena non potuit sustinere, dicens : « Si quis dixerit blasphemiam in Deum Sidrach, Misac et

[1] Matth. x, 37, et Luc. xiv, 26. — [2] Dan. iii, 96.

» Abdenago, in interitum erit[2]. » Vides frequentare spectacula, et non revocas. Vides luxuriantes, et non verberas. Nec potes te talem exhibere patrem, qui paratus sis indisciplinatos filios vel exhæredare vel adjicere, cum paratus esse debueras sicut Abraham etiam filium immolare. Omnis enim qui filiorum trucidat voluptates, sacrificium tale quale Abraham offert Deo. Sed dum ista non fiunt, et his moribus depravatis male nutriuntur, qui isto mundo utuntur, labefit mundus, nec immerito ait Propheta : « Defluxit » terra, et omnes inhabitantes in ea[1]. » Non quiescunt usque nunc murmurare homines, laudare tempora præterita, accusare tempora christiana. Magna erant tempora patrum nostrorum, dicunt : O quam bona tempora habuerunt patres nostri !

V. Sed videte quæ fecerint patres nostri. Phinees sacrificantem virum idolis manu propria peremit, ut placaret iram Dei[2]. Moyses populum oberrantem, vitulumque fusilem adorantem, ita certa emendatione coërcuit[3], ut unam tribum e duodecim ad se vocans, quæ sequi voluit Deum, præceptum eis daret, ut acceptis gladiis in manibus suis filii percuterent parentes, et parentes occiderent filios. Nullus eos revocavit affectus, nullus humanitati reservatus est locus : quia timor et amor Dei præ omni desideriorum carnalium amore ferebatur. Jephthe ut hostes diis ac dæmonibus immolantes superaret, unicam filiam in sacrificio dedit[4]. Samson cum gentes dæmonicolas virtute, quam a Deo in capite acceperat[5], diutius bellis contereret atque fatigaret, seductusque postea per mulierem oculos simulque virtutem capitis perdidisset, posteaquam cognovit in opprobrium suum omnes illos convenisse ad templum idolorum suorum, eosque magnificare deos suos,

[1] Isai. xxix, 4 — Num. xxv, 8. — [3] Exod. xxxii, 16. — [4] Judic. xi. — [5] Id. xvi.

quod eis tradiderant acerrimum inimicum suum, cum crescente coma capitis ejus ei crevisset et virtus, a puero qui sibi ducatum præbebat, ut sibi manum porrigeret petiit, seque ad illud templum duci poposcit. Ad quod cum pervenisset, columnas duas, supra quas totum illud ædificium ferebatur, singulis manibus singulas apprehendens, ruina se simul et illos voluit opprimi, ne laudes dæmonum in contumeliam Dei sui a quoquam libenter pateretur audiri. Daniel ne a rege homine petitionem aliquam posceret, sed a Deo vivo, qui præstat omnia bona suis, leonibus jejunantibus in escam datus est ut periret[1] : sed Dominus fidelem servum suum non deserens, et ipsum intactum reservavit, et per Habacuc prophetam simul et ipsum et leones pavit[2]. Quid dicam de tribus pueris qui cum nollent imaginem regiam adorare, ignes riserunt ? In quibus pueris micans gratia ita enituit, ut ligati in fornacem mitterentur, deambulantesque viderentur, os aperientes Deumque laudantes, flammas ad se non admitterent, sed fugarent : ut secum Filium Dei habere meruissent, antequam mundo in homine apparuisset : ut esset eorum vindex flamma, Chaldæorumque ministros fornax devorans consumeret : producti quoque de fornace incolumes, populos in se mirabiles redderent, regemque mutarent, eumque facerent Dei sui adoratorem, quem senserant ante persecutorem. Sed hæc omnia faciebat fides, timor et amor Dei. Oderant isti non solum omnia quæ habebant propter Deum, verumetiam animas suas : et Deus eos hic claros fecit, et æternæ vitæ remuneratione ditavit. Quid tale, dilectissimi, fecimus, imo e contrario quæ mala non fecimus ? Illi nec minis nec tormentis conventi dæmoniis sacrificaverunt. Annon sacrificavit, qui imagines idolorum per noctem ludentes, quod Nocturnum vocant,

[1] Dan. XIV, 30 — [2] Id. III, 23, etc.

libentissime spectavit? Sacrificavit, prorsus sacrificavit: et, quod est pejus, non tauri vel cujuslibet pecoris aliquam victimam, sed ipsam animam hominis pretiosam. In hoc tam nefando sacrificio non unus vel pauci accusantur: tota hoc civitas fecit, quæ tota consensit. Nec ab hostibus, nec a barbaris, sed a se ipso omnis homo in anima se intus occidit videndo, consentiendo, non prohibendo, omnes remansimus rei: et dum nolumus pacem civitatis turbari perversam, pacem quam desideramus non accipimus rectam. Contemnimus pacem servare bonorum morum, et periit pax temporum nostrorum. Discite vel nunc, dilectissimi, quid cui rei præponere debeatis. Nolite diligere vitia in filiis, in amicis, in servis, in omnibus notis. Præponatur singularis potestas omni potestati, honorem exhibeamus Cæsari tanquam Cæsari, timorem autem Deo. Præferatur Creator creaturæ: diligamus Deum, quia diligit nos; et in hoc quod sic nos flagellat, diligit. Quis est enim filius, cui non det disciplinam pater ejus[1]. Qui sanam considerationem habet, qui credit Dei verbis, plus meruit ignem æternum, quam cujuslibet truculenti barbari ferrum: plus metuit mortem perpetuam, morte qualibet hic pessima. Irrideant hæc infideles, irrideant stulti, nolint credere nec rebus expertis. Ecce conteruntur, ecce omnia pereunt, ecce cum ipsis non potest stare mundus quem amaverunt, ecce ad Deum trahuntur cujus præcepta contempserunt: non enim bona voluntate pergit, qui blasphemando moritur. Ecce itur: cum illuc ventum fuerit, quid agitur? Quo itur? per quem abitur? Quis iterum huc redire cogitur? Finitum est, et quod male fecerat emendare finitum est. Redite, filii, redite: «Redite, prævaricatores, ad cor[2]:» facite gaudium ex conversione vestra, corrigantur corda vestra, displiceant vobis opera vestra. Estote fortes, tri-

[1] Hebr. XII, 6. — [2] Isai, XLVI, 8.

bulatio mundi non vos frangat : « Dominus in proximo » est, nihil solliciti sitis[1]. »

VI. Habetis virorum fortium magna exempla. Vicerunt Martyres mundum : inter quos Martyres maribus etiam fœminæ repertæ sunt fortiores. Ante paucos dies natalitia celebravimus martyrum Perpetuæ et Felicitatis, et comitum. Et cum tot ibi sint viri, quare istæ duæ præ omnibus nominantur, nisi quia infirmior sexus aut æquavit, aut superavit virorum fortitudinem ? Una earum erat prægnans, alia lactans. Felicitas parturiebat, Perpetua lactabat. Sed tandiu hæc Perpetua lactavit, quandiu acciperet ab illo pastore simul et patre buccellam lactis : qua accepta dulcedo felicitatis perpetuæ eam fecit contemnere filium, spernere patrem, non hærere mundo, perdere animam pro Christo. Felicitas vero, quæ sociam habebat Perpetuam, parturiebat et dolebat, objecta bestiis gaudebat, potius quam timebat. Quæ virtus in fœminis ? Qualis est gratia, quæ cum se infundit, nullum indigum judicat sexum ? Gratias gratiæ : reparavit enim sexum muliebrem. In opprobrium magnum mulier remanserat : quia ab initio per mulierem peccatum, et propter hanc omnes morimur. Diabolus unam Evam dejecit : sed Christus natus ex virgine, multas fœminas exaltavit. Perpetua et Felicitas caput calcaverunt serpentis, quod Eva ad cor suum intus admisit. Illam seduxit falsa promittendo, illas non valuit superare sæviendo : illam decepit in paradisi felicitate, has non potuit adire, nec sub tantorum positas potestate. Illius inter paradisi delicias ruinam gavisus est, harum inter pœnas fortitudinis constantiam ipse quodam modo diabolus expavit. Merito sic sunt exaltatæ, merito viris vel coæquatæ vel prælatæ. Quamvis enim in Christo Jesu non sit servus neque liber, non sit masculus neque

[1] Philip. IV, 5 et 6.

fœmina [1], sed omnes sint unum occurrentes in virum perfectum ; descendit tamen hoc donum ex magna gratia [2]. Perpetua enim et Felicitas nomina istarum sanctarum fœminarum, merces est sanctorum omnium Martyrum.

VII. Vicit mundum etiam Job ille omnibus notissimus, toties tentatus, sed minime superatus. Implevit dominicum præceptum : contempsit filios, ne blasphemaret, qui dederat filios. Repulit a se uxorem, quæ ei blasphemiam persuadebat, quam diabolus propterea solam dimiserat, quia sibi eam necessariam esse noverat. Non enim dimiserat marito consolatricem, sed suæ tentationis adjutricem : fecerat eam Evam novam, sed ille non erat vetus Adam. Existimavit etiam istum sicut illum per mulierem posse decipere : sed iste spernendo uxorem pessima suggerentem, divinitus adjutus, etiam ipsum diabolum in illa valuit superare. Fortior fut Job in doloribus [3], quam ille Adam in nemoribus : iste non cessit tormentis, ille superatus est in deliciis. Videtis, dilectissimi, quid agat tentatio, quam utiles sint hujus mundi pressuræ, et quemadmodum corrumpant terrenæ deliciæ. Contempsit Job uxorem, filios, omnia sua, postea et carnem suam. Plus amavit eum qui dederat, quam id quod dederat. Usus est quod acceperat, tanquam bonus viator : possedit, non possessus est. At ubi ea placuit auferre qui dederat, benedixit, non blasphemavit : « Dominus, inquit, dedit, et » Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est : » sit nomen Domini benedictum [4]. » Imitamini talem virum, imitamini tales filii esse etiam flagellati, ut mereamini recipi. « Flagellat enim omnem filium quem recipit [5]. » Disciplinam ejus sustinete : sicut filios, ita vos aggreditur Deus.

[1] Gal. III, 28. — [2] Ephes. IV, 13. — [3] Ex lib. de Patientia. — [4] Job. I, 21. — [5] Hebr. XII, 6.

VIII. Quod probat ille filius junior in Evangelio positus, qui disciplinam paternam contempsit, substantiam suam in meretricibus erogavit, porcos pavit, fame contritus est, siliquis porcorum ventrem suum implere non potuit : tandem aliquando reversus est ad se, et invenit se qui perdiderat se. In mentem ei venit quod multi mercenarii patris sui abundarent panibus, ipse vero fame periret. Statim surrexit, ad patrem recurrit, non se filium, sed tanquam unum ex servis computari rogavit. Inclinatur humilitas, excitatur misericordia : voces filii pœnitentis concutiunt paterna viscera. Dicit se filius [1] indignum, ut ille eum judicet dignum ; rogat ut in numero servorum jubeatur suscipi : et pater ei primam illam stolam jubet afferri, mactat vitulum saginatum, chorum congregat, advocat amicos, facit epulum magnum. Quare? « Quia hic filius meus, in- » quit, mortuus fuerat, et revixit ; perierat, et inventus » est [2]. » Hanc similitudinem Dominus in Evangelio proposuit, quam ipse exposuit, dicens, tale gaudium fieri in cœlo super peccatore pœnitentiam agente. Nunc vero quoniam tempus est exhortari omnes ad pœnitentiam, ut filii errantes revertantur, eisque convivium a patre saginati vituli præparetur, etiam nos, dilectissimi, parati simus huic convivio tanquam amici ac domestici interesse : maxime quia cum isto patrefamilias ad mensam ejus quotidie accedentes, non nos jam dignatur vocare servos, sed amicos. Percurramus, si placet, ipsam parabolam a Domino in Evangelio propositam, in qua nobis et affectum patris demonstravit pium, et filii perditi indicavit reditum, filiique majoris qui de paterna domo non discesserat, commotum retulit animum. Hoc quippe habet textus ipsius lectionis. « Veniens, ait, filius ejus primogenitus de » agro, cum audiret symphoniam, interrogavit servos

[1] Alii codices habent *Filium*. — [2] Luc. xv, 24.

» quidnam illud esset. Eique dixerunt : Frater tuus re-» versus est, et occidit illi pater tuus vitulum saginatum, » eo quod salvum illum susceperit[1]. » Et indignatus noluit introire. Egressus est autem ad illum pater suus, ut eum introduceret. Improperavitque ille patri suo, quod laborasset semper cum illo, et nunquam illi talia exhibuisset : at ubi venisset filius ille, qui omnem substantiam paternam male consumpserat, occidisset illi vitulum saginatum. Et reddit pater rationem facti sui, consolaturque filium suum secum permanentem, de domo non discedentem, et dicit illi : « Fili, tu meus es, et mecum es semper, » et omnia mea tua sunt : verumtamen oportuit nos ista » facere, quoniam frater tuus mortuus fuerat, et revixit, » perierat, et inventus est. » Non vacat hæc talis a Domino propositio. Donet itaque nobis qui ista proposuit, ut demonstremus ab ipso fuisse impletum hoc, quod per quamdam similitudinem nos quodam modo excitavit ad aliquid inquirendum. Affectum paternum exhibuisse suis Dominum nostrum Jesum Christum, nullus ambigit Christianus. Illud magis requiramus, qui sit filius junior, qui prodige vivens substantiam paternam dissipavit, et qui sit filius primogenitus qui indignatus quod filio perdito redeunti vitulus saginatus occisus sit, intrare noluerit. Quis est iste filius perditus, qui omnem substantiam paternam in meretricibus erogavit, nisi ille latro qui substantiam animæ a Deo sibi datam per scelera diffluendo etiam in cruce pependit? Porcos pavit, quando dæmonum voluptates suis factis implevit. Fortasse illos porcos pavit, quos petierat diabolus a Domino, dicens : « Jube nos intrare in gregem porcorum[2]. » Fame contritus est, quia panem verbi Dei non inveniebat. Siliquis cupiebat saturare ventrem suum, quando tortuosis cogitationibus replebat ani-

[1] Luc. xv, 25. — [2] Matth. viii, 31.

mam suam. Sed revertatur ad se, videat se latro in cruce pendentem, concurrat ad patrem, dicat pendens in cruce: « Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum[1]. » Domine, memento mei, non sum dignus vocari filius tuus, suscipe me tanquam unum ex servis. Domine, memento mei. Latro enim sua attendens merita de se ipso diffidebat : sed Dominus tanquam pius pater latroni quasi filio quod desperaverat offerebat. Proferat huic pater stolam illam primam, induat filium immortalitate, quem secum videt in cruce pendentem, introducat eum in domum : dicat Christus latroni : « Amen dico tibi, hodie mecum eris in » paradiso[2]. » Mactet vitulum saginatum, hominem illum susceptum, etiam pro latronibus crucifixum : advocet amicos suos Discipulos quibus dicebat : « Si feceritis quæ » mando vobis, jam vos non dicam servos, sed amicos[3]. » Præparetur illud convivium cœleste, astet ille chorus Angelorum, suaviter declamans : « Gloria in excelsis Deo, » et in terra pax hominibus bonæ voluntatis[4]. » Veniat et primogenitus filius ille, et nolit intrare. Quis est iste filius primogenitus qui noluit intrare, nisi ille primus Apostolorum Petrus, qui ad interrogationem unius ancillæ in atrio sacerdotis ter Dominum ausus est negare[5] ? » Dixisti quidem, o Petre, tanquam patri tuo Christo : Ego tecum laboravi[6] : quando dicebas Salvatori : « Tecum sum us- » que ad mortem, animam meam pro te ponam[7]. » Ubi est quod promisisti ? Interrogaris semel, et negas : secundo interrogaris, et negas : tertio, et negas. Non vis ad convivium intrare, ideo ausus es ter Dominum negare. Ubi est : « Animam meam pro te ponam ? » Ter negantem non terruit ungula, sed una oppressit muliercula. Certe : « Tecum sum usque ad mortem. » Vide, vide igitur, Pe-

[1] Luc. XXIII, 42. — [2] Ibid. 43. — [3] Joan. XV, 14 et 15. — [4] Luc. II, 14. [5] Matth. XXVI, 69. — [6] Ibid. 35. — [7] Joan. XIII, 37.

tre, quantum de te antea præsumpseris : ecce nunc ter negando, gallo teste convinceris. Sed egrediatur pater ad primogenitum filium nolentem intrare : dicat Christus Petro : « Intra in gaudium Domini tui [1]. » Respiciat negantem, et faciat confessorem : compungat flentem, faciat amatorem. Exhortetur eum paterna voce : Fili, inquit, tu meus es : « Tu es Petrus : » etsi me negasti, meus es. « Tu » es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam » meam [2]. Tu meus es, et omnia mea tua sunt : Tibi » dabo claves regni cœlorum. » Apud te, Petre, sunt claves : dignare jam ad convivium intrare. Oportebat hæc fieri, quoniam frater tuus latro mortuus erat et revixit, perierat et inventus est. Si Petrus antequam Christus pro omnibus crucifigeretur, regni cœlorum claves accepit : qua illuc introivit latro ille jam non reus, nisi per latus quod aperuit Judæus?

IX. Et nunc veniant omnes quicumque amant paradisum, locum quietis, locum securitatis, locum perpetuæ felicitatis, locum in quo non pertimescas barbarum, in quo nullum patiaris adversarium, nullum habeas inimicum : venite omnes, intrate omnes : est qua [3] intrare, patet latus. Ostendit enim ille latro quo debeant omnes intrare, neminem suo exemplo docuit desperare. « Contendite, ait Do» minus, intrare per angustam portam [4]. » Quid angustius illo foramine, quod unus e militibus percutiendo latus crucifixi aperuit? et tamen per has angustias pene jam totus mundus intravit. Venite et vos Judæi, vocat vos quem crucifixistis, Filius Dei. « Contendite intrare per angustam por» tam : » per hanc enim introierunt patres vestri. Illi qui ut crucifigeretur clamaverunt, qui in ligno suspensum viderunt, qui irriserunt, qui caput agitaverunt, per istas tamen

[1] Matth. xxv, 21. — [2] Id. xiv, 18. — [3] *Supple*, possitis. — [4] Luc. xiii, 24.

angustias introierunt. Non enim inaniter clamabat ille pendens in cruce : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid » faciunt[1]. » Per has ergo, ut dixi, angustias, per angustam portam lateris Christi ingressus est latro mutatus, pœnitens Judæus, conversus omnis paganus, et ab eo exiit foras malus hæreticus Arianus. Exiit, quoniam non erat de numero permanentium. De illis enim erat, de quibus Joannes dicit : « Ex nobis exierunt, sed non erant » ex nobis : si enim ex nobis essent, mansissent utique » nobiscum[2]. » O hæretice Ariane, agnoscit latro in cruce pendentem, ipsi inimici Judæi expaverunt resurgentem, et vos male tractatis in cœlo regnantem.

X. Cavete, dilectissimi, Arianam pestem, non vos separent a Christo terrena promittendo, propter tunicam non vos expolient fide. Membra Christi, servate unitatem atque integritatem unius tunicæ, quam nec persecutores Christi ausi sunt scindere. Nolite injurias irrogare capiti vestro : pro vobis ille mortuus est, ne vos moreremini. Quem Christus per baptismum vivificavit, quare eum Arianus rebaptizando occidit ? Erubesce, erubesce, hæretice. Negavit Petrus, et reversus est, et fluendo delevit quod timore negavit. Christum in suis persecutus est Paulus, sed ad ejus vocem cecidit et surrexit. Aliter[3] cecidit, aliter surrexit : cecidit persecutor, erectus est prædicator. In Christianis Christum persecuti sunt reges : sed multum eis præstiterunt, quando membra ad caput suum velociter transierunt. Nemo talia damna, qualia tu, ingerit Christo : animas enim multorum cupis interficere, pro quibus Christus in carne venit occidi. Erubesce, erubesce, hæretice. Quid iteras, quod semel datur ? In membris suis jam intus est Christus, noli in istis ipsum velle rebaptizare ? Se-

[1] Luc. XXIII, 34. — [2] 1 Joan. II, 19. — [3] *Forte*, Alter cecidit, alter surrexit.

mel enim pro omnibus cum Joanne in aquam dignatus est ipse descendere[1]. Redemit Christus animas, custodite quod ille redemit. Integro Christo integrum assignate prædium. Nemo invadat, nemo invasori consentiat : characterem dominicum nullus abstergat, titulos Christi nemo deponat. Reddituri estis rationem Domino regi, boni servi, data est vobis occasio bene operandi. Abundant peregrini, captivi, expoliati. « Facite vobis amicos ex mammona » iniquitatis, ut et ipsi recipiant vos in tabernacula » æterna[2]. »

[1] Matth. III, 16. — [2] Luc. XVI, 9.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE

UTILITATE JEJUNII.

SERMO.

I. De utilitate jejunii admonemur aliquid loqui ; et Deus admonet, et tempus nos admonet. Hæc enim observatio, hæc virtus animi, hæc fraudatio carnis et lucrum mentis ab Angelis non exhibetur Deo. Ibi enim omnis est copia et sempiterna securitas : et ideo nullus defectus, quia in Deum plenus affectus. Ibi panis Angelorum : quem panem Angelorum ut manducaret homo, factus est homo. Hic omnes animæ terrenam carnem portantes, de terra implent ventres : ibi spiritus rationales cœlestibus corporibus præsidentes de Deo implent mentes. Et hic cibus est, et ibi cibus : sed cibus iste cum reficit, deficit, et sic implet alvum, ut ipse minuatur ; ille autem et implet, et integer permanet. Hunc cibum nobis esuriendum Christus indixit, dicens : « Beati » qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi satura» buntur[1]. » Pertinet ergo ad homines hanc vitam mor-

[1] Matth. v, 6.

talem gerentes, esurire ac sitire justitiam : impleri autem justitia, ad aliam vitam pertinet. Hoc pane, hoc cibo pleni sunt Angeli : homines autem dum esuriunt, extendunt se ; dum se extendunt, dilatantur ; dum dilatantur capaces fiunt ; capaces facti, suo tempore replebuntur. Quid ergo, hic nihil inde capiunt qui esuriunt et sitiunt justitiam ? Capiunt plane : sed aliud est, cum quærimus de refectione iter agentium ; et aliud, cum quærimus de perfectione beatorum. Apostolum audi esurientem et sitientem, et utique justitiam, quanta in hac vita capi potest, quanta geri justitia. Quis enim nostrum se illi vel conferre audeat, nedum præferre ? sed quid ait ? « Non quia jam » acceperim, aut jam perfectus sim [1]. » Videte quis loquatur : Vas electionis et extremum quodam modo fimbriarum vestimenti Domini ; sed tamen quod ad fluxum sanguinis sanat tangentem, quia credentem : novissimus enim Apostolorum et minimus, sicut ipse ait : « Ego sum no- » vissimus Apostolorum : et, Ego sum minimus Aposto- » lorum. Et iterum : Non sum dignus vocari Apostolus, » quia persecutus sum Ecclesiam Dei : sed gratia Dei sum » id quod sum ; et gratia ejus in me vacua non fuit, sed » plus omnibus illis laboravi : non ego autem, sed gratia » Dei mecum [2]. » Hæc audiens tu, tanquam plenum et perfectum tibi videris audire. Audisti quid ructet, audi et quid esuriat. « Non quia jam acceperim, aut jam perfectus » sim, ait, fratres, ego non arbitror me apprehendisse : » unum autem quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt » extentus, secundum intentionem sequor ad palmam » supernæ vocationis Dei in Christo Jesu [3]. » Dicit se nondum esse perfectum, quod nondum acceperit, nondum apprehenderit : dicit se extendi, dicit se sequi ad palmam supernæ vocationis. In via est, esurit, impleri vult, sa-

[1] Philip. III, 12. — [2] 1 Cor. XV, 9-14. — [3] Philip. III, 12.

tagit, pervenire desiderat, æstuat : nihil illi tam magnæ moræ est, quam dissolvi et esse cum Christo[1]. »

II. Ergo, charissimi, quia est terrenus cibus, quo carnis infirmitas pascitur ; est autem et cœlestis cibus, quo pietas mentis impletur ; et habet cibus iste terrenus vitam suam, habet et ille suam : hujus cibi vita hominum est, illius cibi vita Angelorum est. Fideles homines, discreti jam corde a turba infidelium, suspensi in Deum, quibus dicitur : Sursum cor, aliam spem gerentes, et scientes se peregrinari in hoc mundo, medium quemdam locum tenent : nec illis comparandi sunt, qui nihil aliud putant bonum, quam deliciis terrenis perfrui, nec illis adhuc supernis habitatoribus cœli, quibus solæ deliciæ sunt panis ipse a quo creati sunt. Illi homines proni ad terram, pastum atque lætitiam de sola carne requirentes, pecoribus comparantur : longe ab Angelis distant et conditione et moribus ; conditione, quia mortales sunt ; moribus, quia luxuriosi. Inter illum populum cœli et populum terræ, medius quodam modo pendebat Apostolus ; illuc ibat, hinc se attollebat. Nec cum illis tamen erat adhuc ; nam diceret : Jam perfectus sum : nec cum istis erat, pigris, torpidis, marcidis, somnolentis, nihil aliud esse putantibus, nisi quod vident, et quod transit, et quod nati sunt, et quod morituri sunt. Nam si cum eis esset, non diceret : « Sequor ad palmam supernæ vocationis. » Gubernare itaque debemus nostra jejunia. Non est hoc, ut dixi, officium angelicum ; nec tamen et illorum hominum officium est qui ventri serviunt : medietatis nostræ res est, qua vivimus secreti ab infidelibus, conjungi Angelis inhiantes. Nondum pervenimus, sed jam imus : nondum ibi lætamur, sed jam hic suspiramus. Quid ergo nobis prodest abstinere aliquantum a pastu et lætitia car-

[1] Philip. I, 23.

nali? Caro in terram cogit, mens sursum tendit : rapitur amore, sed tardatur pondere. De hac re Scriptura ita loquitur : « Corpus enim quod corrumpitur, aggravat ani» mam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa » cogitantem [1]. » Si ergo caro in terram vergens onus est animæ, et sarcina prægravans prævolantem : quantum quisque delectatur superiore vita sua, tantum deponit de terrena sarcina sua. Ecce quod agimus jejunantes.

III. Non vobis ergo videatur levis res aut superflua, ne quisquam forte hoc faciens Ecclesiæ consuetudine, cogitet apud se, et dicat sibi, aut suggerentem intrinsecus audiat tentatorem : Quid facis, quia jejunas? Defraudas animam tuam, non ei das quod eam delectat, tibi ipsi ingeris pœnam, tuus ipse tortor et cruciator existis. Deo ergo placet, quia te crucias? Ergo crudelis est, qui delectatur pœnis tuis. Responde hujusmodi tentatori : Excrucio me plane, ut ille parcat : do de me pœnas, ut ille subveniat, ut placeam oculis ejus, ut delectem suavitatem ejus. Nam et victima excruciatur, ut in aram imponatur. Minus premet mentem meam caro mea. Et tali dissuasori malo, servo ventris, responde per hanc similitudinem, et dic : Si jumento forte insideres, si equo utereris, qui te gestiendo posset præcipitare, nonne ut securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, et fame domares quem freno uon posses? Caro mea jumentum meum est : iter ago in Jerusalem, plerumque me rapit, et de via conatur excludere [2] : via autem mea Christus est: ita exultantem non cohibebo jejunio? Si quis hoc sapit, etiam ipso experimento probat, quam utiliter jejunetur. Numquid enim caro ista, quæ nunc domatur, semper domabitur? Dum temporaliter fluitat, dum mortalitatis conditione prægravatur, habet exultationes suas mani-

[1] Sap. IX, 15. — [2] *Forte* excutere.

festas et periculosas menti nostræ. Caro est enim adhuc corruptibilis, nondum resurrexit; nam non semper sic erit : nondum habet statum proprium cœlestis habitudinis ; nondum enim facti sumus æquales Angelis Dei.

IV. Ne ergo arbitretur Dilectio Vestra, quod inimica sit caro spiritui, quasi alter sit auctor carnis, alter sit auctor spiritus. Multi enim hoc putantes vere rapti ab ipsa carne deviarunt, et alterum auctorem carni, alterum spiritui posuerunt. Utuntur autem quasi testimonio apostolico, quod non intelligunt : « Caro concupiscit adversus » spiritum, et spiritus adversus carnem [1]. » Hoc verum est : sed quare et aliud non attendis? « Nemo enim un- » quam carnem suam odio habet, sed nutrit et fovet » eam, sicut et Christus Ecclesiam [2]. » In illa prima sententia quam commemoravi, quasi quædam lucta duorum inimicorum videtur, carnis et spiritus ; quia « Caro con- » cupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus car- » nem. » In hac autem tanquam copulatio conjugalis : « Nemo enim unquam carnem suam odio habet, sed nu- » trit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam. » Quid ergo facimus inter has duas sententias? Si contrariæ sunt, quam respuemus, quam tenebimus? Sed non sunt contrariæ. Intendat enim Charitas Vestra : interim ego ambas accipio, et ambas concordes, quantum potuero, demonstrabo. Tu autem quisquis olim auctorem carnis constituis, alium spiritus, de illa quid agis? « Nemo enim unquam » carnem suam odio habet, sed nutrit et fovet eam, sicut » Christus Ecclesiam. » Vel similitudo non te terret? Quia « Nutrit, inquit, et fovet eam, sicut et Christus Eccle- » siam. » Compedem putas carnem : quis amat compedem suam? Carcerem putas carnem : quis amat carcerem suum? « Nemo enim unquam carnem suam odio habet. » Quis

[1] Gal. v, 17. — [2] Ephes. v, 29.

non oderit vinculum suum? quis non oderit pœnam suam? Et tamen : « Nemo unquam carnem suam odio » habet, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Eccle- » siam. » Tu ergo qui alium auctorem ponis carni, alium auctorem spiritui, alium positurus es Ecclesiæ, alium Christo : quod qui sapit, desipit. Diligit ergo unusquisque carnem suam, Apostolus dicit, et præter Apostoli dictum unusquisque in se probat. Quantumlibet enim sis domator carnis, quantalibet in eam severitate accendaris, nescio utrum non claudes oculum, si aliquis ictus immineat.

V. Est ergo quasi quoddam conjugium spiritus et carnis. Unde ergo « Caro concupiscit adversus spiritum, et » spiritus adversus carnem [1]? » Unde ista pœna, quæ ducta est de mortis propagine? Unde dictum est : « Om- » nes in Adam moriuntur? » Et unde dicit Apostolus : « Fuimus aliquando et nos natura filii iræ, sicut et » cæteri [2]? » Accepit enim ille vindictam mortis, de quo nati sumus, et trahimus quod vincamus : et ideo concupiscimus adversus carnem, ut nobis domitam carnem subjiciamus, et eam ad obediendum attrahamus. Numquid ergo odimus, quam nobis cupimus obedire? Dat unusquisque et in domo sua plerumque disciplinam conjugi suæ, et eam subjugat renitentem, non persequitur inimicantem. Filium tuum domas, ut tibi obediat : numquid disti? numquid deputas inimicum? Servum postremo tuum diligis et castigas, et in castigando obedientem facis. Habes de hac re ipsius Apostoli manifestam plenamque sententiam : « Non sic curro, inquit, tanquam » in incertum; non sic pugillor, quasi aërem cædens : » sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne » forte aliis prædicans, ipse reprobus inveniar [3]. » Habet

[1] 1 Cor. xv, 22. — [2] Ephes. II, 3. — [3] 1 Cor. IX, 26 et 27.

ergo caro ex conditione mortali quasi quosdam terrenos appetitus suos : in hos tibi jus freni concessum est. Regat te præpositus, ut possit a te regi subjectus. Infra te est caro tua, supra te est Deus tuus : cum vis ut serviat tibi caro tua, admoneris quomodo te oporteat servire Deo tuo. Attendis quod sub te est, attende et quod supra te est. Leges in inferiorem non habes, nisi a superiore. Servus es, servum habes : sed Dominus duos servos habet. Servus tuus plus est in potestate Domini tui, quam in tua. Itaque vis tibi obediri a carne, numquid in omnibus potest? In omnibus obtemperat Domino tuo : non in omnibus obtemperat tibi. Quomodo, inquis? Ambulas, pedes moves, sequitur : sed numquid quantum vis ibit tecum? Animatur a te, numquid quandiu vis? numquid quando vis, doles? quando vis, sanus es? Exercet enim te plerumque Dominus tuus per servum tuum : ut quia fuisti Domini contemptor, merearis emendari per servum.

VI. Sed ad te quid pertinet? Delectationem carnis non relaxare usque ad illicita, aliquantum et a licitis refrenare. Qui enim a nullis refrenat licitis, vicinus et est illicitis. Proinde, fratres, licitum est conjugium, illicitum est adulterium : et tamen temperantes viri, ut longe sint ab illicito adulterio, refrenant se aliquantum et a licito conjugio. Licita est satietas, illicita est ebriositas : tamen modesti homines, ut longe se faciant a turpitudine ebrietatis, castigant se aliquantum et a libertate satietatis. Ita ergo agamus, fratres, temperemus ; et quod facimus, sciamus quare faciamus. Cessando a lætitia carnis, acquiritur lætitia mentis.

VII. Proinde finis nobis jejuniorum nostrorum, ad iter nostrum : quid sit ipsum iter, et quod tendamus, hoc considerandum est. Namque et Pagani jejunant aliquando, nec regionem quo tendimus norunt : et Judæi jejunant

aliquando, et viam in qua ambulamus, non apprehenderunt. Tale est hoc, ac sic aliquis equum domet, in quo erret. Jejunant hæretici : video quales eant; interrogo quo eant? Jejunatis, ut cui placeatis? Deo, inquiunt. Munus putatis accipit? Sed prius vide quid dicit : « Relinque munus, et vade, prius reconciliare fratri » tuo [1]. » Numquid membra tua recte domas, qui Christi membra dilanias? « Auditur, inquit, in clamore vox ves- » tra; et eos qui sub jugo vestro sunt, stimulatis et cæ- » ditis pugnis. Non tale jejunium elegi, dicit Dominus [2]. » Improbaretur ergo jejunium tuum, si immoderatius severus existeres in servum tuum : approbabitur jejunium tuum, cum non agnoscis fratrem tuum? Non ego quæro, a quo cibo abstineas, sed quem cibum diligas. Dic mihi quem cibum diligas, ut approbem quod ab isto cibo te abstineas. Diligis justitiam? Forte, inquis, diligo. Appareat ergo justitia tua. Puto enim justum esse, ut majori servias, quo tibi minor obtemperet. De carne enim loquebamur, quæ minor est quam spiritus, et quæ domanda ac moderanda subjecta est. Agis cum ea ut obtemperet tibi, et subtrahis ei cibum, quod ames subjectam tibi : agnosce majorem, agnosce superiorem, ut tibi recte cedat inferior [3]. Quid si caro tua obedit tibi, et tu non obedis Deo tuo, nonne ab ipsa damnaris, cum tibi obtemperat? Nonne obtemperando tibi contra te dicit testimonium?

VIII. Et cui, inquit, majori obtemperem? Ecce Christus loquitur, justitiæ amatorem te dixeras : « Mandatum » novum do vobis, ut vos invicem diligatis [1]. » Audi ergo Dominum tuum mandatum dantem, ut nos invicem diligamus. Cum ex nobis omnibus tanquam membris corpus sibi faciat, quod corpus habeat unum caput ipsum Dominum et Salvatorem : tu contra divellis te a membris

[1] Matth. v, 24. — [2] Isai. LVIII, 4, 5. — [3] Joan. XIII, 34.

Christi, non amas unitatem. Non hoc expavesceres in membris tuis? Si distortum digitum haberes, non ad correctorem digiti tui medicum curreres? Certe tunc se habet bene corpus tuum, quando sibi concordant membra tua : tunc diceris sanus, tunc bene vales. Si autem aliquid in tuo corpore dissentiat ab aliis partibus, quæris qui emendet. Cur ergo non quæris emendari, ut compagini membrorum Christi revoceris, et congruas in ipso corpore et tuo? Certe viliores sunt cæteris membris capilli tui. Quid vilius in corpore tuo capillis tuis? quid contemptius? quid abjectius? Et tamen si male te tondeat, irasceris tonsori, quia in capillis tuis non servat æqualitatem : et tu in membris Christi non tenes unitatem? Quid sunt ergo, aut cui rei prosunt jejunia tua? Indignum Deum putas, cui ab omnibus qui in eum credunt, in unitate serviatur : et tamen vis in membris tuis, in corpore tuo, in capillis tuis unitatem servari. Loquuntur viscera tua, membra tua contra te dicunt verum testimonium, et tu falsum contra membra Christi.

IX. Discrevisti te jejunio Paganorum? Hoc a putas, et ideo securus tibi videris. Ego enim, inquis, Christo jejuno, illi autem idolis et demoniis. Accipio quod dicis, et revera non nego, discretum est. Sed ecce quemadmodum contra te paulo ante me commemorante, dicebant testimonium membra tua, ut admonerem te qualis esse debeas cum membris Christi Dei tui ; et ipsi Pagani, a quibus separas jejunium tuum, admoneant te aliquid de unitate Christi tui. Ecce illi multos deos falsos non divisi colunt : numquid nos unum verum ideo invenimus, ut sub uno in unitate non simus? Multos illi et falsos, nos unum et verum : et illi sub multis falsis non habent divisionem, nos sub uno vero non tenemus unitatem. Non doles, non gemis, non erubescis? Aliud addo : Non

solum multos deos falsos Pagani colunt, sed plerosque sibi contrarios et inimicos. Verbi gratia, commemoremus aliqua ipsorum, si cuncta non possumus : Hercules et Juno inimici fuerunt, homines enim fuerunt; privignus ille, noverca illa : utrique eorum Pagani templa fecerunt, et Junoni et Herculi. Adorant illum, adorant illam : pariter eunt ad Junonem, pariter ad Herculem : illis sibi iratis, concordes sunt. Vulcanus et Mars inimici sunt, et justam causam habet Vulcanus : sed da judicem qui audiat. Odit enim miser uxoris adulterium : nec tamen audet cultores suos a Martis templo prohibere. Simul adorant illum et illum. Si imitantur deos, litigant et ipsi. Eunt de templo Martis ad templum Vulcani : magna indignitas : nec tamen timent ne sibi irascatur maritus, quod ad eum venitur de templo Martis adulteri. Habent cor, sciunt lapidem sentire non posse. Ecce colentes multos, falsos, diversos, adversos, tenent tamen in eis colendis qualemcumque unitatem : ecce dicunt contra te testimonium et ipsi Pagani, a quibus tua jejunia separasti. Veni ergo ad unitatem, frater. Unum Deum colimus : nunquam Patrem et Filium vidimus litigantes. Nec mihi Pagani succenseant, quod hæc dixi de diis eorum. Quare enim irascantur verbis meis, et non potius litteris suis? Illas prius, si possunt, imo, si volunt, deleant : non eis docendis Grammatici vela suspendant. Irascitur mihi quia ego dico, qui dat mercedem ut filius ipsius discat.

X. Ergo, charissimi, illi quidem tales deos habent, vel potius habuerunt. Quia enim ipsi eos deserere noluerunt, ab eis deserti sunt. Et multi deseruerunt eos, et adhuc deserunt, dejiciunt templa eorum in cordibus suis : sed gaudeamus de illis, quia veniunt ad unitatem, non ad divisionem. Non inveniat Paganus occasionem qua nolit

esse Christianus. Concordemus, fratres, colentes unum Deum, ut et illos deserere multos deos exhortemur quodam modo nostra concordia, ut ad pacem et ad unitatem veniant colendi unum Deum. Et si forte fastidiunt, et hinc nobis calumniantur, quod unitatem inter nos Christiani non habemus, et inde sunt tardi et pigri ne veniant ad salutem; alloquar et ipsos paululum, et dicam, quod eis dicatis. Non præferant nobis quasi concordiam suam, non sibi tanquam de unitate sua placeant. Hostem quippe quem patimur, illi non patiuntur : illos et non ista agentes ipse possidet. Videt eos adoratores falsorum deorum; videt eos servos, et servos dæmoniorum : quid illi lucri est quia litigant, aut quid damni est quia non litigant? Et unum quamvis falsum et vanum sentientes, sibique consentientes, sic eos possidet. At vero cum desereretur, et multi ad unum Deum concurrerent, ejus sacrilega sacramenta desererent, templa everterent, idola frangerent, sacrificia prohiberent, vidit se perdidisse quos tenebat, vidit a sua familia recessisse, verum Deum cognovisse : quid faceret? quomodo insidiaretur? Concordes nos scit quod possidere non possit, unum Deum nobis dividere non potest, falsos deos nobis supponere non potest, sentit esse vitam nostram charitatem, mortem nostram dissensionem : lites immisit inter Christianos, quia multos deos non potuit fabricare Christianis; sectas multiplicavit, errores seminavit, hæreses instituit. Sed quidquid fecit, de palea dominica fecit. Ecce securitas nobis est, licet illo sæviente, licet illo insidiante, et dissensiones varias inter Christianos seminante : si Deum nostrum agnoscamus, si concorditer teneamus, si fidem servemus, securi sumus. Fratres, frumentum de area aut non recedit, aut redit : aliquid palearum aufert ventus tentationis, unde nobis faciat non viam perditionis, sed opus exercitationis. Quantam vero

paleam non tollit foras, et ipsa tamen in ultimo ventilanda est : et non it tota palea nisi in ignem. Satagere ergo debemus, fratres mei, cum tempus est, quantis possumus viribus, quanta possumus intentione, ut si fieri potest, et palea redeat, dum frumenta non pereant. Dilectio nostra hic probatur, magnum opus vitæ nostræ proponitur. Non nos inveniremus, quantum fratres diligamus, si nemo periclitaretur : non appareret quanta esset dilectio inquisitionis, si nihil teneret abyssus perditionis.

XI. Laboremus, fratres, non cessemus, omni opere, omni sudore, affectu pio ad Deum, ad illos, inter nos, ne illorum veterem litem sopire volentes, inter nos novas rixas faciamus : et ante omnia cauti simus inter nos ipsos tenere fimissimam dilectionem. Illi gelaverunt in iniquitatibus suis : quomodo in eis tu solves glaciem iniquitatis, si non ardeas flamma charitatis? Nec curemus quod eis molesti videmur compellendo : attendamus quo, in eo securi simus : numquid enim ad mortem, et non potius a morte? Omnino quibuscumque modis possumus, sed modeste, vestuta vulnera pertractemus : et cauti simus, ne inter manus medici deficiat qui curatur. Quid itaque curandum nobis est, quia plorat puer qui ad scholam ducitur? Cogitandum nobis est, quia repellit manus medici qui secatur? Piscatores fuerunt Apostoli, et Dominus dixit eis : « Fa» ciam vos piscatores hominum[1]. » Per Prophetam autem dicitur, quod Deus primo piscatores erat missurus, postea venatores[2]. » Primo piscatores misit, postea venatores mittit. Quare piscatores? quare venatores? De abysso et profundo maris superstitionis idololatriæ credentes piscati sunt retibus fidei. Venatores autem quo missi sunt? Cum illi vagarentur per montes et colles, id est, per superbias hominum, per tumores terrarum. Mons unus, Donatus, et

[1] Matth. IV, 19. — [2] Jerem. XVI, 16.

alius mons, Arius; alter mons, Photinus; alter mons, Novatus : per istos montes errabant : venatoribus indigebat error ipsorum. Ideo et distributa sunt officia piscatorum et venatorum, ne forte isti dicant nobis : Quare Apostoli neminem coëgerunt, neminem impulerunt ? Quia piscator est, retia mittit in mare, quod incurrerit trahit. Venator autem sylvas cingit, sentes excutit, terroribus undique multiplicatis cogit in retia. Ne hac eat, ne illac eat : inde occurre, inde cæde, inde terre ; non exeat, non effugiat. Sed retia nostra vita est, tantum dilectio conservetur. Nec attendas quam illi sis molestus, sed quam tibi ille sit dilectus. Qualis pietas, si parcis, et moritur?

XII. Fratres, hanc etiam considerate comparationem et similitudinem : una enim res multas similitudines habere potest. Ea conditione nascuntur homines, ut velit sibi omnis homo a filiis suis succedi ; et nemo est, qui non hunc ordinem in domo sua vel optet vel speret, ut generatores filiorum cedant, et generati succedant. Tamen si pater senex ægrotet : non dico, si filius, cui adsit pater, quem quærit hæredem, quem cupit successorem, quem propterea genuit, ut illo mortuo ipse vivat ; non hoc dico : si pater ægrotet senex, iturus, jam vicinus morti, jam naturæ ordinem petens, jam ultra quod speret non habens ; tamen si ægrotet, et adsit illi pie filius ejus, et videat eum medicus lethali et noxio somno premi, patiens est in senem moriturum propter ipsos paucos dies quibus hic potest vivere ; stat filius, et adest patri sollicitus : et cum audierit medicum dicentem : Iste homo lethargicus potest esse, et inde mori, si permittatur dormire ; si vultis eum vivere, non dormiat : illum somnus ille noxius premit, qui et noxius est, et dulcis est. Filius autem ejus admonitus a medico, stat sollicitus, patri molestus, pulsat ; et si pulsatio ejus vincitur, vellicat ; et si vellicatio nihil agit,

pungit. Certe molestus est patri : et esset impius, nisi molestus esset. At ille quem delectat mori, molestum sibi filium tristi aspectu et voce reverberat : Quiesce mihi, quid mihi molestus es ? Sed medicus ait, quia si dormieris, morieris. Et ille : Dimitte me, mori volo. Senex dicit : Mori volo : et puer impius est, si non dicat : Ego nolo. Et illa vita utique temporalis est, nec ille in ea perpetuus erit, cui filius est molestus ut excitet ; nec ille qui abeunti patri et decedenti succedit. Ambo per eam transeunt, ambo per illam temporaliter transvolant : et tamen impii sunt, nisi ad ipsam sibi temporalem, etiam cum invicem molesti sunt, consulant. Ergo-ne video fratrem meum somno noxiæ consuetudinis premi, et non excito, dum timeo molestus esse dormienti atque pereunti ? Absit a me ut hoc facerem, nec si illo vivo nostra angustaretur hæreditas. Nunc vero cum illud quod accepturi sumus dividi non possit, cum possessore multiplicato angustari non possit ; non eum erigam vel molestus ut vigilet, et carens somno vetustissimi erroris mecum in hæreditate gaudeat unitatis ? Prorsus faciam ; si vigilo, faciam : si non facio, et ego dormio.

XIII. Charissimi, Dominus interpellatus est a quodam, cum turbis loqueretur, et ait illi : « Domine, dic fratri meo, » ut dividat mecum hæreditatem. » Et Dominus : « Dic, » homo, quis me constituit divisorem hæreditatis inter » vos[1] ? » Non utique dedignabatur compescere cupiditatem, sed nolebat fieri judex ad divisionem. Nos autem, charissimi, non eum rerum talium judicem requiramus, quia nec talis est hæreditas nostra : pura fronte, bona conscientia interpellemus Dominum nostrum, et dicat ei unusquisque nostrum : Domine, dic fratri meo, non ut dividat, sed ut teneat mecum hæreditatem. Quid enim vis

[1] Luc. XII, 13 et 14.

dividere, frater? Quod enim dimisit nobis Dominus, non potest dividi. Aurum est enim, ut stateram divisionis proferat? Argentum est, pecunia est, mancipia sunt, pecora sunt, arbores sunt, agri sunt? Omnia enim ista dividi possunt. Non potest dividi : « Pacem meam do vobis, pa» cem meam dimitto vobis[1]. » Postremo in ipsis etiam terrenis hæreditatibus divisio minorem facit : constitue duos fratres sub uno patre, quidquid possidet pater, amborum est, totum illius, totum et illius. Proinde si de rebus suis interrogetur, sic respondet : Cujus est, verbi gratia, equus ille? Et si uni eorum dixeris : Noster est. Cujus ille fundus, ille servus : In omnibus respondet : Noster est. Si autem dividant, jam aliud respondetur : Cujus equus ille? Meus. Cujus iste? Fratris mei. Ecce quid tibi fecit divisi. Non unum acquisisti, sed unum perdidisti. Si ergo et talem hæreditatem haberemus, quæ dividi posset; dividere tamen non deberemus, ne nostras divitias minuerimus. Et certe nihil tam importunum filiis quam vivo patre velle dividere. Denique si hoc facere moliantur, si litibus et contentionibus studeant ad vindicandas sibi quisque partes suas, exclamat senex : Quid facitis? Adhuc vivo. Expectate paululum mortem meam, tunc secate domum meam. Nos autem Deum patrem habemus: quid imus in divisionem? quid imus in lites? Certe expectemus : si mori potuerit, dividamus.

[1] Joan. XIV, 27.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE URBIS EXCIDIO.

SERMO.

I. Intueamur primam lectionem sancti Danielis prophetæ, ubi eum audivimus orantem, et mirati sumus, non solum peccata populi sui, sed et sua propria confitentem. Nam post ipsam orationem, cujus quidem verba indicabant eum non solum deprecatorem, sed etiam confessorem ; post ipsam ergo orationem : « Cum orarem, in- » quit, et confiterer peccata mea et peccata populi mei » Domino Deo meo[1]. » Quis ergo est qui se sine peccato esse profiteatur, cum Daniel peccata propria confitetur? Nam superbo cuidam dictum est per Ezechielem prophetam : « Numquid tu sapientior quam Daniel[2] ? » In tribus item quibusdam sanctis viris, per quos tria genera hominum significat Deus quæ liberaturus est, quando magna tribulatio superventura est generi humano ; etiam hunc Danielem posuit : et dixit, quod nemo inde liberabitur, nisi Noë, Daniel et Job. Et quidem manifestum est, quod in his tribus nominibus tria quædam, ut dixi, genera hominum significat Deus. Jam enim tres illi viri dormierunt,

[1] Dan. IX, 20. — [2] Ezech. XXVIII, 3.

et apud Deum sunt spiritus eorum, et corpora eorum in terra fluxerunt : expectant resurrectionem et ad dexteram collocationem, nec aliquam in hoc mundo tribulationem timent, unde se cupiant liberari. Quomodo ergo de illa tribulatione liberabuntur Noë, Daniel et Job? Quando dicebat ista Ezechiel, solus forsitan Daniel in corpore fuit. Nam Noë et Job jam olim dormierant, et somno mortis patribus appositi fuerant. Quomodo ergo poterant de imminente tribulatione liberari, jam olim de carne liberati? Sed in Noë significantur boni præpositi, qui regunt et gubernant Ecclesiam, quomodo Noë in diluvio gubernavit arcam. In Daniele significantur omnes sancti continentes : in Job omnes conjugati juste et bene viventes. Hæc enim tria genera hominum de illa tribulatione liberat Deus. Tamen quantum sit commendatus Daniel, ex hoc apparet, quod unus ex illis tribus meruit nominari ; et tamen confitetur peccata sua. Daniele ergo confitente peccata sua, cujus superbia non contremiscat, cujus inflatio non residat, cujus tumor et elatio non cohibeatur ? « Quis glo- » rietur castum se habere cor, aut quis glorietur mundum » se esse a peccato[1] ? » Et mirantur homines, et utinam tantum mirarentur, et non etiam blasphemarent, quando corripit Deus genus humanum, et flagellis piæ castigationis exagitat, exercens ante judicium disciplinam, et plerumque non eligens quem flagellet, nolens invenire quem damnet. Flagellat enim simul justos et injustos : quanquam quis justus, si Daniel peccata propria confitetur ?

II. Lecta est ante dies lectio libri Geneseos, quæ nos, nisi fallor, multum fecit intentos, ubi Abraham dicit Domino, utrum si inveniat in civitate quinquaginta justos, parcat civitati propter eos, an cum ipsis perdat civitatem[2].

[1] Prov. xx. — [2] Gen. xviii, 24.

Et respondit ei Dominus, quod si inveniat in civitate quinquaginta justos, parcat civitati. Deinde Abraham adjecit ad interrogationem, et quæsivit, utrum si minus fuerint quinque, et remaneant quadraginta-quinque, similiter parcat. Respondit Deus, parcere se et propter quadraginta-quinque. Quid multa? Paulatim interrogando et ex illo numero detrahendo pervenit ad decem, et quæsivit a Domino, utrum si decem justos in civitate compererit, perdat eos cum reliquis innumerabilibus malis, an propter decem justos parcat potius civitati. Respondit Deus, etiam propter decem justos non se perdere civitatem. Quid ergo dicimus, fratres? Occurrit enim nobis quæstio valida et vehemens, præsertim ab hominibus qui Scripturis nostris impietate insidiantur, non qui eas pietate perquirunt; et dicunt, maxime de recenti excidio tantæ urbis: Non erant Romæ quinquaginta justi? In tanto numero fidelium, tanto numero sanctimonialium, continentium, tanto numero servorum et ancillarum Dei, nec quinquaginta justi inveniri potuerunt, nec quadraginta, nec triginta, nec viginti, nec decem? Si autem incredibile est, quare non Deus propter quinquaginta; vel etiam propter decem justos pepercit illi civitati? Scriptura non fallit, si se homo non fallat. Cum de justitia quæritur, et Deus de justitia respondet; justos quærit ad regulam divinam, non ad regulam humanam. Cito ergo respondeo: Aut invenit ibi tot justos, et pepercit civitati; aut si non pepercit civitati, nec justos invenit. Sed respondetur mihi, manifestum esse quod Deus non pepercit civitati. Respondeo ego: Imo mihi non est manifestum. Perditio enim civitatis ibi facta non est, sicut in Sodomis facta est. De Sodomis enim quæstio erat, quando Deum Abraham interrogavit. Deus autem dixit: « Non perdam civitatem: » non dixit: Non flagello civitatem. Sodomis non pepercit, Sodomam per-

didit : Sodomam penitus igne consumpsit, quam ad judicium non distulit, sed in eam exercuit, quod aliis malis ad judicium reservavit. Prorsus nullus de Sodomis evasit, nihil hominis relictum est, nihil pecoris, nihil domorum : cuncta omnino ignis absorbuit. Ecce quomodo Deus perdidit civitatem. Ab urbe autem Roma quam multi exierunt et redituri sunt ! quam multi manserunt et evaserunt ! quam multi in locis sanctis nec tangi potuerunt ! Sed captivi, inquiunt, multi ducti sunt. Hoc et Daniel, non ad supplicium suum, sed ad solatium cæterorum. Sed multi, inquiunt, occisi sunt. Hoc et tot justi Prophetæ a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ [1] : hoc etiam tot Apostoli, hoc ipse Dominus Prophetarum et Apostolorum. Sed multi, inquiunt, tormentis variis excruciati sunt. Putamus-ne quisquam tantum quantum Job ?

III. Horrenda nobis nuntiata sunt, strages facta, incendia, rapinæ, interfectiones, excruciationes hominum. Verum est, multa audivimus, omnia gemuimus, sæpe flevimus, vix consolati sumus ; non abnuo, non nego multa nos audisse, multa in illa urbe esse commissa. Verumtamen, fratres mei, (intendat Charitas Vestra quod dico,) audivimus librum sancti Job [1], quod perditis rebus, perditis filiis, nec ipsam carnem quæ illi sola remanserat, salvam potuit obtinere, sed percussus gravi vulnere a capite usque ad pedes sedebat in stercore, putrescens ulcere, sanie fluens, vermibus scatens, tormentis acerbissimis dolorum cruciatus. Si nobis sic nuntiaretur universa civitas sedere, sedere, inquam, civitas universa, nullo ibi sano in gravissimo vulnere, et sic putrescere vermibus vivos, quomodo mortui putruerunt : quod erat gravius, hoc-ne, an illud bellum ? Puto quod mitius in carnem humanam ferrum sæviret,

[1] Matth. xxiii, 35. — [2] Job, ii, 7.

quam vermes; tolerabilius de vulneribus sanguis erumperet, quam de putredine sanies distillaret. Cadaver corrumpi respicis, et horrescis : sed ideo minor pœna, quod absens anima. At vero in Job præsens anima quæ sentiret, ligata ne fugeret, subjecta ut doleret, compuncta ut blasphemaret. Sustinuit autem tribulationem Job, et deputatum est illi ad magnam justitiam. Non ergo quisquam attendat quid patiatur, sed quid faciat. Homo, in eo quod pateris, potestas tua non est : in eo quod facis, voluntas tua vel nocens vel innocens est. Patiebatur Job, stabat mulier relicta sola, non ad consolationem, sed ad tentationem; non quæ afferret medicinam, sed quæ moneret blasphemiam : « Dic aliquid, inquit, in Deum et morere. » Videte quemadmodum illi mori beneficium fuit, et tale beneficium nemo dabat. Sed in his omnibus quæ sancta anima sustinebat, patientia exercebatur, fides probabatur, mulier confutabatur, diabolus vincebatur. Spectaculum magnum, et in illa fœditate putredinis præclara pulchritudo virtutis. Vastat latenter inimicus : aperte malum suadet inimica; adjutorium diaboli, non mariti; Eva nova, sed ille non vetus Adam : « Dic aliquid in Deum, et morere. » Blasphemando extorque, quod precando non potes impetrare. « Locuta es, inquit, tanquam una ex insipientibus » mulieribus. » Attendite verba fortis fidelis : attendite verba foris putrescentis, intus integri. « Locuta es, inquit, » tanquam una ex insipientibus mulieribus. Si bona per- » cepimus de manu Domini, mala non sustinebimus [1] ? » Pater est, numquid amandus blandiens, et respuendus corripiens? Nonne pater est, et promittens vitam et imponens disciplinam? Excidit-ne tibi : « Fili, accedens ad » servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara » animam tuam ad tentationem? Omne quod tibi appli-

[1] Job, II, 10.

» citum fuerit accipe, et in dolore sustine, et in humilitate » tua patientiam habe. Quoniam in igne probatur aurum » et argentum, homines vero acceptabiles in camino hu- » miliationis[1]. » Excidit-ne tibi : « Quem enim diligit Do- » minus, corripit : flagellat autem omnem filium quem » recipit[2]? »

IV. Cogita quoslibet cruciatus, extende animum in quaslibet in hac vita pœnas humanas : compara ad gehennam, et leve est omne quod cogitas. Hic temporalis, ibi æternus est, et qui torquet et qui torquetur. Numquid adhuc patiuntur, qui illo tempore passi sunt, quo Roma vastata est? Dives autem ille adhuc apud inferos patitur[3]. Arsit, ardet, ardebit, vivet usque ad judicium : recipiet carnem, non ad beneficium, sed ad supplicium. Illas pœnas timeamus, si Deum timemus. Quidquid hic passus fuerit homo, si corrigatur, emendatio est : si nec sic corrigatur, duplex damnatio est. Et hic enim luit pœnas temporales, et ibi experietur æternas. Dico Charitati Vestræ, fratres, Martyres certe sanctos laudamus, glorificamus, admiramur, dies eorum pia solemnitate celebramus, merita eorum veneramur, et si possumus imitamur : Est profecto, est magna Martyrum gloria; sed nescio utrum minor gloria fuit sancti Job : nec tamen ei dicebatur : Thus pone idolis, sacrifica diis alienis, nega Christum : dicebatur tamen : Blasphema Deum. Nec dicebatur, ut intelligeretur, si blasphemaveris, putredo omnis abscessura sanitasque reditura est; sed, si blasphemaveris, dicebat inepta et insulsa mulier, morieris, et moriendo tormentis carebis. Quasi vero morienti blasphemo non æternus dolor succederet. Mulier fatua præsentis putredinis horrebat molestiam, æternam flammam minime cogitabat. Ferebat ille præsens malum, ne incideret in futurum. Tenebat cor

[1] Eccli. II, 1-5. — [2] Prov. III, 12, et Hebr. XII, 7. — [3] Luc. XVI, 19.

a mala cogitatione, linguam a maledicto : servabat animæ integritatem in putredine corporis. Videbat quid in futurum evadebat : ideo quod patiebatur, ferebat. Sic, sic unusquisque Christianus quando aliquam afflictionem corporis patitur, gehennas cogitet, et videat quam leve est quod patitur. Non murmuret adversum Deum, non dicat : Deus, quid tibi feci, quare ista patior? Imo dicat quod dixit ipse Job quamvis sanctus : « Exquisisti omnia peccata » mea, et ea tanquam in sacculo signasti [1]. » Non se ausus est dicere sine peccato, qui patiebatur, non ut puniretur, sed ut probaretur. Hoc dicat unusquisque cum patitur.

V. Fuerunt Romæ quinquaginta justi, imo si modum humanum consideres, millia justorum : si regulam perfectionis, nemo justorum existit. Quicumque Romæ qui se audeat justum dicere, a me non audit : « Numquid tu sa- » pientior quam Daniel [2]? » Audi ergo illum confitentem peccata sua. An forte cum confitebatur, mentiebatur? Hinc ergo habebat peccatum, quia de suis peccatis Deo mentiebatur. Sed aliquando argumentantur homines, et dicunt : Debet et homo justus Deo dicere, quia peccator est : quamvis sciat nullum se habere peccatum, tamen dicat Deo : Habeo peccatum. Miror si ista consilii sanitas appellanda est. Quis te facit non habere peccatum? nonne Deus qui sanat animam tuam? Si tamen non habes peccatum. Nam considera ; et invenies, non peccatum, sed peccata. Tamen si prorsus non habes peccatum, nonne illius beneficium est, cui dixisti : « Ego dixi : Domine, miserere » mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi [3]? » Si ergo sine peccato est anima tua, sanata est omni modo anima tua : si sanata est omni modo anima tua, quare ingratus es medico tuo, ut dicas vulnus esse adhuc, ubi om-

[1] Job, XIV, 17. — [2] Ezech. XXVIII, 3. — [3] Psal. XL, 5.

nem sanitatem ille jam fecit? Si corpus tuum languidum aut vulneratum medico ostenderes, et rogares ut tibi adhiberet curandi diligentiam, atque ille faceret, sanumque et incolumem redderet, et tu adhuc diceres : Non sum sanus ; nonne esses medico ingratus? nonne esses in medicum contumeliosus? Si et Deus sanavit te, audes dicere : Adhuc vulnus habeo ; nec times ne tibi respondeat : Ergo ego nihil egi, aut totum quod egi effudi, non accipio mercedem, non mereor vel laudem? Avertat Deus hanc amentiam, et hanc argumentationem vanam. Dicat homo : Peccator sum, quia peccator est : dicat : Peccatum habeo, quia peccatum habet. Non enim si non habet, sapientior est quam Daniel. Ergo, fratres mei, illam quæstionem aliquando determinem. Si justi sic appellandi sunt, sicut modo quodam humano justi appellantur, secundum quamdam conversationem qua inter homines vivunt sine querela : multi tales Romæ ; et propter hos pepercit Deus, multi evaserunt : sed et eis qui mortui sunt, pepercit Deus, Mortui enim in bona vita et vera justitia, in bona fide. nonne ærumnis rerum humanarum caruerunt, et ad divinum refrigerium pervenerunt? Mortui sunt post tribulationes, quomodo pauper ille ante januam divitis. Sed passi sunt famem? passus est et ille. Passi sunt vulnera? passus est et ille : forte minus eos canes linxerunt. Mortui sunt? mortuus est et ille : sed quo fine audi : « Contigit, inquit, » mori inopem illum, et auferri ab Angelis in sinum » Abrahæ[1]. »

VI. Utinam videre possemus oculis animas sanctorum, qui in illo bello mortui sunt : tunc videretis quomodo Deus pepercerit civitati. Millia enim sanctorum in refrigerio sunt, lætantium et dicentium Deo : Gratias tibi, quia nos a carnis molestiis et tormentis eruisti. Gratias tibi, quia

[1] Luc. xvi, 22.

jam nec barbaros, nec diabolum formidamus, non timemus in terra famem, non timemus grandinem, non timemus hostem, non timemus lictorem, non timemus oppressorem: sed sumus in terra mortui, apud te Deus non morituri, in regno tuo salvi, dono tuo, non merito nostro. Qualis civitas est humilium quæ ista dicit? An putatis civitatem in parietibus deputandam? Civitas in civibus est, non in parietibus. Denique si diceret Deus Sodomitis: Fugite, quia incensurus sum locum istum: nonne magnum meritum eos habere diceremus, si fugerent, et flamma de cœlo descendens mœnia parietesque vastaret? Nonne Deus pepercerat civitati, quia civitas migraverat, et perniciem illius ignis evaserat?

VII. Nonne ante paucos annos (3) Arcadio imperatore Constantinopoli, (quod dico, audiunt nonnulli forsitan qui noverunt, et sunt in hoc populo qui et illic præsentes fuerunt,) volens Deus terrere civitatem, et terrendo emendare, terrendo convertere, terrendo mundare, terrendo mutare, servo cuidam suo fideli, viro ut dicitur militari, venit in revelatione, et dixit ei civitatem venturo de cœlo igne perituram: eumque admonuit ut episcopo diceret. Dictum est, non contempsit episcopus, et allocutus est populum: conversa est civitas in luctum pœnitentiæ, quemadmodum quondam illa antiqua Ninive[1]. Tamen ne putarent homines illum qui dixerat vel falsitate deceptum vel fallacia decepisse, venit dies quem Deus fuerat comminatus: intentis omnibus et exitum cum timore magno expectantibus, noctis initio tenebrante jam mundo, visa est ignea nubes ab Oriente, primo parva, deinde paulatim ut accedebat super civitatem ita crescebat, donec toti urbi ignis terribiliter immineret. Videbatur horrenda flamma pendere, nec odor sulphuris deerat. Omnes ad

[1] Jonæ, III, 5.

ecclesiam confugiebant, non capiebat multitudinem locus, baptismum extorquebat quisque a quo poterat. Non solum in ecclesia, sed etiam per domos, per vicos ac plateas salus sacramenti exigebatur : ut fugeretur ira, non præsens utique, sed futura. Tamen post magnam illam tribulationem, ubi exhibuit Deus fidem verbis suis, et revelationi servi sui, cœpit ut creverat minui nubes, paulatimque consumpta est. Populus securus paululum factus, iterum audivit omnino esse migrandum, quod civitas esset proximo sabbato peritura? Migravit cum imperatore tota civitas : nemo in domo remansit, nemo domum clausit : longe recedens a mœnibus, et dulcia tecta respiciens, relictis charissimis sedibus voce miserabili valefecit. Et aliquot millibus tanta illa multitudo progressa, uno tamen loco fundendis ad Deum orationibus congregata, magnum fumum subito vidit, et vocem magnam emisit ad Deum : tandemque tranquillitate conspecta, missis qui renuntiarent, sollicita quæ prædicta fuerat hora transacta, et renuntiantibus quod salva universa mœnia et tecta consisterent, omnes cum ingenti gratulatione redierunt. Nemo de domo sua quidquam perdidit, patentem omnis homo sicut dimisit invenit.

VIII. Quid dicemus? Utrum ista ira Dei, an potius misericordia fuit? Quis dubitet misericordissimum patrem corrigere voluisse, et terrendo, non perdendo punire, quando nihil hominum, nihil domorum, nihil mœnium tanta impendens præsens calamitas læsit? Prorsus sicut solent manus erigi ad feriendum, et consternato illo qui feriendus erat, miseratione revocari, ita factum est illi civitati. Verumtamen si eo tempore, quo illa derelicta populus universus abscessit, irrueret vastitas loco, totamque urbem sicut Sodomam nullis saltem ruinis remanentibus perdidisset; quis etiam sic dubitaret quod Deus pepercisset illi civitati, qua prænonita et territa et discedente at-

que migrante locus ille consumeretur? Sic minime dubitandum est pepercisse Deum Romanæ etiam civitati, quæ ante hostile incendium in multis ex multa parte migraverat. Migrarunt qui fugerunt, migrarunt qui de corpore exierunt : multi præsentes utcumque latuerunt, multi in locis sanctis vivi salvique servati sunt. Manu ergo emendantis Dei correpta est potius civitas illa, quam perdita : « Tanquam servus sciens voluntatem domini sui, et faciens » digna plagis, vapulavit multis[1]. »

IX. Atque utinam valeat ad exemplum timoris, et mala concupiscentia sitiens mundum, et appetens perfrui perniciosissimis voluptatibus, demonstrante Domino quam sint instabiles et caducæ omnes sæculi vanitates et insaniæ mendaces, potius refrenetur, quam sub flagellis dignissimis adversus Dominum murmuretur. Sed unam tribulam sentit area, ut stipula concidatur, granum mundetur; unum ignem patitur fornax aurificis, ut palea in cinerem pergat, aurum sordibus careat : sic et unam tribulationem Roma pertulit, in qua vel emendatus vel liberatus est pius; impius autem damnatus est, sive ab hac vita raptus sit ubi magis pœnas justissimas lueret, sive hic remanserit ubi damnabilius blasphemaret, aut certe pro ineffabili clementia sua Deus, quos novit salvandos, pœnitentiæ reservaret. Non ergo nos moveat labor piorum : exercitatio est, non damnatio. Nisi forte horremus cum videmus indigna et gravia in hac terra perpeti aliquem justum, et obliviscimur quæ pertulerit justus justorum sanctusque sanctorum. Quod passa est universa illa civitas, passus est unus. Sed videte quis unus : « Rex regum et Dominus domina- » tium[2], » comprehensus, vinctus, flagellatus, contumeliis omnibus agitatus, ligno suspensus et fixus, occisus. Appende cum Christo Romam, appende cum Christo to-

[1] Luc. XII, 47. — [2] Apoc. XIX, 16.

tam terram, appende cum Christo cœlum et terram: nihil creatum cum Creatore pensatur, nullum opus artifici comparatur. « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum » est nihil[1]: » et tamen a persequentibus deputatus est nihil. Feramus ergo quod nos Deus ferre voluerit[2]; qui nobis curandis atque sanandis, quis etiam dolor sit utilis, sicut medicus novit. Certe scriptum est: « Patientia opus » perfectum habet[3]. » Quod autem erit opus patientiæ, si nihil adversi patiamur? Cur ergo mala temporalia perpeti recusamus? an forte perfici formidamus? Sed plane oremus et ingemiscamus et ploremus ad Dominum ut servetur erga nos quod Apostolus dicit: « Fidelis Deus, qui » non vos sinet tentari supra id quod potestis, sed faciet » cum tentatione etiam exitum, ut sustinere possitis[4]. »

[1] Joan. I, 3. — [2] Beda vulgatus ad 1 Cor. X. — [3] Jacob. I, 4. — [4] 1 Cor. X, 13.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE HÆRESIBUS

AD QUODVULTDEUM.

LIBER UNUS.

Quod petis sæpissime atque instantissime, sancte fili Quodvultdeus, ut de hæresibus aliquid scribam dignum lectione cupientium dogmata devitare contraria fidei christianæ, et christiani nominis obumbratione fallentia; scias me olim longe antequam peteres, facere cogitasse, atque fuisse facturum, nisi diligenter considerans quale quantumque id esset, ultra vires meas esse sentirem. Sed quoniam fateor nullum mihi, ut te, institisse poscendo : in ipsa tam molesta instantia tua etiam tuum nomen attendi, et dixi : Aggrediar et faciam quod vult Deus. Hoc enim Deum velle confido, si me ad hujus Operis terminum misericordi favore perduxerit, ut per ministerium linguæ meæ tanta hujus rei difficultas aut ostendatur tantummodo, aut ipso etiam plenius adjuvante tollatur. Quorum duorum, quod priore loco posui, jamdiu est ut animo volvo ac revolvo, et quadam meditatione contueor : quod autem postea dixi, non me acce-

[1] Scriptus circiter annum 428. — [2] Vide D. Guillon, tom. XXII, pag. 77 et 78.

pisse confiteor ; et utrum dum hoc ago, ut efficiam, dum peto, dum quæro, dum pulso, sim fortasse accepturus ignoro : scio me tamen nec petiturum, nec quæsiturum ac pulsaturum quantum sat est, nisi et hunc affectum munere divinæ inspirationis accepero. In hoc igitur Opere, quod te vehementer urgente in Dei voluntate suscepi, cernis me ut id peragam non tam crebrescentibus ad me tuis petitionibus esse cogendum, quam piis ad Deum non solum tuis, verum et aliorum fratrum, quos tibi in hanc rem fideles socios potueris invenire, orationibus adjuvandum. Quod ut fiat, has ipsas primas hujus laboris mei partes, ubi est ista prælocutio, curavi Tuæ Charitati in auxilio Domini accelerare mittendas : ut propter illa quæ restant, noveritis quantum pro me orare debeatis, quicumque nosse potueritis, a me jam fuisse susceptum hoc tam grande negotium, quod a me desideratis impleri.

Petis ergo, (quod tuæ indicant litteræ, quas ad me dedisti, cum primum a me petere ista cœpisti,) ut exponam « Breviter, perstricte atque summatim, ex quo » christiana religio hæreditatis promissæ nomen accepit, » quæ hæreses fuerint, sint ; quos errores intulerint, in» ferant ; quid adversus catholicam Ecclesiam senserint, » sentiant, de fide, de Trinitate, de baptismo, de pœni» tentia, de homine Christo, de Deo Christo, de resur» rectione, de Novo et Vetere Testamento. » Istas autem inquisitiones tuas in immensum procedere cum videres, putasti cujusdam generalitatis adhibendum esse compendium atque dixisti : « Et omnia omnino, quibus a veri» tate dissentiunt. » Deinde addidisti : « Quæ etiam bap» tismum habeant, quæve non habeant ; et post quas » baptizet, nec tamen rebaptizet Ecclesia : qualiter sus» cipiat venientes ; et quid singulis lege, auctoritate, » atque ratione respondeat. » Hæc omnia cum quæris

ut exponantur a me, miror luculentum ingenium tuum, tot tantarumque rerum et sitire veritatem, et fastidium jam timendo poscere brevitatem. Sed vidisti etiam ipse quid hoc loco possem tuæ hujus epistolæ cogitare; et quasi vigilanter occurristi cogitationi meæ, dicens : « Nec » me tantæ Beatitudo Tua credat ineptiæ, ut non inspi- » ciam quantis et quam ingentibus voluminibus opus sit, » ut possint ista dissolvi. Verum hoc ego fieri non ex- » pecto : id enim multipliciter factum esse non dubito. » Et tanquam consilium subjiciens, quomodo possit et servari brevitas, et veritas pandi, adjungis ea verba quæ paulo ante jam posui, et dicis : « Sed breviter, perstricte » atque summatim opiniones rogo cujuslibet hæresis poni, » et quid contra teneat Ecclesia catholica, quantum ins- » tructioni satis est, subdi. » Ecce iterum mittis in longum : non quia dici ista breviter sive non valent, sive non debent; sed quia tam multa sunt, ut quamlibet breviter dicenda multas litteras flagitent : « Tu autem ut ve- » lut quodam, inquis, ex omnibus concepto commoni- » torio, si quis aliquam objectionem aut convictionem » uberius, plenius, ac planius nosse voluerit, ad opu- » lenta et magnifica volumina transmittatur, quibus a » diversis, et præcipue, inquis, a Veneratione Tua in hoc » ipsum constat esse elaboratum. » Quæ cum dicis, unum quasi commonitorium de his omnibus te desiderare significas : audi ergo unde commonearis quid petas.

Opiniones omnium philosophorum, qui sectas varias condiderunt, usque ad tempora sua, (neque enim plus poterat,) sex non parvis voluminibus quidam Celsus absolvit. Nec redarguit aliquem, sed tantum quid sentirent aperuit, ea brevitate sermonis, ut tantum adhiberet eloquii, quantum rei nec laudandæ, nec vituperandæ, nec affirmandæ aut defendendæ, sed aperiendæ indicandæ-

que sufficeret ; cum ferme centum philosophos nominasset : quorum non omnes instituerunt hæreses proprias ; quoniam nec illos tacendos putavit, qui suos magistros sine ulla dissensione secuti sunt. Noster vero Epiphanius(4) Cyprius episcopus ab hinc non longe humanis rebus exemptus, de octoginta hæresibus loquens sex libros etiam ipse conscripsit, historica narratione memorans omnia, nulla disputatione adversus falsitatem pro veritate decertans. Breves sane sunt hi libelli, et si in unum librum redigantur, nec ipse erit nostris vel aliorum quibusdam libris longitudine comparandus. Hujus brevitatem si fuero in commemorandis hæresibus imitatus, quid a me brevius postulare vel expectare debeas, non habebis. Sed non ibi hujus mei laboris summa consistit, quod et tibi, vel me demonstrante, vel etiam te præcurrente poterit apparere, cum hoc fecero. Videbis enim in eo quod supradictus Episcopus fecit, quantum desit Operi quod ipse vis fieri ; quanto magis quod ego ? Tu namque, quamvis breviter, perstricte atque summatim, tamen vis etiam responderi commemoratis hæresibus : quod ille non fecit. Ego vero hoc magis volo facere, si et Deus velit, unde possit omnis hæresis, et quæ nota est, et quæ ignota, vitari ; et unde recte possit quæcumque innotuerit, judicari. Non enim omnis error hæresis est : quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo hæresis esse non possit. Quid ergo faciat hæreticum, regulari quadam definitione comprehendi, sicut ego existimo, aut omnino non potest, aut difficillime potest : quod in processu hujus Operis declarabitur, si Deus rexerit, atque ad id, quod intendo, perduxerit disputationem meam. Quid autem prosit ipsa inquisitio, etiamsi non potuerimus comprehendere quomodo sit definiendus hæreticus, suo loco videndum atque dicendum est : nam si hoc comprehendi

potuerit, quis non videat utilitas quanta sit? Erunt ergo primæ partes Operis hujus de hæresibus, quæ post Christi adventum et ascensum adversus doctrinam ipsius extiterunt, et utcumque nobis innotescere potuerunt. In posterioribus autem partibus, quid faciat hæreticum, disputabimur. Cum ergo Dominus ascendisset in cœlum, hi hæretici exorti sunt.

I. Simoniani (5).
II. Menandriani.
III. Saturniniani.
IV. Basilidiani.
V. Nicolaïtæ.
VI. Gnostici.
VII. Carpocratiani.
VIII. Cerinthiani, vel Merinthiani.
IX. Nazaræi.
X. Ebionæi.
XI. Valentiniani.
XII. Secundiani.
XIII. Ptolomæi.
XIV. Marcitæ.
XV. Colorbasii.
XVI. Heracleonitæ.
XVII. Ophitæ.
XVIII. Caïani.
XIX. Sethiani.
XX. Archontici.
XXI. Cerdoniani.
XXII. Marcionitæ.
XXIII. Apellitæ.
XXIV. Severiani.
XXV. Tatiani, vel Encratitæ.
XXVI. Cataphryges.

XXVII. Pepuziani, alias Quintilliani.
XXVIII. Artotyritæ.
XXIX. Tessarescædecatitæ.
XXX. Alogii.
XXXI. Adamiani.
XXXII. Elcesæi, et Sampsæi.
XXXIII. Theodotiani.
XXXIV. Melchisedeciani.
XXXV. Bardesanistæ.
XXXVI. Noëtiani.
XXXVII. Valesii.
XXXVIII. Cathari, sive Novatiani.
XXXIX. Angelici.
XL. Apostolici.
XLI. Sabelliani, sive Patripassiani.
XLII. Origeniani.
XLIII. Alii Origeniani.
XLIV. Pauliani.
XLV. Photiniani.
XLVI. Manichæi.
XLVII. Hieracitæ.
XLVIII. Meletiani.
XLIX. Ariani.
L. Vadiani, sive Anthropomorphitæ.
LI. Semiariani.
LII. Macedoniani.
LIII. Aëriani.
LIV. Aëtiani, qui et Eunomiani.
LV. Apollinaristæ.
LVI. Antidicomaritæ.
LVII. Massaliani, sive Euchitæ.
LVIII. Metangismonitæ.
LIX. Seleuciani, vel Herminiani.

LX. Proclianitæ.
LXI. Patriciani.
LXII. Ascitæ.
LXIII. Passalorynchitæ.
LXIV. Aquarii.
LXV. Coluthiani.
LXVI. Floriniani.
LXVII. De mundi statu dissentientes.
LXVIII. Nudis pedibus ambulantes.
LXIX. Donatistæ, sive Donatiani.
LXX. Priscillianistæ.
LXXI. Cum hominibus non manducantes.
LXXII. Rhetoriani.
LXXIII. Christi divinitatem passibilem dicentes.
LXXIV. Triformem Deum putantes.
LXXV. Aquam Deo coæternam dicentes.
LXXVI. Imaginem Dei non esse animam dicentes.
LXXVII. Innumerabiles mundos opinantes.
LXXVIII. Animas converti in dæmones et in quæcumque animalia existimantes.
LXXIX. Liberationem omnium apud inferos factam Christi descensione credentes.
LXXX. Christi de Patre nativitati initium temporis dantes.
LXXXI. Luciferiani.
LXXXII. Jovinianistæ.
LXXXIII. Arabici.
LXXXIV. Helvidiani.
LXXXV. Paterniani, sive Venustiani.
LXXXVI. Tertullianistæ.
LXXXVII. Abeloïtæ.
LXXXVIII. Pelagiani, qui et Cœlestiani.

I. Simoniani a Simone mago, qui baptizatus a Philippo

diacono, sicut in Actibus Apostolorum legitur, pecunia voluit a sanctis Apostolis emere, ut etiam per impositionem manus ejus daretur Spiritus sanctus. Hic magicis fallaciis deceperat multos. Docebat autem detestandam turpitudinem indifferenter utendi fœminis. Nec Deum fecisse mundum dicebat. Negabat etiam carnis resurrectionem. Et asserebat se esse Christum. Idemque Jovem se credi volebat; Minervam vero meretricem quamdam Helenen[1], quam sibi sociam scelerum fecerat : imaginesque et suam et ejusdem meretricis discipulis suis præbebat adorandas, quas et Romæ tanquam deorum simulacra auctoritate publica constituerat. In qua urbe apostolus Petrus eum vera virtute Dei omnipotentis extinxit.

II. Menandriani a Menandro etiam ipso mago, discipulo ejus, qui mundum asserebat non a Deo, sed ab Angelis factum.

III. Saturniniani (6) a quodam Saturnino, qui turpitudinem Simonianam in Syria confirmasse perhibetur : qui etiam mundum solos angelos septem præter conscientiam Dei Patris fecisse dicebat.

IV. Basilidiani a Basilide, qui hoc distabat a Simonianis, quod trecentos-sexaginta-quinque cœlos esse dicebat, quo numero dierum annus includitur. Unde etiam quasi sanctum nomen commendabat, quod est, ἀβρασαξ, cujus nominis litteræ secundum græcam supputationem eumdem numerum complent. Sunt enim septem, α, et β, et ρ, et α, et σ, et α, et ξ : id est unum, et duo, et centum, et unum, et ducenta, et unum, et sexaginta : quæ fiunt in summa trecenta-sexaginta-quinque.

V. Nicolaïtæ a Nicolao nominati sunt, uno, ut perhi-

[1] Editi, *Selenen*. At MSS. *Helenam*, aut *Helenen* : verius. Hanc enim Simon delirabat fuisse Helenam ipsam Trojanam, ex Tertulliano, lib. de Anima, cap. XXXIV; ex Philastrio, etc. Ελένην etiam nominat Epiphanius, nec aliter Damascenus in opere de Hæresibus.

betur, ex illis septem, quos Apostoli diaconos ordinaverunt [1]. Iste cum de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi se causa permisisse fertur, ut ea qui vellet uteretur. Quod ejus factum in sectam turpissimam versum est, qua placet usus indifferens fœminarum. Hi nec ab iis quæ idolis immolantur, cibos suos separant : et alios ritus gentilium superstitionum non aversantur. Narrant etiam quædam fabulosa de mundo, nescio quæ barbara principum nomina miscentes disputationibus suis, quibus terreant auditores, quæ prudentibus risum potius faciunt, quam timorem. Intelliguntur autem etiam isti non Deo tribuere creaturam, sed quibusdam potestatibus, quas mirabili vel fingunt vanitate, vel credunt.

VI. Gnostici propter excellentiam scientiæ sic se appellatos esse, vel appellari debuisse gloriantur : cum sint superioribus omnibus vaniores atque turpiores. Denique cum ab aliis atque aliis per diversas terrarum partes aliter atque aliter nuncupentur, nonnulli eos etiam Borboritas vocant, quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur. Aliqui eos a Nicolaïtis exortos putant : aliqui a Carpocrate, de quo post loquemur. Tradunt autem dogmata fabulosissimis plena figmentis : etiam ipsi principum vel angelorum nominibus terribilibus infirmas animas capiunt, et de Deo rerumque natura, fabulosa et a sanitate veritatis aliena multa contexunt. Animarum substantiam Dei dicunt esse naturam, earumque adventum in hæc corpora et reditum ad Deum iisdem suis fabulis longissimis et stultissimis secundum suos errores inserunt : et illos qui eis credunt faciunt, non multa, ut putant, scientia præpollere, sed multa, ut ita dicam, fabulositate vanescere. Dicuntur quoque bonum deum et malum deum in suis habere dogmatibus.

[1] Act. VI, 5.

VII. Carpocratiani sunt a Carpocrate, qui docebat omnem turpem operationem, omnemque adinventionem peccati : nec aliter evadi atque transiri principatus et potestates, quibus hæc placent, ut possit ad cœlum superius perveniri. Hic etiam Jesum hominem tantummodo, et de utroque sexu natum putasse perhibetur, sed accepisse talem animam, qua sciret ea quæ superna essent, atque nuntiaret. Resurrectionem corporis simul cum Lege abjiciebat. Negabat a Deo factum, sed a nescio quibus Virtutibus mundum. Sectæ ipsius fuisse traditur quædam Marcellina, quæ colebat imagines Jesu et Pauli et Homeri et Pythagoræ, adorando incensumque ponendo.

VIII. Cerinthiani a Cerintho, iidemque Merinthiani a Merintho, mundum ab Angelis factum esse dicentes, et carne circumcidi oportere, atque alia hujusmodi Legis præcepta servari. Jesum hominem tantummodo fuisse, nec resurrexisse, sed resurrecturum asseverantes [1]. Mille quoque annos post resurrectionem in terreno regno Christi, secundum carnales ventris et libidinis voluptates, futuros fabulantur : unde etiam Chiliastæ sunt appellati.

IX. Nazaræi, cum Dei Filium confiteantur esse Christum, omnia tamen veteris Legis observant, quæ Christiani per apostolicam traditionem non observare carnaliter, sed spiritaliter intelligere didicerunt [2].

X. Ebionæi Christum etiam ipsi tantummodo hominem dicunt. Mandata carnalia Legis observant, circumcisionem scilicet carnis, et cætera, a quorum oneribus per Novum Testamentum liberati sumus. Huic hæresi Epiphanius Sampsæos et Elcesæos ita copulat, ut sub eodem numero, tanquam una sit hæresis, ponat, aliquid tamen interesse significans : quamvis et in consequentibus loquatur de il-

[1] Vide lib. xx, de Civit. Dei, cap. 7. — [2] Vide lib. I contra Cresconium, cap. 31.

lis, ponens eos sub numero suo. Eusebius vero Elcesaitarum sectam commemorans [1], fidem in persecutione dicit negandam docuisse, et in corde servandam.

XI. Valentiniani a Valentino, qui de natura rerum multa fabulosa confinxit, triginta Æonas, id est, sæcula, asserens extitisse, quorum principium esse profundum et silentium, quod profundum etiam patrem appellat. Ex quibus duobus velut ex conjugio processisse perhibet intellectum et veritatem, et protulisse in honorem patris Æonas octo. De intellectu autem et veritate processisse verbum et vitam, et protulisse Æonas decem. Porro de verbo et vita processisse hominem et ecclesiam, et protulisse Æonas duodecim. Itaque octo et decem et duodecim fieri triginta Æonas, habentes, ut diximus, primum principium de profundo et silentio. Christum autem a patre missum, id est, a profundo, spiritale vel cœleste corpus secum attulisse : nihilque assumpsisse de virgine Maria, sed per illam tanquam per rivum aut per fistulam sine ulla de illa assumpta carne transisse. Negat etiam resurrectionem carnis, solum per Christum spiritum et animam salutem accipere affirmans.

XII. Secundiani hoc a Valentinianis distare dicuntur, quod addunt opera turpitudinis.

XIII. Ptolemæus quoque discipulus Valentini, hæresim novam condere cupiens, quatuor Æonas et alios quatuor asserere maluit.

XV. Marcus etiam nescio quis hæresim condidit, negans resurrectionem carnis, et Christum non vere, sed putative passum asseverans. Duo quoque opinatus est ex adverso sibi esse principia, quidam tale de Æonibus quale Valentinus affirmans.

XV. Colorbasus secutus est istos, non multum aliter

[1] Euseb. lib VI, cap. 38.

sentiens, vitam omnium hominum et generationem in septem sideribus consistere affirmans.

XVI. Herocleonitæ ab Heracleone discipulo superiorum, duo asserunt principia, unum ex altero, et ex his duobus alia plurima. Feruntur autem suos morientes novo modo quasi redimere, id est, per oleum, balsamum et aquam, et invocationes quas Hebraïcis verbis dicunt super capita eorum.

XVII. Ophitæ a colubro nominati sunt: coluber enim græce ὄφις dicitur. Hunc autem Christum arbitrantur : sed habent etiam verum colubrum assuetum eorum panes lambere, atque ita eis velut eucharistiam sanctificare. Quidam dicunt istos Ophitas ex Nicolaïtis sive Gnosticis extitisse, et per eorum fabulosa figmenta ad colubrum colendum fuisse perventum.

XVIII. Caïani propterea sic appellati, quoniam Caïn honorant, dicentes eum fortissimæ esse virtutis. Simul et Judam traditorem divinum aliquid putant, et scelus ejus beneficium deputant; asserentes eum præscisse quantum esset generi humano Christi passio profutura, et occidendum Judæis propterea tradidisse. Illos etiam, qui schisma facientes in primo populo Dei, terra dehiscente perierunt, et Sodomistas colere perhibentur[1]. Blasphemant Legem, et Deum Legis auctorem carnisque resurrectionem negant.

XIX. Sethiani nomen acceperunt a filio Adæ, qui vocatus est Seth : eum quippe honorant, sed fabulosa et hæretica vanitate. Dicunt enim eum de superna matre natum, quam perhibent convenisse cum superno patre, unde divinum semen aliud nasceretur, tanquam filiorum Dei. Hi quoque multa de principatibus et potestatibus vanissima fabulantur. Quidam eos dicunt Sem filium Noë Christum putare.

[1] Num. xvi, 31.

XX. Archontici a principibus appellati, universitatem, quam Deus condidit, opera esse principum dicunt. Operantur etiam quamdam turpitudinem. Resurrectionem carnis negant.

XXI. Cerdoniani a Cerdone nominati, qui duo principia sibi adversantia dogmatizavit : Deumque Legis ac Prophetarum non esse patrem Christi, nec bonum Deum esse, sed justum ; patrem vero Christi bonum : Christumque ipsum neque natum ex fœmina, neque habuisse carnem ; nec vere mortuum vel quidquam passum, sed simulasse passionem. Quidam vero in duobus principiis suis duos deos ita eum dixisse perhibent, ut unus eorum esset bonus, alter autem malus. Resurrectionem mortuorum negat, spernens etiam Testamentum Vetus.

XXII. Marcion quoque, a quo Marcionitæ appellati sunt, Cerdonis secutus est dogmata de duobus principiis : quamvis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia, bonum, justum, pravum : sed Eusebius Sinerum quemdam, non Marcionem, trium principiorum atque naturarum scribit auctorem[1].

XXIII. Apellitæ sunt quorum Apelles est princeps, qui duos quidem deos introducit, unum bonum, alterum malum : non tamen in duobus diversis atque inter se adversis esse principiis ; sed unum esse principium, deum scilicet bonum ; et ab illo factum alterum : qui cum malignus esset, inventus est in sua mundum malignitate fecisse. Hunc Apellem dicunt quidam etiam de Christo tam falsa sensisse, ut diceret eum, non quidem carnem deposuisse de cœlo, sed ex elementis mundi accepisse, quam mundo reddidit, cum sine carne resurgens ascendit in cœlum.

XXIV. Severiani a Severo exorti, vinum non bibunt,

[1] Euseb. lib. v, cap. 13.

eo quod fabulosa vanitate de Satana et terra germinasse asserant vitem. Etiam ipsi non sanam doctrinam suam, quibus volunt, inflant nominibus principum, carnis resurrectionem cum Vetere Testamento respuentes.

XXV. Tatiani a Tatiano quodam instituti, qui et Encratitæ appellati sunt, nuptias damnant, atque omnino pares eas fornicationibus aliisque corruptionibus faciunt: nec recipiunt in suorum numerum conjugio utentem, sive marem, sive fœminam. Non vescuntur carnibus, easque omnes abominantur. Prolationes quasdam fabulosas sæculorum etiam isti sapiunt. Saluti primi hominis contradicunt. Epiphanius Tatianos et Encratitas ita discernit, ut Encratitas Tatiani schismaticos dicat.

XXVI. Cataphryges sunt quorum auctores fuerunt, Montanus tanquam paraclitus, et duæ prophetissæ ipsius, Prisca et Maximilla. His nomen provincia Phrygia dedit, quia ibi extiterunt, ibique vixerunt : et etiam nunc in eisdem partibus populos habent. Adventum Spiritus sancti a Domino promissum, in se potius quam in Apostolis fuisse asserunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent : et ideo dicunt eas pemisisse apostolum Paulum, quia ex parte sciebat, et ex parte prophetabat : nondum enim venerat quod perfectum est[1]. Hoc autem perfectum in Montanum et in ejus prophetissas venisse delirant. Sacramenta perhibentur habere funesta : nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes : qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre ; si autem vixerit, pro magno sacerdote.

XXVII. Pepuziani sive Quintilliani, a loco quodam nominati sunt, quam civitatem desertam dicit Epipha-

[1] 1 Cor. XIII, 9.

nius. Hanc autem isti divinum aliquid esse arbitrantes, Jerusalem vocant : tantum dantes mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim Quintillæ et Priscillæ in eadem civitate Pepuza Christum specie fœminæ revelatum : unde ab hac Quintilliani etiam nuncupantur. Faciunt et ipsi de sanguine infantis, quod Cataphryges facere supra diximus : nam et ab eis perhibentur exorti. Denique alii hanc Pepuzam non esse civitatem, sed villam dicunt fuisse Montani et prophetissarum ejus Priscæ et Maximillæ, et quia ibi vixerunt, ideo locum meruisse appellari Jerusalem.

XXVIII. Artotyritæ sunt, quibus oblatio eorum hoc nomen dedit : offerent enim panem et caseum, dicentes a primis hominibus oblationes de fructibus terræ et ovium fuisse celebratas. Hos Pepuzianis jungit Epiphanius.

XXIX. Tessarescædecatitæ hinc appellati sunt quod non nisi quarta decima luna Pascha celebrant, quilibet septem dierum occurrat dies ; et si dies Dominicus occurrerit, ipso die jejunant et vigilant.

XXX. Aloci propterea sic vocantur, tanquam sine verbo, (λόγος enim græce verbum dicitur,) quia Deum Verbum recipere noluerunt, Joannis Evangelium respuentes, cujus nec Apocalypsin accipiunt, has videlicet scripturas negantes esse ipsius.

XXXI. Adamiani ex Adam dicti, cujus imitantur in paradiso nuditatem, quæ fuit ante peccatum. Unde et nuptias aversantur : quia nec prius quam peccasset Adam, nec prius quam dimissus esset de paradiso, cognovit uxorem. Credunt ergo quod nuptiæ futuræ non fuissent, si nemo peccasset. Nudi itaque mares fœminæque conveniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant sacramenta, et ex hoc paradisum suam arbitrantur Ecclesiam.

XXXII. Elcesæos et Sampsæos hic tanquam ordine suo commemorat Epiphanius, quos dicit a quodam pseudopropheta esse deceptos, qui vocabatur Elci, ex cujus genere duas mulieres tanquam deas ab eis perhibet adoratas: cætera Ebionæis tenere similia.

XXXIII. Theodotiani a Theodoto quodam instituti, hominem tantummodo Christum asseverant. Quod dicitur idem Theodotus propterea docuisse, quia in persecutione lapsus isto modo se casus sui devitare putabat opprobrium, si non Deum negasse, sed hominem videretur.

XXXIV. Melchisedeciani, Melchisedech sacerdotem Dei excelsi, non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur.

XXXV. Bardesanistæ a quodam Bardesane, qui in doctrina Christi prius extitisse perhibetur insignis : sed postea, quamvis non per omnia, in Valentini hæresim lapsus est.

XXXVI. Noëtiani a quodam Noëto, qui dicebat Christum eumdem ipsum esse Patrem et Spiritum sanctum.

XXXVII. Valesii et se ipsos castrant, et hospites suos, hoc modo existimantes Deo se debere servire. Alia quoque hæretica docere dicuntur et turpia : sed quæ illa sint, nec ipse commoravit Epiphanius, nec uspiam potui reperire.

XXXVIII. Cathari, qui se ipsos isto nomine, quasi propter munditiam, superbissime atque odiosissime nominant, secundas nuptias non admittunt, pœnitentiam denegant, Novatum sectantes hæreticum : unde etiam Novatiani appellantur.

XXXIX. Angelici, in Angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius jam omnino defecisse testatur.

XL. Apostolici, qui se isto nomine arrogantissime vocaverunt, eo quod in suam communionem non reciperent utentes conjugibus et res proprias possidentes: quales ha-

bet Catholica et monachos et clericos plurimos. Sed ideo isti hæretici sunt, quoniam se ab Ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere, qui utuntur his rebus, quibus ipsi carent. Encratitis isti similes sunt : nam et Apotactitæ [1] appellantur. Sed et alia nescio quæ propria hæretica docere perhibentur.

XLI. Sabelliani ab illo Noëto, quem supra memoravimus, defluxisse dicuntur ; nam et discipulum ejus quidam perhibent fuisse Sabellium. Sed qua causa duas hæreses eas Epiphanius computet, nescio : cum fieri potuisse videamus, ut fuerit Sabellius iste famosior, et ideo ex illo celebrius hæc hæresis nomen acceperit. Noëtani enim difficile ab aliquo sciuntur : Sabelliani autem sunt in ore multorum. Nam et Praxeanos eos a Praxea quidam vocant ; et Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerunt : qui Praxeas et Hermogenes eadem sentientes, in Africa fuisse dicuntur. Nec tamen istæ plures sectæ sunt ; sed unius sectæ plura nomina, ex his hominibus qui in ea maxime innotuerunt : sicut Donatistæ, iidem Parmenianistæ ; sicut Pelagiani, iidem Cœlestiani. Unde ergo sit factum, ut Noëtianos et Sabellianos, non unius hæresis duo nomina, sed tanquam duas hæreses supradictus Epiphanius poneret, liquido invenire non potui : quia si quid inter se differunt, tam obscure dixit, studio forsitan brevitatis, ut non intelligam. Loco quippe isto, quo et nos, tam longe a Noëtianis Sabellianos commemorans : « Sa» belliani, inquit, similia Noëto dogmatizantes, præter » hoc quod dicunt Patrem non esse passum [2]. » Quomodo de Sabellianis intelligi potest, cum sic innotuerint dicere Patrem passum, ut Patripassiani quam Sabelliani crebrius nuncupentur? Aut si forte in eo quod ait : « Præter hoc » quod dicunt Patrem non esse passum, » Noëtianos hoc

[1] *Id est*, Renuntiatores. — [2] Epiph. in Anacephal.

dicere intelligi voluit, quis eos in hac ambiguitate discernat? Vel quomodo possunt intelligi quilibet eorum Patrem passum fuisse non dicere, cum dicant eumdem ipsum esse et Patrem et Filium et Spiritum sanctum? Philaster autem Brixianus episcopus in prolixissimo libro quem de hæresibus condidit, et CXXVIII hæreses arbitratus est computandas, Sabellianos continuo post Noëtianos ponens: « Sabellius, inquit, discipulus ejus, qui simili-» tudinem sui doctoris itidem secutus est, unde et Sa-» belliani postea sunt appellati, qui et Patripassiani, et » Praxeani a Praxea, et Hermogeniani ab Hermogene, » qui fuerunt in Africa, qui et ita sentientes abjecti sunt » ab Ecclesia catholica. » Certe iste eosdem postea Sabellianos dixit appellatos, qui ea quæ Noëtus sentiebant; et alia nomina ejusdem sectæ commemoravit : et tamen Noëtianos et Sabellianos sub duobus numeris tanquam duas hæreses posuit; quæ causa, ipse viderit.

XLII. Origeniani (7) a quodam Origene dicti sunt, non illo qui fere omnibus notus est, sed ab alio nescio quo, de quo vel sectatoribus ejus Epiphanius loquens : « Ori-» geniani, inquit, cujusdam Origenis, turpis autem sunt » operationis, isti sunt nefanda facientes, sua corpora » corruptioni tradentes. » Alios autem Origenianos eontinuo subjiciens :

XLIII. « Origeniani, inquit, alii, qui et Adamantii » tractatoris, qui et mortuorum resurrectionem repellunt : » Christum autem creaturam et Spiritum sanctum intro-» ducentes : paradisum autem et cœlos et alia omnia alle-» gorizantes. » Hæc quidem de Origene Epiphanius : sed qui eum defendunt, unius ejusdemque substantiæ esse dicunt docuisse Patrem et Filium et Spiritum sanctum : neque resurrectionem repulisse mortuorum : quamvis et in istis cum convincere studeant, qui ejus plura legerunt.

Sed sunt hujus Origenis alia dogmata, quæ catholica Ecclesia omnino non recipit ; in quibus nec ipsum falso arguit, nec potest ab ejus defensoribus falli : maxime de purgatione et liberatione, ac rursus post longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis universæ creaturæ. Quis enim catholicus Christianus vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat, eam quam dicit purgationem malorum, id est, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis et facinoribus et sacrilegiis atque impietatibus quamlibet maximis finierunt, ipsum etiam postremo diabolum atque angelos ejus, quamvis post longissima tempora, purgatos atque liberatos regno Dei lucique restitui, et rursus post longissima tempora omnes qui liberati sunt, ad hæcmala denuo relabi et reverti ; et has vices alternantes beatitudinum et miseriarum rationalis creaturæ semper fuisse, semper fore ? De qua vanissima impietate adversus philosophos, a quibus ista didicit Origenes, in libris[1] de Civitate Dei diligentissime disputavi.

XLIV. Pauliani a Paulo Samosateno, Christum non semper fuisse dicunt ; sed ejus initium, ex quo de Maria natus est, asseverant : nec eum aliquid amplius quam hominem putant. Ista hæresis aliquando cujusdam Artemonis fuit : sed cum defecisset, instaurata est a Paulo, et postea sic a Photino confirmata, ut Photiniani quam Pauliani celebrius nuncupentur. Istos sane Paulianos baptizandos esse in Ecclesia Nicæno concilio constitutum est. Unde credendum est eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici, cum de Catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.

XLV. Photinus ab Epiphanio non continuo post Paulum sive cum Paulo, sed aliis interpositis, ponitur. Non tacetur sane similia credidisse : secundum aliquid tamen

[1] In libro XXI.

adversatus ei dicitur; sed quid sit ipsum aliquid, omnino non dicitur. Philaster autem continuatim ponit ambos sub singulis et propriis numeris, quasi hæreses duas, cum dicat Photinum in omnibus Pauli secutum fuisse doctrinam.

XLVI. Manichæi a quodam Persa extiterunt, qui vocabatur Manes : quamvis et ipsum, cum ejus insana doctrina cœpisset in Græcia prædicari, Manichæum discipuli ejus appellare maluerunt, devitantes nomen insaniæ. Unde quidam eorum quasi doctiores, et eo ipso mendaciores, geminata *n* littera, Mannichæum vocant, quasi manna fundentem. Iste duo principia inter se diversa et adversa, eademque æterna et coæterna, hoc est semper fuisse, composuit : duasque naturas atque substantias, boni scilicet et mali, sequens alios antiquos hæreticos, opinatus est. Quarum inter se pugnam et commixtionem, et boni a malo purgationem, et boni quod purgari non poterit, cum malo in æternum damnationem, secundum sua dogmata asseverantes, multa fabulantur, quæ cuncta intexere huic Operi nimis longum est. Ex his autem suis fabulis vanis atque impiis coguntur dicere, animas bonas, quas censent ab animarum malarum naturæ scilicet contrariæ commixtione liberandas, ejus cujus Deus est esse naturæ. Proinde mundum a natura boni, hoc est, a natura Dei factum, confitentur quidem, sed de commixtione boni et mali, quæ facta est, quando inter se utraque natura pugnavit. Ipsam vero boni a malo purgationem ac liberationem, non solum per totum mundum et de omnibus ejus elementis virtutes Dei facere dicunt, verumetiam Electos suos per alimenta quæ sumunt. Et eis quippe alimentis, sicut universo mundo, Dei substantiam perhibent esse commixtam : quam purgari putant in Electis suis eo genere vitæ, quo vivunt Electi Manichæorum, velut sanctius et excellentius Auditoribus suis.

Nam his duabus professionibus, hoc est Electorum et Auditorum, ecclesiam suam constare voluerunt. In cæteris autem hominibus, etiam in ipsis Auditoribus suis, hanc partem bonæ divinæque substantiæ quæ mixta et colligata in escis et potibus detinetur, maximeque in eis qui generant filios, arctius et inquinatius colligari putant. Quidquid vero undique purgatur luminis, per quasdam naves, quas esse lunam et solem volunt, regno Dei, tanquam propriis sedibus reddi. Quas itidem naves de substantia Dei pura perhibent fabricatas. Lucemque istam corpoream animantium mortalium oculis adjacentem, non solum in his navibus, ubi eam purissimam credunt, verumetiam in aliis quibusque lucidis rebus, ubi secundum ipsos tenetur admixta, crediturque purganda, Dei dicunt esse naturam. Quinque enim elementa quæ genuerunt principes proprios, genti tribuunt tenebrarum : eaque elementa his nominibus nuncupant, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum. In fumo nata animalia bipedia, unde homines ducere originem censent ; in tenebris serpentia, in igne quadrupedia, in aquis natatilia, in vento volatilia. His quinque elementis malis debellandis alia quinque elementa de regno et substantia Dei missa esse, et in illa pugna fuisse permixta ; fumo aëra, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum. Naves autem illas, id est, duo cœli luminaria, ita distinguunt, ut lunam dicant factam ex bona aqua, solem vero ex igne bono. Esse autem in eis navibus sanctas virtutes, quæ se in masculos transfigurant, ut illiciant fœminas gentis adversæ, et rursus in fœminas, ut illiciant masculos ejusdem gentis adversæ, et per hanc illecebram commota eorum concupiscentia fugiat de illis lumen, quod membris suis permixtum tenebant, et purgandum suscipiatur ab Angelis lucis, purgatumque illis

navibus imponatur ad regna propria reportandum. Qua occasione, vel potius execrabilis superstitionis quadam necessitate, coguntur Electi eorum velut eucharistiam conspersam cum semine humano sumere, ut etiam inde, sicut de aliis cibis quos accipiunt, substantia illa divina purgetur. Sed hoc se facere negant, et alios nescio quos sub nomine Manichæorum facere affirmant. Detecti sunt tamen in ecclesia, sicut scis, apud Carthaginem[1], jam te ibi diacono constituto, quando instante Urso tribuno, qui tunc domui regiæ præfuit, aliqui adducti sunt : ubi puella nomine Margarita istam nefariam turpitudinem prodidit, quæ cum esset annorum nondum duodecim, propter hoc scelestum mysterium se dicebat esse vitiatam. Tunc Eusebiam quamdam Manichæam quasi sanctimonialem, idipsum propter hoc ipsum passam, vix compulit confiteri, cum primo illa se asseruisset integram, atque ab obstetrice inspici postulasset : quæ inspecta, et quid esset inventa, totum illud turpissimum scelus, ubi ad excipiendum et commiscendum concumbentium semen farina substernitur, (quod Margarita indicante absens non audierat,) similiter indicavit. Et recenti tempore nonnulli eorum reperti, et ad ecclesiam ducti, sicut Gesta episcopalia quæ nobis misistis ostendunt, hoc non sacramentum, sed execramentum, sub diligenti interrogatione confessi sunt : quorum unus nomine Viator, eos qui ista faciunt proprie Catharistas vocari dicens, cum alias ejusdem Manichææ sectæ partes in Mattarios, et specialiter Manichæos, distribui perhiberet, omnes tamen has tres formas ab uno auctore propagatas, et omnes generaliter Manichæos esse, negare non potuit. Et certe illi libri Manichæi sunt omnibus sine dubitatione communes, in quibus libris illa portenta ad illiciendos et per concupiscen-

[1] Vide Possid. in Vita S. August., cap. 16.

tiam dissolvendos utriusque sexus principes tenebrarum, ut liberata fugiat ab eis, quæ captivata tenebatur in eis divina substantia, de masculorum in fœminas et fœminarum in masculos transfiguratione conscripta sunt, unde ista, quam quilibet eorum negant ad se pertinere, turpitudo defluxit. Divinas enim virtutes, quantum possunt, imitari se putant, ut purgent Dei sui partem : quam profecto, sicut in omnibus corporibus cœlestibus et terrestribus, atque in omnium rerum seminibus, ita et in hominis semine teneri existimant inquinatam. Ac per hoc sequitur eos, ut sic eam etiam de semine humano, quemadmodum de aliis seminibus quæ in alimentis sumunt, debeant manducando purgare. Unde etiam Catharistæ appellantur, quasi purgatores, tanta eam purgantes diligentia, ut se nec ab hac tam horrenda cibi turpitudine abstineant. Nec vescuntur tamen carnibus, tanquam de mortuis vel occisis fugerit divina substantia, tantumque ac tale inde remanserit, quod jam dignum non sit in Electorum ventre purgari. Nec ova saltem sumunt, quasi et ipsa cum franguntur expirent, nec oporteat ullis mortuis corporibus vesci, et hoc solum vivat ex carne, quod farina ne moriatur excipitur. Sed nec alimonia lactis utuntur, quamvis de corpore animantis vivente mulgeatur sive fugatur : non quia putant divinæ substantiæ nihil ibi esse permixtum, sed quia sibi error ipse non constat. Nam et vinum non bibunt, dicentes fel esse principum tenebrarum ; cum vescantur uvis : nec musti aliquid, vel recentissimi, sorbent. Animas Auditorum suorum in Electos revolvi arbitrantur, aut feliciore compendio in escas Electorum suorum, ut jam inde purgatæ in nulla corpora revertantur. Cæteras autem animas et in pecora redire putant, et in omnia quæ radicibus fixa sunt atque aluntur in terra. Herbas enim atque arbores sic putant vivere, ut

vitam quæ illis inest, et sentire credant, et dolere, cum læduntur : nec aliquid inde sine cruciatu eorum quemquam posse vellere aut carpere. Propter quod, agrum etiam spinis purgare, nefas habent. Unde agriculturam, quæ omnium artium est innocentissima, tanquam plurium homicidiorum ream dementer accusant : suisque Auditoribus ideo hæc arbitrantur ignosci, quia præbent inde alimenta Electis suis ; ut divina illa substantia in eorum ventre purgata, impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda. Itaque ipsi Electi, nihil in agris operantes, nec poma carpentes, nec saltem folia ulla vellentes, expectant hæc afferri usibus suis ab Auditoribus suis, viventes de tot ac tantis secundum suam vanitatem homicidiis alienis. Monent etiam eosdem Auditores suos, ut si vescuntur carnibus, animalia non occidant, ne offendant principes tenebrarum in cœlestibus colligatos, a quibus omnem carnem dicunt originem ducere : et si utuntur conjugibus, conceptum tamen generationemque devitent, ne divina substantia quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole. Sic quippe in omnem carnem, id est, per escas et potus venire animas credunt. Unde nuptias sine dubitatione condemnant, et quantum in ipsis est, prohibent, quando generare prohibent, propter quod conjugia copulanda sunt. Adam et Evam ex parentibus principibus fumi asserunt natos : cum pater eorum nomine Saclas sociorum suorum fœtus omnium devorasset, et quidquid inde commixtum divinæ substantiæ cœperat, cum uxore concumbens in carne prolis tanquam tenacissimo vinculo colligasset. Christum autem fuisse affirmant, quem dicit nostra Scriptura serpentem, a quo illuminatos asserunt, ut cognitionis oculos aperirent, et bonum malumque dignoscerent : eumque Christum novissimis temporibus venisse, ad animas, non ad corpora

liberanda. Nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse, ubi non solum mortem, verumetiam resurrectionem similiter mentiretur. Deum qui Legem per Moysen dedit, et in Hebræis prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum. Ipsiusque Testamenti Novi Scripturas tanquam infalsatas ita legunt, ut quod volunt inde accipiant, quod nolunt rejiciant, eisque tanquam totum verum habentes nonnullas apocryphas anteponant. Promissionem Domini Jesu Christi de Paracleto Spiritu sancto in suo hæresiarcha Manichæo dicunt esse completam[1]. Unde se in suis litteris, Jesu Christi apostolum dicit, eo quod Jesus Christus se missurum esse promiserit atque in illo miserit Spiritum sanctum. Propter quod etiam ipse Manichæus duodecim discipulos habuit, ad instar apostolici numeri, quem numerum Manichæi hodieque custodiunt. Nam ex Electis suis habent duodecim, quos appellant magistros, et tertium-decimum principem ipsorum : episcopos autem septuaginta duos, qui ordinantur a magistris; et presbyteros, qui ordinantur ab episcopis. Habent etiam episcopi diaconos. Jam cæteri tantummodo Electi vocantur : sed mittuntur etiam ipsi qui videntur idonei, ad hunc errorem vel ubi est sustentandum et augendum, vel ubi non est etiam seminandum. Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre : nec quemquam eorum quos decipiunt, baptizandum putant. Orationes faciunt ad solem per diem, quaquaversum circuit : ad lunam per noctem, si apparet; si autem non apparet, ad Aquiloniam partem, qua sol cum occiderit ad Orientem revertitur, stant orantes. Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, sed substantiæ tribuunt gentis adversæ : quam dogmatizantes esse

[1] Joan. xvi, 7.

hominibus mixtam, omnem carnem non Dei, sed malæ mentis perhibent esse opificium, quæ a contrario principio Deo coæterna est. Carnalem concupiscentiam, qua caro concupiscit adversus spiritum [1], non ex vitiata in primo homine natura nobis inesse infirmitatem; sed substantiam volunt esse contrariam, sic nobis adhærentem, ut quando liberamur atque purgamur, separetur a nobis, et in sua natura etiam ipsa immortaliter vivat: easque duas animas, vel duas mentes, unam bonam, alteram malam, in uno homine inter se habere conflictum, quando caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Nec in nobis sanatum hoc vitium, sicuti nos dicimus, nunquam futurum: sed a nobis sejunctam atque seclusam substantiam istam mali, et finito isto sæculo post conflagrationem mundi in globo quodam, tanquam in carcere sempiterno, esse victuram. Cui globo affirmant accessurum semper et adhæsurum quasi coopertorium atque tectorium ex animabus, natura quidem bonis, sed tamen quæ non potuerint a naturæ malæ contagione mundari.

XLVII. Hieracitæ, quorum auctor Hieraca nuncupatur, resurrectionem carnis negant. Monachos tantum et monachas et conjugia non habentes in communionem recipiunt. Ad regnum cœlorum non pertinere parvulos dicunt, quia non sunt eis ulla merita certaminis, quo vitia superantur.

XLVIII. Meletiani a Meletio nuncupati, nolentes orare cum conversis, id est, eis qui in persecutione cecideruntt, schisma fecerunt. Nunc autem dicuntur Arianis esse conjuncti.

XLIX. Ariani ab Ario, in eo sunt notissimi errore, quo Patrem et Filium et Spiritum sanctum nolunt esse unius

[1] Gal. v, 17.

ejusdemque naturæ atque substantiæ, aut ut expressius dicatur, essentiæ, quæ οὐσία græce appellatur : sed esse Filium creaturam ; Spiritum vero sanctum creaturam creaturæ, hoc est, ab ipso Filio creatum volunt. In eo autem quod Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt : nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum. Sed hoc verum esse, et Epiphanius non tacuit, et ego ex eorum quibusdam scriptis et collocutionibus certissime comperi. Rebaptizari quoque ab his catholicos novimus, utrum et non catholicos, nescio.

L. Vadianos, quos appellat Epiphanius, et schismaticos, non hæreticos vult videri ; alii vocant Anthropomorphitas, quoniam Deum sibi fingunt cogitatione carnali in similitudinem hominis corruptibilis : quod rusticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis ne dicantur hæretici. Eos autem separasse se dicit a communione nostra, culpando episcopos divites, et Pascha cum Judæis celebrando. Quamvis sint qui eos in Ægypto Ecclesiæ catholicæ communicare asseverent. De Photinianis autem, quos isto loco Epiphanius commemorat, jam superius satis locutus sum.

LI. Semiarianos Epiphanius dicit, qui similis essentiæ[1] dicunt Filium, tanquam non plenos Arianos : quasi Ariani nec similem velint : cum hoc Eunomiani dicere celebrentur.

LII. Macedoniani sunt a Macedonio, quos et πνευματομάχους Græci dicunt, eo quod de Spiritu sancto litigent. Nam de Patre et Filio recte sentiunt, quod unius sint ejusdemque substantiæ vel essentiæ : sed de Spiritu sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes. Hos potius quidam Semiarianos vocant, quod in hac quæs-

[1] Ὁμοιουσίου.

tione ex parte cum illis sint, ex parte nobiscum. Quamvis a nonnullis perhibeantur, non Deum, sed deitatem Patris et Filii dicere Spiritum sanctum, et nullam propriam habere substantiam.

LIII. Aëriani ab Aërio quodam sunt, qui cum esset presbyter, doluisse fertur quod episcopus non potuit ordinari; et in Arianorum hæresim lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla, dicens offerri pro dormientibus non oportere: nec statuta solemniter celebranda esse jejunia, sed cum quisque voluerit jejunandum, ne videatur esse sub lege. Dicebat etiam presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni. Quidam perhibent istos, sicut Encratitas vel Apotactitas, non admittere ad communionem suam nisi continentes, et eos qui sæculo ita renuntiaverint, ut propria nulla possideant. Ab esca tamen carnium non eos abstinere dicit Epiphanius: Philaster vero et hanc eis tribuit abstinentiam.

LIV. Aëtiani ab Aëtio sunt vocati, iidemque Eunomiani ab Eunomio Aëtii discipulo, quo nomine magis innotuerunt. Eunomius quippe in dialectica prævalens, acutius et celebrius defendit hanc hæresim, dissimilem per omnia Patri asserens Filium, et Filio Spiritum sanctum. Fertur etiam usque adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuique obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus quæ ab illo docebatur fidei particeps esset.

LV. Apollinaristas Apollinaris instituit, qui de anima Christi a Catholica dissenserunt, dicentes, sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse. In qua quæstione testimoniis evangelicis victi, mentem, qua rationalis est anima hominis, defuisse animæ Christi, sed pro hac ipsum Verbum in eo fuisse dixerunt. De ipsa vero ejus carne sic a recta fide dissensisse perhibentur, ut di-

cerent carnem illam et Verbum unius ejusdemque substantiæ, contentiosissime asseverantes Verbum carnem factum, hoc est, Verbi aliquid in carnem fuisse conversum atque mutatum, non autem carnem de Mariæ carne fuisse susceptam.

LVI. Antidicomaritæ appellati sunt hæretici, qui Mariæ virginitati usque adeo contradicunt, ut affirment eam post Christum natum viro suo fuisse commixtam.

LVII. Postremam ponit Epiphanius Massilianorum hæresim : quod nomen ex lingua syra est. Græce autem dicuntur Εὐχῖται, ab orando sic appellati. Tantum enim orant, ut eis qui hoc de illis audiunt incredibile videatur. Nam cum Dominus dixerit : « Oportet semper orare, et » non deficere [1] ; » et Apostolus : « Sine intermissione » orate [2], » quod sanissime sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi : isti ita nimis hoc faciunt, ut hinc judicarentur inter hæreticos nominandi. Quamvis nonnulli eos dicant de purgatione animarum nescio quam phantasticam et ridiculam fabulam narrare, porcam scilicet cum porcellis videri exire de ore hominis quando purgatur, et in eum visibili similiter specie ignem qui non comburat intrare. His adjungit Epiphanius Euphemitas, Martyrianos, et Satanianos, et hos omnes cum illis tanquam unam hæresim ponit. Dicuntur Euchitæ opinari monachis non licere sustentando vitæ suæ causa aliquid operari, atque ita se ipsos monachos profiteri, ut omnino ab operibus vacent.

Usque ad istos ergo de hæresibus opus suum perduxit supradictus episcopus Cyprius, apud Græcos inter magnos habitus, et a multis in catholicæ fidei sanitate laudatus. Cujus ego in commemorandis hæreticis non modum, sed ordinem sum secutus. Nam et aliqua ex aliis posui quæ

[1] Luc. XVIII, 1. — [2] 1 Thess. V, 17.

ipse non posuit, et aliqua non posui quæ ipse posuit : itaque alia latius quam ipse, alia etiam brevius explicavi, paremque in nonnullis exhibui brevitatem, omnia moderans sicut intentionis meæ ratio postulabat. Proinde ille de octoginta hæresibus, separatis viginti, quas ante Domini adventum extitisse, sicut ei visum est, computavit, reliquas post Domini ascensum natas sexaginta, brevissimis libris quinque comprehendit, atque omnes sex libros totius ejusdem sui operis fecit. Ego autem, quia secundum petitionem tuam eas hæreses memorare institui, quæ post glorificationem Christi se adversus doctrinam Christi, etiam sub velamine Christiani nominis extulerunt, quinquaginta-septem ex Epiphanii ipsius Opere in meum transtuli, duas in unam referens, ubi nullam differentiam potui reperire : et rursus ubi ille ex duabus unam facere voluit, sub numeris suis singulas posui. Sed adhuc commemorare debeo, sive quas apud alios reperi, sive quas ipse reminiscor. Nunc ergo addo quas Philaster posuit, nec posuit Epiphanius.

LVIII. Metangismonitæ dici possunt, qui Metangismon asserunt, dicentes sic esse in Patre Filium, quomodo vas in vase, quasi duo corpora carnaliter opinantes; ita ut Filius intret in Patrem, tanquam vas minus in vas majus. Unde et tale nomen hic error accepit, ut μεταγγισμὸς græce diceretur : ἀγγεῖον quippe illa lingua vas dicitur : sed introitus unius vasis in alterum, latine uno nomine non potest dici, sicut græce potuit μεταγγισμὸς.

LIX. Seleuciani sunt vel Hermiani ab auctoribus Seleuco vel Hermia, qui elementorum materiam de qua factus est mundus, non a Deo factam dicunt, sed Deo coæternam. Nec animam Deo tribuunt creatori, sed creatores esse animarum Angelos volunt de igne et spiritu. Malum autem asserunt esse aliquando a Deo, aliquando

a materia. Negant Salvatorem in carne sedere ad dexteram Patris, sed ea se exuisse perhibent, eamque in sole posuisse, accipientes occasionem de Psalmo, ubi legitur: « In sole posuit tabernaculum suum[1]. » Negant etiam visibilem paradisum. Baptismum in aqua non accipiunt. Resurrectionem non putant futuram, sed quotidie fieri in generatione filiorum.

LX. Proclianitæ secuti sunt istos, et addiderunt Christum non in carne venisse.

LXI. Patriciani a Patricio nuncupati, substantiam carnis humanæ non a Deo, sed a diabolo conditam dicunt; eamque sic fugiendam et detestandam putant, ut quidam eorum perhibeantur etiam morte sibi illata carere carne voluisse.

LXII. Ascitæ ab utre appellati sunt: ἀσκὸς enim græce, latine uter dicitur: quem perhibentur inflatum et opertum circuire bacchantes, tanquam ipsi sint evangelici utres novi novo vino repleti.

LXIII. Passalorynchitæ in tantum silentio student, ut naribus et labiis suis digitum opponant, ne vel ipsam taciturnitatem voce præripiant, quando tacendum sibi esse arbitrantur; unde etiam illis est nomen inditum: πάσσαλος enim græce dicitur palus; et ῥύγχος nasus. Cur autem per palum digitum significare maluerint, a quibus hoc nomen compositum est, nescio: cum græce et dicatur digitus δάκτυλος, et possint utique Dactylorynchitæ multo evidentius nuncupari.

LXIV. Aquari ex hoc appellati sunt, quod aquam offerunt in poculo Sacramenti, non illud quod omnis Ecclesia.

LXV. Coluthiani a quodam Colutho, qui dicebat Deum

[1] Psal. xviii, 6.

non facere mala ; contra illud quod scriptum est : « Ego » Deus creans mala [1]. »

LXVI. Floriniani a Florino, qui e contrario dicebat Deum creasse mala : contra id quod scriptum est : « Fe- » cit Deus omnia, et ecce bona valde [2]. » Ac per hoc quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis Eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas justissimas irrogando, quod Coluthus non videbat : non autem malas creando naturas atque substantias, in quantum sunt naturæ atque substantiæ, ubi Florinus errabat.

LXVII. Hæresim quamdam sine auctore et sine nomine Philaster commemorat, quæ dicit hunc mundum etiam post resurrectionem mortuorum in eodem statu in quo nunc est esse mansurum, neque ita esse mutandum, ut sit cœlum novum et terra nova, sicut sancta Scriptura promittit [3].

LXVIII. Est alia hæresis nudis pedibus semper ambulantium, eo quod Dominus dixerit ad Moysen, vel ad Josuë ; « Solve calceamentum de pedibus tuis[4]. » Et quod propheta Isaïas nudis pedibus jussus fuerit ambulare [5]. Ideo ergo hæresis est, quia non propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia divina taliter intelligunt.

LXIX. Donatiani vel Donatistæ sunt, qui primum propter ordinatum contra suam voluntatem Cæcilianum Ecclesiæ Carthaginensis episcopum schisma fecerunt : objicientes ei crimina non probata, et maxime quod a traditoribus divinarum Scripturarum fuerit ordinatus. Sed post causam cum eo dictam atque finitam falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissensione firmata, in hæresim schisma verterunt : tanquam Ecclesia Christi propter cri-

[1] Isai. XLV, 7. — [2] Gen. I, 31. — [3] Isai. VI, 17, I Petr. III, 13, Apoc. XXI, 1. — [4] Exod. III, 5, et Josuë, V, 15. — [5] Isai. XX, 2.

mina Cæciliani, seu vera, seu quod magis judicibus apparuit, falsa, de toto terrarum orbe perierit, ubi futura promissa est, atque in Africana Donati parte remanserit, in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis extincta. Audent etiam rebaptizare Catholicos : ubi se amplius hæreticos esse firmarunt, cum Ecclesiæ catholicæ universæ placuerit, nec ipsis hæreticis baptisma commune rescindere. Hujus hæresis principem accipimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens, et contra Cæcilianum christianum dividens plebem, adjunctis sibi ejusdem factionis episcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit episcopum. Cui Majorino Donatus alius in eadem divisione successit, qui eloquentia sua sic confirmavit hanc hæresim, ut multi existiment propter ipsum potius eos Donatistas vocari. Extant scripta ejus, ubi apparet eum etiam non catholicam de Trinitate habuisse sententiam, sed quamvis ejusdem substantiæ, minorem tamen Patre Filium, et minorem Filio putasse Spiritum sanctum. Verum in hunc, quem de Trinitate habuit, ejus errorem Donatistarum multitudo intenta non fuit; nec facile in eis quisquam, qui hoc illum sensisse noverit, invenitur. Isti hæretici in urbe Roma Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solent episcopum mittere : aut hinc illuc Afri episcopi eorum pergere, si forte ibi eum ordinare placuisset. Ad hanc hæresim in Africa et illi pertinent, qui appellantur Circumcelliones, genus hominum agreste et famosissimæ audaciæ, non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insana feritate parcendo. Nam per mortes varias maximeque præcipitiorum et aquarum et ignium se ipsos necare consuerunt; et in istum furorem alios quos potuerint sexus utriusque seducere, aliquando ut occidantur ab aliis, mortem nisi fecerint comminantes. Verumtamen pleris-

que Donatistarum displicent tales, nec eorum communione contaminari se putant, qui christiano orbi terrarum dementer objiciunt ignotorum crimen Afrorum. Multa et inter ipsos facta sunt schismata ; et ab iis se diversis cœtibus alii atque alii separarunt, quorum separationem cætera grandis multitudo non sensit. Sed apud Carthaginem Maximianus contra Primianum ab ejusdem erroris centum ferme episcopi ordinatus, et a reliquis trecentis-decem, cum eis duodecim qui ordinationi ejus etiam præsentia corporali interfuerunt, atrocissima criminatione damnatus, compulit eos nosse etiam extra Ecclesiam dari posse baptimum Christi. Nam quosdam ex eis cum eis quos extra eorum Ecclesiam baptizaverant, in suis honoribus sine ulla in quoquam repetitione baptismatis receperunt, nec eos ut corrigerent per publicas potestates agere destiterunt, nec eorum criminibus per sui Concilii sententiam vehementer exaggeratis communionem suam contaminare timuerunt.

LXX. Priscillianistæ, quos in Hispania Priscillianus instituit, maxime Gnosticorum et Manichæorum dogmata permixta sectantur. Quamvis et ex aliis hæresibus in eos sordes, tanquam in sentinam quamdam horribili confusione confluxerint. Propter occultandas autem contaminationes et turpitudines suas habent in suis dogmatibus et hæc verba : « Jura, perjura, secretum prodere noli. » Hi animas dicunt ejusdem naturæ atque substantiæ, cujus est Deus, ad agonem quemdam spontaneum in terris exercendum, per septem cœlos et per quosdam gradatim descendere principatus, et in malignum principem incurrere, a quo istum mundum factum volunt, atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari. Astruunt etiam fatalibus stellis homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa cœli esse compositum, sicut hi

qui Mathematici vulgo appellantur, constituentes in capite Arietem, Taurum in cervice, Geminos in humeris. Cancrum in pectore, et cætera nominatim signa percurrentes, ad plantas usque perveniunt, quas Piscibus tribuunt, quod ultimum signum ab astrologis nuncupatur. Hæc et alia fabulosa, vana, sacrilega, quæ persequi longum est, hæresis ista contexit. Carnes tanquam immundas escas etiam ipsa devitat : conjuges, quibus hoc malum potuerit persuadere, disjungens, et viros a nolentibus fœminis, et fœminas a nolentibus viris. Opificium quippe omnis carnis non Deo bono et vero, sed malignis angelis tribuunt : hoc versutiores etiam Manichæis quod nihil Scripturarum canonicarum repudiant, simul cum Apocryphis legentes omnia et in auctoritatem sumentes, sed in suos sensus allegorizando vertentes quidquid in sanctis Libris est quod eorum evertat errorem. De Christo Sabellianam sectam tenent, eumdem ipsum esse dicentes non solum Filium, sed etiam Patrem et Spiritum sanctum.

LXXI. Dicit Philaster esse alios hæreticos, qui cum hominibus non sumunt escas : sed utrum cum aliis qui ejusdem sectæ non sunt, an etiam inter se ipsos id faciant, non exprimit. Dicit etiam eos de Patre et Filio recte, de Spiritu autem sancto non catholice sapere, quod eum opinentur esse creaturam.

LXXII. A Rhetorio quodam exortam hæresim dicit nimium mirabilis vanitatis, quæ omnes hæreticos recte ambulare, et vera dicere affirmat : quod ita est absurdum, ut mihi incredibile videatur.

LXXIII. Alia est hæresis, quæ dicit in Christo Divinitatem doluisse, cum figeretur caro ejus in cruce.

LXXIV. Est alia, quæ triformem sic asserit Deum, ut quædam pars ejus sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus, hoc est, quod Dei unius partes sint, quæ

istam faciunt Trinitatem : velut ex his tribus partibus compleatur Deus, nec sit perfectus in se ipso, vel Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus.

LXXV. Alia est, quæ dicit aquam non a Deo creatam, sed ei semper fuisse coæternam.

LXXVI. Alia dicit corpus hominis, non animam, esse imaginem Dei.

LXXVII. Alia dicit esse innumerabiles mundos, sicut opinati sunt quidam philosophi gentium.

LXXVIII. Alia sceleratorum animas converti in dæmones dicit, et in quæque animalia suis meritis congrua.

LXXIX. Alia, descendente ad inferos Christo credidisse incredulos, et omnes exinde existimat liberatos.

LXXX. Alia, sempiterne natum non intelligens Filium, putat illam nativitatem sumpsisse a tempore initium : et tamen volens coæternum Patri Filium confiteri, apud illum fuisse antequam de illo nasceretur existimat ; hoc est, semper eum fuisse, verumtamen semper eum Filium non fuisse, sed ex quo de illo natus est Filium esse cœpisse. Has hæreses putavi in hoc Opus meum de Philastri Opere transferendas. Et alias quidem ipse commemorat, sed mihi appellandæ hæreses non videntur. Quascumque autem sine nominibus posui, nec ipse earum nomina memoravit.

LXXXI. Luciferianos a Lucifero Caralitano episcopo exortos, et celebriter nominatos, nec Epiphanius, nec Philaster inter hæreticos posuit : credo tantummodo schisma, non hæresim eos condidisse, credentes. Apud quemdam tamen, cujus nomen in eodem ejus Opusculo non inveni, in hæreticis Luciferianos positos legi per hæc verba : « Luciferiani, inquit, cum teneant in omnibus ca-
» tholicam veritatem, in hunc errorem stultissimum pro-
» labuntur, ut animam dicant ex transfusione generari ;

» eademque dicunt et de carne et de carnis esse substan-
» tia. » Utrum ergo iste propter hoc quod de anima ita sentiunt, (si tamen vere ita sentiunt,) eos inter hæreticos ponendos esse crediderit, recteque crediderit; an etiam si id non sentirent, sive non sentiunt, ideo tamen sint hæretici, quia dissensionem suam pertinaci animositate firmarunt, alia quæstio est, neque hoc loco mihi videtur esse tractanda.

LXXXII. Jovinianistas quoque apud istum reperi, quos jam noveram. A Joviniano quodam monacho ista hæresis orta est ætate nostra, cum adhuc juvenes essemus. Hic omnia peccata, sicut stoïci philosophi, paria esse dicebat, nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliquid prodesse jejunia, vel a cibis aliquibus abstinentiam. Virginitatem Mariæ destruebat, dicens eam pariendo fuisse corruptam. Virginitatem etiam sanctimonialium, et continentiam sexus virilis in sanctis eligentibus cœlibem vitam, conjugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat : ita ut quædam virgines sacræ provectæ jam ætatis in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur. Non sane ipse vel habebat vel habere volebat uxorem : quod non propter aliquod apud Deum majus meritum in regno vitæ perpetuæ profuturum, sed propter præsentem prodesse necessitatem, hoc est, ne homo conjugales patiatur molestias disputabat. Cito tamen ista hæresis oppressa et extincta est, nec usque ad deceptionem aliquorum sacerdotum potuit pervenire.

LXXXIII. Cum Eusebii historiam scrutatus essem, cui Rufinus a se in latinam linguam translatæ subsequentium etiam temporum duos libros addidit, non inveni aliquam hæresim, quam non legerim apud istos, nisi quam in sexto libro ponit Eusebius, narrans eam extitisse in Arabia [1].

[1] Euseb. lib. VI, cap. 37.

Itaque hos hæreticos, quoniam nullum eorum ponit auctorem, Arabicos possumus nuncupare : qui dixerunt animas cum corporibus mori atque dissolvi, et in fine sæculi utrumque resurgere. Sed hos disputatione Origenis præsentis et eos alloquentis, celerrime dicit fuisse correctos. Jam nunc illæ commemorandæ sunt hæreses, quæ a nobis non apud istos repertæ sunt, sed in recordationem nostram quomodocumque venerunt.

LXXXIV. Helvidiani exorti ab Helvidio, ita virginitati Mariæ contradicunt, ut eam post Christum alios etiam filios de viro suo Joseph peperisse contendant. Sed mirum ni istos, prætermisso Helvidii nomine, Antidicomaritas Epiphanius appellavit.

LXXXV. Paterniani inferiores partes humani corporis non a Deo, sed a diabolo factas opinantur, et omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes impurissime vivunt. Hos etiam Venustianos quidam vocant.

LXXXVI. Tertullianistæ a Tertulliano, cujus multa leguntur Opuscula eloquentissime scripta, usque ad nostrum tempus paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt in urbe Carthaginensi : me autem ibi posito ante aliquot annos, quod etiam te meminisse arbitror, omni ex parte consumpti sunt. Paucissimi enim qui remanserant, in Catholicam transierunt, suamque basilicam, quæ nunc etiam notissima est, Catholicæ tradiderunt. Tertullianus ergo sicut scripta ejus indicant, animam dicit immortalem quidem, sed eam corpus esse contendit : neque hanc tantum, sed ipsum etiam Deum. Nec tamen hinc hæreticus dicitur factus. Posset enim quoquo modo putari ipsam naturam substantiamque divinam corpus vocare; non tale corpus cujus partes aliæ majores, aliæ minores valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia quæ proprie dicimus corpora ; quamvis de anima tale aliquid

sentiat : sed potuit, ut dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed ubique totus, et per locorum spatia nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet. Non ergo ideo est Tertullianus factus hæreticus ; sed quia transiens ad Cataphrygas, quos ante destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias contra apostolicam doctrinam tanquam stupra damnare [1], et postmodum etiam ab ipsis divisus, sua conventicula propagavit. Dicit sane etiam ipse animas hominum pessimas post mortem in dæmones verti.

LXXXVII. Est quædam hæresis rusticana in campo nostro, id est, Hipponensi, vel potius fuit : paulatim enim diminuta, in una exigua villa remanserat, in qua quidem paucissimi, sed omnes hoc fuerunt, qui omnes modo correcti et Catholici facti sunt, nec aliquis illius supersedit erroris. Abelonii vocabantur, punica declinatione nominis. Hos nonnulli dicunt ex filio Adæ fuisse nominatos, qui est vocatus Abel : unde Abelianos vel Abeloïtas eos nos possumus dicere. Non miscebantur uxoribus, et eis tamen sine uxoribus vivere sectæ ipsius dogmate non licebat. Mas ergo et fœmina sub continentiæ professione simul habitantes puerum et puellam sibi adoptabant in ejusdem conjunctionis pacto successores suos futuros. Morte præventis quibusque singulis alii subrogantur : dum tamen duo duobus disparis sexus in illius domus societate succederent. Utrolibet quippe parente defuncto, uno remanenti, usque ad ejus quoque obitum filii serviebant. Post cujus mortem etiam ipsi puerum et puellam similiter adoptabant. Nec unquam eis defuit unde adoptarent, generantibus circumquaque vicinis, et filios suos inopes ad spem hæreditatis alienæ libenter dantibus.

[1] Tim. IV, 3.

LXXXVIII. Pelagianorum est hæresis, hoc tempore omnium recentissima a Pelagio monacho exorta. Quem magistrum Cœlestius sic secutus est, ut sectatores eorum Cœlestiani etiam nuncupentur. Hi Dei gratiæ, qua prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, et qua eruimur de potestate tenebrarum [1], ut in eum credamus atque in regnum ipsius transferamur, propter quod ait : « Nemo venit ad me, nisi fuerit ei da» tum a Patre meo [2], » et qua diffunditur charitas in cordibus nostris [3], ut fides per dilectionem operetur [4], in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata : cum si hoc verum esset, frustra Dominus dixisse videretur : « Sine me nihil potes» tis facere [5]. » Denique Pelagius a fratribus increpatus, quod nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Dicendo utique ut facilius possint, voluit credi, etiam si difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa divina. Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantum ipso adjuvante per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere, et quæ sperare debeamus, non autem ad hoc per donum Spiritus sui, ut quæ didicerimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc divinitus nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur : charitatem autem dari negant, qua pie vivitur : ut scilicet cum sit Dei donum

[1] Ephes. I, 5, et Coloss. I, 23. — [2] Joan. VI, 65. — [3] Rom. V, 5. — [4] Gal. V, 6. — [5] Joan. XV, 5.

scientia quæ sine charitate inflat, non sit Dei donum ipsa charitas, quæ ut scientia non inflet, ædificat[1]. » Destruunt etiam orationes, quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus et doctrinæ Dei resistentibus, ut convertantur ad Deum, sive pro fidelibus, ut augeatur in eis fides, et perseverent in ea. Hæc quippe non ab ipso accipere, sed a se ipsis homines habere contendunt, gratiam Dei qua liberamur ab impietate dicentes secundum merita nostra dari. Quod quidem Pelagius in episcopali judicio Palæstino damnari metuens, damnare compulsus est ; sed in posterioribus suis scriptis hoc invenitur docere. In id etiam progrediuntur, ut dicant vitam justorum in hoc sæculo nullum omnino habere peccatum, et ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula et ruga[2], quasi non sit Christi Ecclesia, quæ toto terrarum orbe clamat ad Deum : « Dimitte nobis debita » nostra[3].» Parvulos etiam negant, secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere. Sic enim eos sine ullo peccati originalis vinculo asserunt nasci ut prorsus non sit quod eis oporteat secunda nativitate dimitti : sed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Nam etiam si non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam et beatam quamdam vitam suam. Ipsum quoque Adam dicunt, etiam si non peccasset, fuisse corpore moriturum, neque ita mortuum merito culpæ, sed conditione naturæ. Objiciuntur eis et alia nonnulla, sed ista sunt maxime, ex quibus intelliguntur etiam illa vel cuncta, vel pene cuncta pendere.

Ecce quam multas commemoravimus hæreses, nec ta-

[1] 1 Cor. VIII, 1. — [2] Ephes. V, 27. — [3] Matth. VI, 12.

men modum tuæ postulationis implevimus. Ex quo enim christiana religio, ut verbis tuis utar, hæreditatis promissæ nomen accepit, quæ hæreses ortæ sint, quomodo commemorare omnes potui, qui omnes nosse non potui? Quod ideo existimo, quia nullus eorum quorum de hac rescripta legi, omnes posuit : quandoquidem inveni apud alium, quas apud alium non inveni ; et rursus apud istum, quas ille non posuit. Ego autem propterea plures quam ipsi posui, quia collegi ex omnibus, quas omnes apud singulos non inveni, additis etiam quas ipse recolens apud ullum illorum invenire non potui. Unde merito credo nec me posuisse omnes ; quia nec omnes qui de hac re scripserunt, legere potui, neque hoc quemquam eorum video fecisse quos legi. Postremo etiamsi omnes forsitan posui, quod non puto, utrum omnes sint utique nescio. Et ideo quod vis me loquente finiri non saltem potest me cognoscente comprehendi. Audivi scripsisse de hæresibus sanctum Hieronymum, sed ipsum ejus Opusculum nec in nostra bibliotheca invenire potuimus, nec unde possit accipi, scimus. Quod si tu scieris, perveni ad illud, et forte habebis melius aliquid quam hoc nostrum : quamvis nec ipsum, licet hominem doctissimum, omnes hæreses arbitrer indagare potuisse. Et certe Abeloïtas nostræ regionis hæreticos, quantum existimo, ille nescivit : sic forte et alibi alios in obscurissimis locis reconditos, ejus notitiam ipsa locorum suorum obscuritate fugientes.

Jamvero illud quod habent tuæ litteræ, ut omnia omnino dicamus, quibus hæretici a veritate dissentiunt, etiam si omnia scirem, facere non possem ; quanto minus possum, qui omnia scire non possum ? Sunt enim hæretici, quod fatendum est, qui singulis, vel non multo amplius, dogmatibus oppugnant regulam veritatis : sicut Macedoniani vel Photiniani, atque alii quicumque ita se

habent. Illi autem, ut ita dixerim, fabulones, id est, qui fabulas vanas easdemque longas perplexasque contexunt, tam multis falsis dogmatibus pleni sunt, ut ipsi quoque illa numerare non possint, aut difficillime possint. Nec ulli alieno ulla hæresis facile sic innotescit, ut suis : unde nec earum, quas commemoravi, omnia dogmata me dixisse vel didicisse profiteor. Quis enim non videat quantam res ista operam et quam multas litteras flagitet? Nec ideo tamen parum prodest errores istos, quos huic Operi intexui, lectos cognitosque vitare. Quid enim contra ista sentiat catholica Ecclesia, quod a me dicendum putasti, superfluo quæritur : cum propter hoc scire sufficiat eam contra ista sentire, nec aliquid horum in fidem quemquam debere recipere. Quomodo autem quæ contra hæc veritas habet, asserenda ac defendenda sint, modulum Operis hujus excedit. Sed multum adjuvat cor fidele, nosse quid credendum non sit, etiam si disputandi facultate id refutare non possit. Omnis itaque Christianus catholicus ista non debet credere ; sed non omnis qui ista non credit, consequenter debet se Christianum catholicum jam putare vel dicere. Possunt enim et hæreses aliæ, quæ in hoc Opere nostro commemoratæ non sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquam quisquis tenuerit, Christianus catholicus non erit. Quid ergo faciat hæreticum, deinceps requirendum est : ut cum hoc Domino adjuvante vitamus, non solum ea quæ scimus, verumetiam quæ nescimus, sive quæ jam orta sunt, sive quæ adhuc oriri poterunt, hæretica venena vitemus. Hujus autem sit jam voluminis finis, quod propterea vobis, antequam totum hoc Opus perficerem, credidi esse mittendum, ut illud quicumque legeritis, ad id quod restat implendum, quod tam magnum esse cernitis, me orationibus adjuvetis (8).

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

ADVERSUS JUDÆOS.

TRACTATUS UNUS.

I. Beatus apostolus Paulus [1], doctor gentium in fide et veritate, exhortans nos ut in eadem fide, cujus idoneus minister effectus est, stabiles firmique maneamus, præcepto admonet, terret exemplo. « Vides, inquit, bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, » severitatem ; in te autem bonitatem, si permanseris in » bonitate [2]. » Hoc dixit utique de Judæis, qui tanquam rami ex illa olea, quæ in sanctis Patriarchis tanquam in radice fructifera, propter infidelitatem fracti sunt, ut gentium propter fidem insereretur oleaster ; et fieret particeps pinguedinis oleæ, ramis naturalibus amputatis. « Sed noli, inquit, gloriari adversum ramos : nam si glo- » riaris, non tu radicem portas, sed radix te. » Et quoniam salvantur aliqui ex illis, continuo subjunxit : « Alioquin et tu excideris. Sed et illi si non permanse- » rint in infidelitate, inserentur ; potens est enim Deus » iterum inserere eos [3]. » Illi autem qui permanent in infidelitate, ad illam sententiam Domini pertinent, ubi

[1] Vide. D. Guillon. tom. XXII, pag. 78-80. — [2] Rom. XI, 22, et Beda, seu Florus, ibid. — [3] Ibid. XVIII, 23.

ait : « Filii autem regni hujus ibunt in tenebras exterio-» res : ibi erit fletus et stridor dentium [1]. » Gentes autem permanentes in bonitate ad illud, quod superius ait : « Multi » ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum » Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum [2]. » Itaque illis Patriarchis in radice viventibus, et infidelis superbia naturalium ramorum justa Dei severitate confringitur, et fidelis humilitas oleastri gratia divinæ bonitatis inseritur.

II. Sed quando Judæis ista dicuntur, Evangelium Apostolumque contemnunt, et quod dicimus non audiunt ; quoniam quod legunt, non intelligunt. Nam utique si intelligerent de quo prædixerit Propheta, quem legunt : « Dedi te in lucem gentium, ita ut sis salus mea » usque in fines terræ [3] ; » non sic cæci essent, non sic ægroti, ut in Domino Christo nec lucem agnoscerent, nec salutem. Item si intelligerent, quod infructuose atque inaniter cantant, de quibus sit prænuntiatum : « In om-» nem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ » verba eorum [4], » ad sonum Apostolorum evigilarent, et verba eorum divina esse sentirent. De sanctis ego Scripturis, quarum et apud ipsos magna habetur auctoritas, sumenda sunt testimonia, quorum et si nolint oblata utilitate sanari, aperta possint veritate convinci.

III. Sed primo eorum ille redarguendus est error, quo putant ad nos ideo non pertinere Instrumenti veteris libros, quia jam non vetera, sed nova sacramenta servamus. Dicunt enim nobis : Quid apud vos facit lectio Legis et Prophetarum, cujus præcepta servare non vultis [5] ? Eo quod carnem præputii non circumcidimus masculinam, et vescimur carnibus quas Lex dicit immundas, nec sab-

[1] Matth. VIII, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Isai. XLIX, 6. — [4] Psal. XVIII, 5. — [5] Beda, seu Florus, ad Coloss. II.

bata et neomenias et dies festos eorum carnaliter observamus, nec victimis pecorum sacrificamus Deo, nec Pascha in ove et azymis similiter celebramus : et si qua alia vetera sacramenta generali vocabulo umbras futurorum appellat Apostolus, quia ea significabant suo tempore revelanda, quæ nos revelata suscepimus [1], ut remota umbra nuda eorum luce frueremur. De quibus singillatim nimis longum est disputare, quemadmodum exuendo veterem hominem circumcidimur, non in expoliatione corporis carnis; et quos cibos vitant in pecoribus, vitamus in moribus; et exhibemus corpora nostra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, cui et animas nostras in desideriis sanctis pro sanguine intelligenter effundimus, et Christi velut agni immaculati sanguine ab omni iniquitate mundamur. Qui propter similitudinem carnis peccati etiam caprino pecore in veteribus sacrificiis figuratur : nec eum negat in crucis cornibus taurum, qui in illo agnoscit maximam victimam. In illo requiem cum invenimus, vere sabbatizamus : et lunæ novæ observatio, vitæ novæ est sanctificatio. Et Pascha nostrum Christus est; et azyma nostrum sinceritas veritatis, fermentum non habens vetustatis : et si qua alia sunt, in quibus nunc immorari opus non est, quæ illis veteribus adumbrata sunt signis, in illo habent finem, cujus regni non erit finis. In illo quippe omnia oportebat impleri, qui venit Legem et Prophetas non solvere, sed implere [2].

IV. Proinde illa vetera signa rerum non evacuavit arguendo, sed implendo mutavit : ut alia essent quæ nuntiarent venisse jam Christum, qua fuerant illa quæ prænuntiabant esse venturum. Quid sibi autem vult, quod sic prænotantur quidam Psalmi, quos et ipsi legunt et habent in Litterarum auctoritate sanctarum, ut in eorum

[1] Coloss. II, 17. — [2] Matth. VII, 17.

titulis scriptum sit : « Pro iis quæ immutabuntur ; » textus vero eorumdem Psalmorum prædicat Christum : nisi quia eorum mutatio per illum futura prædicta est, per quem apparet impleta : ut populus Dei, qui nunc est populus christianus, jam non cogatur observare quæ propheticis temporibus observabantur, non quia damnata, sed quia mutata sunt : non ut res ipsæ quæ significabantur perirent, sed ut rerum signa suis quæque temporibus convenirent.

V. Denique in Psalmo quadragesimo-quarto, (nam ipse primus est eorum qui hujusmodi titulum præferunt : « Pro » iis quæ immutabuntur : » ubi etiam legitur : « Canti- » cum pro dilecto [1] : ») apertissime Christus ostenditur : « Speciosus forma præ filiis hominum [2]. Qui cum in forma » Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis » Deo [3]. » Ibi ei dicitur : « Accingere gladium tuum juxta » femur [4] : » quod in carne esset hominibus locuturus. Per gladium quippe sermo, per femur caro significatur : quia « Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens [5] ; » ut ille per Divinitatem « Speciosus forma præ filiis homi- » num, » etiam illud fieret per infirmitatem, quod de illo alius Propheta : « Vidimus eum, et non habebat spe- » ciem, neque decorem : sed vultus ejus abjectus, et de- » formis positio ejus [6]. » Nam in eodem Psalmo, quo non tantum homo, sed etiam Deus sit Christus, apertissime ostenditur, cum subditur : « Thronus tuus, Deus, in sæ- » culum sæculi, virga æquitatis virga regni tui [7]. Dilexisti » justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te, » Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus » tuis [8]. » Ab unctione quippe, quod græce χρίσμα dicitur, Christus est appellatus : ipse est Deus unctus a Deo,

[1] Psal. XLIV, 1. — [2] Ibid. 3. — [3] Philip. II, 6. — [4] Psal. XLIV, 4. — [5] Philip. II, 6. — [6] Isai. LIII, 1. — [7] Id. XLV, 7 et 8. — [8] Psal. XLIV, 8.

qui et ipsam cum cæteris sacramentis carnalem in spiritalem mutavit unctionem. Ibi ei de Ecclesia dicitur : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circum» amicta varietate [1]. » Ubi significatur linguarum varietas in omnibus gentibus : quarum tamen una et simplex fides est intus : « Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinse» cus [2]. » Quam Psalmus alloquitur dicens : « Audi, filia, » et vide : » audi promissum, vide completum. « Et » obliviscere populum tuum et domum patris tui. Sic nova implentur, sic vetera commutantur. « Quoniam concupi» vit rex speciem tuam [3]. » Speciem quam fecit ipse per se, non invenit in te. Quomodo enim speciosa esses ejus oculis, quando eras tuis fœdata peccatis? Ne tamen spem tuam arbitreris ponendam in homine, sequitur, et dicit : « Quoniam ipse est Dominus Deus tuus. » Ne formam servi spernas, ne potentis infirmitatem excelsique humilitatem derideas : « Ipse est Deus tuus. » In eo quod parvus apparet, magnus latet; in umbra mortis sol justitiæ, in contumelia crucis Dominus gloriæ. Quamvis eum persecutores necent, infideles negent : « Ipse est Dominus » Deus tuus : » per cujus corpus immutantur, quæ antea per umbras figurabantur.

VI. Psalmus quoque sexagesimus-octavus habet in titulo : « Pro iis quæ commutabuntur. » Et cantatur ibi passio Domini nostri Jesu Christi, transfigurantis in se quasdam etiam voces membrorum, hoc est, fidelium suorum. Non enim ipse ulla delicta habuit, sed nostra portavit, unde dicit : « Et delicta mea a te non sunt absconi» dita [5]. » Ibi scriptum est et prænuntiatum, quod in Evangelio legimus factum : « Dederunt in escam meam » fel, et in siti mea potaverunt me aceto [6]. » Per hunc

[1] Psal. XLIV, 10. — [2] Ibid. 14. — [3] Ibid. 14. — [4] Ibid. 11, 12. — [5] Psal. LXVIII, 6. — [6] Matth. XXVII, 34 et 48. Joan. XIX, 29, et Psal. LXVIII, 22.

ergo immutata sunt vetera, quæ titulus Psalmi prædixerat immutanda. Quod Judæi legentes et non intelligentes, aliquid se dicere existimant, cum requirunt a nobis quomodo accipiamus auctoritatem Legis et Prophetarum, cum sacramenta non observemus quæ ibi præcepta sunt. Non observamus, quia mutata sunt : mutata sunt autem, quia mutanda prænuntiata sunt : et in eum credimus, cujus revelatione mutata sunt. Non ergo observamus sacramenta, quæ ibi præcepta sunt, quia intelligimus quæ ibi prædicta sunt, et tenemus quæ ibi promissa sunt. Isti autem qui hæc nobis objiciunt, adhuc amari sunt ex parentibus suis, qui dederunt in escam Domino fel, et adhuc veteres ex aceto quod ei potandum obtulerunt : et ideo non intelligunt, quia in eis impletur quod sequitur : « Fiat mensa eorum » coram ipsis in muscipulam, et retributionem, et scan» dalum [1]. » Ipsi enim fellei et acidi facti sunt, felleas et acidas escas pani vivo ministrando. Quomodo enim hæc videant, de quibus ibi prædictum est : « Excæcentur oculi » eorum, ne videant. » Et quomodo sint recti, ut sursum cor habeant, de quibus prædictum est : « Et deor» sum eorum semper incurva [2]? » Nec de omnibus hæc dicta sunt : imo vero de omnibus ad quos pertinet quæ prædicta sunt. Ad eos enim qui vel tunc ex illis credidederunt in Christum, vel nunc usque credunt, vel deinceps usque in finem sæculi credituri sunt, ista non pertinent ad verum Israël, scilicet qui videbit Dominum facie ad faciem. « Neque enim omnes qui ex Israël sunt, hi Israël » sunt : neque qui sunt semen Abraham, omnes filii » sunt, sed in Isaac, inquit, vocabitur tibi semen : hoc » est, non ii qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promis» sionis deputantur in semen [3]. » Sed hi pertinent ad spi-

[1] Psal. LXVIII, 23. — [2] Ibid. 24. — [3] Rom. IX, 6.

ritalem Sion et civitates Judæ, id est, Ecclesias : de quibus Apostolus dicit : « Eram autem ignotus facie Ecclesiis » Judææ quæ sunt in Christo [1]. » Quoniam, sicut in eodem Psalmo paulo post ponitur : « Deus salvam faciet » Sion, et ædificabuntur civitates Judæ. Et inhabitabunt » eam, et hæreditate acquirent eam. Et semen servorum » ejus possidebunt eam, et qui diligunt nomen ejus, in» habitabunt in ea [2]. » Sed cum hæc audiunt Judæi, carnaliter accipiunt, et terrenam Jerusalem cogitant, quæ servit cum filiis suis : non matrem nostram æternam in cœlis [3].

VII. Item Psalmus septuagesimus-nonus simili titulo prænotatur : « Pro iis quæ immutabuntur. » In quo Psalmo inter cætera scriptum est : « Respice de cœlo, et vide, et » visita vineam istam : et perfice eam quam plantavit dex» tera tua, et super filium hominis, quem confirmasti » tibi [4]. » Ipsa est enim vinea de qua dicitur : « Vineam ex » Ægypto transtulisti. » Non enim Christus aliam plantavit : sed ipsam, veniendo, in melius commutavit. Sic et in Evangelio legitur : « Malos male perdet, et vineam » suam locabit aliis agricolis [5]. » Non enim ait : Eradicabit, aliamque plantabit : sed eamdem ipsam locabit aliis agricolis. Eadem namque est sanctorum societate Civitas Dei et congregatio filiorum promissionis, mortalium decessione ac successione complenda, atque in fine sæculi simul in omnibus immortalitatem debitam receptura : quæ alio modo in alio Psalmo per olivam fructiferam significatur, et dicit : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo » Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæ» culum sæculi [6]. » Neque quia fracti sunt infideles et superbi, ac per hoc infructuosi rami, ut insereretur oleaster

[1] Gal. I, 22. — [2] Psal. LXVIII, 36 et 37. — [3] Gal. IV, 25. — [4] Psal. LXXIX, 9 et XV, 16. — [5] Matth. XXI, 41. — [6] Psal. LI, 10.

gentium, ideo perire potuit radix Patriarcharum et Prophetarum. « Quia etsi fuerit, inquit Isaïas, numerus filiorum Israël sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient[1]: » sed per eum de quo dicitur : « Et super filium hominis, » quem confirmasti tibi : » et de quo repetitur : « Fiat » manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium » hominis, quem confirmasti tibi[2]. Et non discedimus a te. » Per hunc filium hominis, id est, Christum Jesum, et de suis reliquiis, hoc est, Apostolis, et aliis multis, qui ex Israëlitis in Christum Deum crediderunt, accedente plenitudine gentium, vinea sancta perficitur : et in remotione veterum, atque institutione novorum sacramentorum titulus ejus Psalmi : « Pro his quæ commutabuntur, » impletur.

VIII. Apertoribus itaque testimoniis cum eis agendum est, quæ sive consentiant, sive dissentiant, tamen sentiant. « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et confirmabo » super domum Jacob testamentum novum, non secun- » dum testamentum quod constitui patribus eorum, in » die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de » terra Ægypti[3]. » Ista certe prædicta mutatio, non per Psalmorum titulos intelligentibus paucis significatur, sed manifesto præconio propheticæ vocis exprimitur. Aperte promissum est Testamentum Novum, non secundum Testamentum quod factum est ad populum, quando eductus est et de Ægypto. Cum ergo in illo Veteri Testamento præcepta sint ista, quæ nos ad novum pertinentes observare non cogimur, cur non Judæi se potius in vetustate supervacanea remansisse cognoscunt, quam nobis nova promissa tenentibus; quod vetera non observemus, objiciunt? Quoniam ergo, sicut scriptum est in Cantico canticorum : « Aspiravit dies, re-

[1] Isai. x, 22. — [2] Psal. LXXIX, 16 et 18. — [3] Jerem. XXXI, 31 et 32.

» moveantur umbræ[1] : » spiritalis significatio jam lucescat, carnalis celebratio jam quiescat. « Deus deorum » Dominus locutus est, et vocavit terram a solis ortu us- » que ad occasum[2] : » utique omnem terram ad Testamentum novum, cui dicitur in alio Psalmo : « Cantate » Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra[3].» Non ergo sicut antea ex monte Sina locutus est uni populo, quem vocavit ex Ægypto Deus deorum : sed sic locutus est, ut vocaret terram a solis ortu usque ad occasum. Quam si Judæus vellet intelligere locutionem, audiret hanc vocationem, et in eis esset quibus in eodem Psalmo dicitur : « Audi, populus meus, et loquar tibi, Israël, et » testificabor tibi, Deus Deus tuus ego sum. Non super » sacrificia tua arguam te, holocausta autem tua in cons- » pectu meo semper. Non accipiam de domo tua vitulos » neque de gregibus tuis hircos : quoniam meæ sunt om- » nes bestiæ sylvæ, pecora in montibus et boves : cognovi » omnia volatilia cœli, et species agri mecum est. Si esu- » riero, non dicam tibi : meus est enim orbis terræ et » plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, » aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrifi- » cium laudis, et redde Altissimo preces tuas. Et invoca » me in die tribulationis, et eruam te, et glorificabis me[4]. » Certe et hic sacrificiorum veterum aperta mutatio est. Illa eum Deus accepturum se non fore prædixit, cultoribus suis sacrificium laudis indixit : et hoc non quod a nobis tanquam indigens expetat laudem, sed ut in ea nobis consulat ad salutem. Nam eumdem Psalmum ita conclusit : « Sacrificium laudis glorificabit me, et ibi via est, ubi » ostendam illi salutare Dei[5]. » Quid vero est salutare Dei, nisi Filius Dei, Salvator mundi; dies Filius ex dies

[1] Cant. II, 1. — [2] Psal. XLIX, 1. — [3] Id XCV, 1. — [4] Id. XLIX, 7-15. — [5] Ibid. 23.

Patre, hoc est, lumen ex lumine, cujus adventus revelavit Testamentum novum ? Unde etiam ubi dicitur : « Cantate » Domino canticum novum, cantate Domino, omnis terra, » cantate Domino, benedicite nomen ejus : » statim evangelizandus ipse monstratur, atque additur : « Bene nun- » tiate diem ex die salutare ejus[1]. » Ipse igitur sacerdos et victima sacrificium laudis implevit malorum operum tribuens indulgentiam, et bene operandi largiens gratiam. Ad hoc enim Domino sacrificium laudis ab ejus cultoribus immolatur : « Ut qui gloriatur, in Domino glorietur[2]. »

IX. Sed hoc Judæi cum audiunt, erecta cervice respondent : Nos sumus, de nobis hoc dictum est, nobis hoc dictum est. Nos enim sumus Israël populus Dei : nos in verbis dicentis agnoscimus : « Audi, populus meus, et lo- » quar tibi, Israël, et testificabor tibi[3]. » Quid sumus ad ista dicturi ? Novimus quidem Israël spiritalem, de quo dicit Apostolus : « Et quicumque hanc regulam sequun- » tur, pax super illos et misericordia, et super Israël Dei[4]. » Istum autem Israël scimus esse carnalem, de quo idem dicit : « Videte Israël secundum carnem[5]. » Sed ista isti non capiunt, et eo se ipsos carnales esse convincunt. Quos paululum quasi præsentes alloqui libet : Ita-ne vos ad eum populum pertinetis, quem vocavit Deus deorum a solis ortu usque ad occasum ? Nonne vos ex Ægypto in terram Chanaan translati estis ? non illuc vocati a solis ortu usque ad occasum, sed inde dispersi in solis ortum et in occasum. Nonne vos ad ejus inimicos potius pertinetis, qui dicit in Psalmo : « Deus meus demonstravit mihi in » inimicis meis, ne occideris eos, ne quando obliviscan- » tur legis tuæ, disperge illos in virtute tua[6] ? » Unde non obliviscentes legem Dei, sed eamdem circumferentes,

[1] Psal. XCV, 1 et 2. — [2] 1 Cor. I, 31. — [3] Psal. XLIX, 7. — [4] Gal. IV, 16, et Beda, seu Florus, ibid. — [5] 1 Cor. X, 18. — [6] Psal. LVIII, 12.

gentibus ad testimonium, vobis ad opprobrium, nescientes eam populo ministratis, qui vocatus est a solis ortu usque ad occasum. An vero negabitis? et ea quæ tanta auctoritate prædicta, tanta manifestatione completa sunt, aut majore cæcitate non intuemini, aut mirabili impudentia non fatemini? Quid ergo ad illud responsuri estis, quod Isaïas propheta proclamat : « Erit in novissimis tem» poribus manifestus mons domus Domini, paratus in » cacumine montium, et exaltabitur super colles, et ve» nient ad eum universæ gentes, et dicent : Venite, ascen» damus in montem Domini, et in domum Dei Jacob, et » annuntiabit nobis viam salutis, et ingrediemur in eam : » ex Sion enim lex prodiet, et verbum Domini ex Jerusa» lem [1]. » An et hic dicturi estis : Nos sumus? quoniam audistis domum Jacob et Sion et Jerusalem. Quasi nos negemus de semine Jacob esse Christum Dominum secundum carnem, qui significatus est vocabulo montis parati super cacumen montium, quod omnes celsitudines ejus celsitudo transcendit : aut negemus Apostolos et illas Ecclesias Judææ, quæ post Christi resurrectionem in eum continuo crediderunt, ad domum Jacob pertinere : aut vero alius intelligendus sit spiritaliter Jacob, quam ipse populus christianus; qui cum sit minor natu, quam populus Judæorum, tamen eum crescendo superat, et subdit : ut impleatur quod de duobus illis fratribus in figura prædictum est : « Et major serviet minori [2]. » Sion autem et Jerusalem quamvis spiritaliter intelligatur Ecclesia, magis tamen adversus istos idoneum testimonium est, quia ex isto loco, ubi Christum crucifixerunt, et lex et verbum Domini processit ad gentes. Lex enim quæ illis per Moysen data est, de qua superbius extolluntur, et de qua melius convincuntur, non intelligitur prodisse de

[1] Isai. II, 2 et 3. — [2] Gen. XXV, 24.

Sion et Jerusalem, sed de monte Sina. Ad terram quippe promissionis, ubi est Sion, quæ appellatur etiam Jerusalem, post quadraginta annos cum ipsa Lege venerunt : non autem ibi eam vel inde acceperunt. Evangelium vero Christi, et Lex fidei, quod certum est, inde processit. Sicut etiam ipse Dominus, posteaquam resurrexit, loquens Discipulis suis, et ostendens prædicta divinorum eloquiorum in se esse completa : « Quoniam sic scriptum » est, inquit, et sic oportuit Christum pati, et resurgere » a mortuis die tertio, et prædicari in nomine ejus pœni- » tentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, » incipientibus ab Jerusalem[1]. » Ecce quod prophetavit Isaïas dicens : « Ex Sion enim lex prodiet, et verbum Do- » mini ex Jerusalem[2]. » Ibi enim veniens desuper secundum Domini promissionem Spiritus sanctus, eos quos tunc una domus continebat, implevit, et loqui linguis omnium gentium fecit[3] : et inde exierunt prædicare Evangelium in notitiam omnium gentium. Sicut enim Lex illa, quæ processit de monte Sina, quinquagesimo die post celebratum Pascha conscripta est digito Dei, quo significatur Spiritus sanctus : ita Lex ista, quæ processit de Sion et Jerusalem, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis sanctorum Evangelistarum scripta est per Spiritum sanctum, quinquagesimo die post verum Pascha passionis et resurrectionis Domini Christi : quo die Spiritus sanctus est missus, qui fuerat ante promissus.

X. Ite nunc, o Israëlitæ, secundum carnem, non secundum spiritum, ite nunc, et adhuc contradicite apertissimæ veritati ; et cum auditis : « Venite, ascendamus in » montem Domini, et in domum Dei Jacob[4] : » dicite : Nos sumus ; ut cæci offendatis in montem, ubi collisa facie pejus perdatis frontem. Si vere vultis dicere : Nos sumus,

[1] Luc, XXIV, 46. — [2] Isai. II, 3. — [3] Act. II, 2. — [4] Isai. II, 3.

ibi hoc dicite, ubi auditis : « Ab iniquitatibus populi mei » ductus est ad mortem[1]. » De Christo enim dictum est, quem vos in parentibus vestris duxistis ad mortem; qui sicut ovis ad immolandum ductus est, ut Pascha, quod nescientes celebratis, nescientes sæviendo impleretis. Si vere vultis dicere : Nos sumus; tunc dicite, quando auditis : « Incrassa cor populi hujus, et aures eorum oppida, » et oculos eorum grava[2]. » Tunc dicite : Nos sumus; quando auditis : « Tota die expandi manus meas ad popu- » lum non credentem, et contradicentem[3]. » Tunc dicite : Nos sumus; quando auditis : « Excæcentur oculi eorum, ne » videant, et dorsa eorum semper incurva[4]. » In his atque hujusmodi propheticis vocibus dicite : Nos sumus; ubi sine ulla dubitatione vos estis : sed sic cæci estis, ut esse vos dicatis, ubi non estis; et non vos agnoscatis, ubi estis.

XI. Sed in hæc manifestiora quæ dicturus sum, paulisper attendite. Certe cum auditis in bono Israël, dicitis : Nos sumus : et cum auditis in bono Jacob, dicitis : Nos sumus. Et cum a vobis causa requiritur, respondetis : Quoniam Jacob ipse est et Israël, ex quo patriarcha propagati sumus, unde merito patris nostri appellatione censemur. Non ergo vos alto et gravi somno dormientes ad spiritalia quæ non capitis excitamus, neque nunc quomodo spiritaliter accipienda sint ista vocabula, vobis in auditu et visu spiritali surdis et cæcis persuadere conamur. Nempe sicut vos fatemini, et lectio libri Geneseos manifeste declarat, unus homo erat Jacob et Israël[5]; et unde gloriamini, ipsa est domus Jacob, quæ domus est Israël. Quid ergo est, quod idem ipse Propheta, cum prænuntiasset montem futurum paratum in cacumine montium, ad quem

[1] Isai. LIII, 8. — [2] Id. VI. 10. — [3] Id. LXV, 2. — 4 4 Psal. LXVIII, 23. — [5] Gen. XXXII, 28.

venturæ essent universæ gentes; quia non de monte Sina uni genti, sed de Sion et Jerusalem lex et verbum Domini processurum esset omnibus gentibus; quod manifestissime in Christo et Christianis videmus impletum : paulo post dicit : « Et nunc tu, domus Jacob, venite, ambulemus in » luce Domini[1]? » Hic profecto dicetis, ut soletis : Nos sumus : sed quod sequitur, paulisper attendite, ut cum dixeritis quod vultis, etiam quod non vultis audiatis. Nam Propheta conjungit et dicit : « Dimisit enim plebem suam » domum Israël[2]. » Hic dicite : Nos sumus : hic vos agnoscite, et nobis quia ista commemoravimus, ignoscite. Si enim libenter auditis, ad vestrum dicuntur alloquium : si vero indignanter auditis, ad vestrum dicuntur opprobrium. Dicantur tamen oportet, sive volentibus, sive nolentibus vobis. Ecce, non ego, sed Propheta quem legitis, per quem Deum locutum non potestis negare, quem de auctoritate divinarum Scripturarum non potestis auferre, quemadmodum illi Dominus imperavit, exclamat vehementer, et sicut tuba exaltat vocem suam[3], vosque increpat, dicens : « Et » nunc tu, domus Jacob, venite, ambulemus in luce Do» mini[4]. » Occidistis Christum in parentibus vestris. Tandiu non credidistis, et contradixistis : sed nondum periistis, quia nondum de corpore existis; et nunc habetis spatium pœnitendi, et nunc venite. Olim quidem debuistis, sed et nunc venite : nondum finiti sunt dies, cui nondum venit ultimus dies. Aut si vos tanquam domum Jacob Prophetam secutos, jam in luce Domini creditis ambulare, domum Israël quam dimisit ostendite. Nos enim utrosque monstramus, et quos ex illa domo vocando discreverit, et quos illic remanentes dimiserit. Vocavit enim inde non solum Apostolos, sed etiam post Christi resurrectionem populum magnum; unde superius jam diximus : dimisit autem illos,

[1] Isai. II, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Isai, LVIII, 1, — [4] Id. II, 5.

quos etiam vos non credendo imitamini; et vos ipsos, qui eos imitando in eadem pernicie demoramini. Aut si vos estis quos inde vocavit, ubi sunt quos dimisit? Non enim potestis dicere, quod nescio quam aliam gentem dimiserit; cum Propheta clamet : « Dimisit enim plebem suam domum » Israël[1]. » Ecce quod estis, non quod vos esse jactatis. Dimisit enim et vineam, de qua expectavit ut faceret uvas, fecit autem spinas; et mandavit nubibus suis ne pluerent super eam imbrem. Sed etiam inde eos vocavit, quibus dicit : « Judicate inter me et vineam meam[2]. » De quibus et Dominus ait : « Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, » filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices erunt ves- » tri[3]. » Quibus hoc promittens : « Sedebitis, inquit, su- » per duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israël[4]. » Sedebit itaque domus Jacob, quæ in luce Domini vocata ambulavit, judicare domum Israël, hoc est, plebem ipsius quam dimisit. Quomodo enim juxta eumdem Prophetam : « Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in » caput anguli[5], » nisi quod ex circumcisione et præputio populi tanquam parietes de diverso venientes, in angulo sibimet tanquam in pacis osculo copulantur? Unde dicit Apostolus : « Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque » unum[6]. » Qui ergo ex domo Jacob sive Israël vocantem secuti sunt, ipsi sunt lapidi angulari cohærentes, et in Domini luce ambulantes : quos vero ibi dimisit, ipsi sunt ruinam ædificantes, et angularem lapidem reprobantes.

XII. Postremo si hæc verba prophetica secundum cor vestrum in alium sensum detorquere conamini, o Judæi, contra salutem vestram resistentes Filio Dei; si hæc, inquam, verba sic vultis accipere, ut eadem sit plebs et domus Jacob vel Israël, et vocata et dimissa; non in aliis

[1] Isai. II, 6. — [2] Id. V, 3. — [3] Matth. XII, 27. — [4] Id. XIX, 28. — [5] Isai. XXVIII, 16, et Psal. CXVII, 22. — [6] Ephes. II, 14, et Beda, seu Florus, ibid.

vocata, in aliis dimissa, sed universa propterea vocata, ut ambularet in luce Domini; quoniam propterea erat dimissa, quod non ambulabat in luce Domini; aut certe sic in aliis vocata, in aliis dimissa, ut nulla facta separatione mensæ dominicæ ad Christi sacrificium pertinente, sub eisdem veteribus sacramentis essent utrique, et ii scilicet qui in luce Domini ambulantes ejus præcepta servarunt, et ii qui justitiam respuentes ab eo deseri meruerunt: si hæc ergo sic intelligere vultis, quid dicturi estis, et quomodo alium Prophetam intellecturi, qui vobis omnino hanc amputat vocem, tanta manifestatione clamantem: « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus » omnipotens, et sacrificium non accipiam de manibus » vestris. Quia ab Oriente sole usque in Occidentem no- » men meum clarum factum est in gentibus; et in omni » loco sacrificium offertur nomini meo, sacrificium mun- » dum: quoniam magnum nomen meum in gentibus, di- » cit Dominus omnipotens[1]. » Qua tandem voce tantæ rerum evidentiæ reclamatis? Quid vos amplius nimis impudenter extollitis, ut graviore ruina miserabilius pereatis? « Non est mihi voluntas in vobis, dicit, » non quicumque, sed, « Dominus omnipotens. » Quid tantum de Abrahæ semine gloriamini, qui ubicumque auditis Jacob aut Israël, aut domum Jacob vel domum Israël, cum aliqua laude dici, contenditis hoc non potuisse dici, nisi de vobis? cum Dominus omnipotens dicat: « Non est mihi voluntas in vobis, » et sacrificium non accipiam de manibus vestris. » Certe hic negare non potestis[2], non solum illum non accipere sacrificium de manibus vestris, sed nec vos illi offerre manibus vestris. Locus enim unus est Lege Domini constitutus, ubi manibus vestris sacrificia jussit offerri, præter quem locum omnino prohibuit. Hunc ergo locum quoniam

[1] Malach. I, 10 et 11. — [2] Beda, seu Florus, ad Hebr. VII.

pro vestris meritis amisistis, etiam sacrificium quod ibi tantum licebat offerri, in locis offerre aliis non audetis. Ecce omnino impletum est quod ait Propheta : « Et sacri- » ficium non accipiam de manibus vestris. » Nam si in terrena Jerusalem maneret vobis templum et altare, possetis dicere in eis hoc esse completum, quorum iniquorum inter vos constitutorum sacrificia Dominus non acceptat ; aliorum vero ex vobis atque in vobis acceptare sacrificia, qui Dei præcepta custodiunt. Hoc non est cur possit dici, ubi nullus omnino vestrum est, qui secundum Legem, quæ de monte Sina processit, manibus suis sacrificium possit offerre. Neque hoc ita prædictum et impletum est, ut vos prophetica sententia respondere permittat. Quia manibus non offerimus carnem, sed corde et ore offerimus laudem, secundum illud in Psalmo : « Immola Deo sacrificium lau- » dis [1]. » Etiam hinc contradicit vobis, qui dicit : « Non est » mihi voluntas in vobis. »

XIII. Deinde ne existimetis, non offerentibus vobis, nec illo accipiente de manibus vestris, Deo sacrificium non offerri ; quo quidem ille non eget, qui bonorum nostrorum nullius indiget : tamen quia sine sacrificio non est, quod non illi, sed nobis utile est, adjungit et dicit : « Quia » ab Oriente sole usque in Occidentem nomen meum cla- » rum est factum in gentibus ; et in omni loco sacrificium » offertur nomini meo, sacrificium mundum : quoniam » magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus » omnipotens [2]. » Quid ad hæc respondetis? Aperite oculos tandem aliquando, et videte, ab Oriente sole usque in Occidentem, non in uno, sicut vobis fuerat constitutum, sed in omni loco offerri sacrificium Christianorum ; non cuilibet Deo, sed ei qui ista prædixit, Deo Israël. Unde et alibi dicit Ecclesiæ suæ : « Et qui eruit te, ipse Deus Israël

[1] Psal. XLIX, 14. — [2] Malac. I, 2.

» universæ terræ vocabitur[1]. » Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos habere vitam æternam[2]. Et profecto haberetis, si Christum in eis intelligeretis, et teneretis. Sed perscrutamini eas : ipsæ testimonium perhibent de hoc sacrificio mundo, quod offertur Deo Israël ; non ab una gente vestra, de cujus manibus non se accepturum prædixit, sed ab omnibus gentibus quæ dicunt : « Venite, » ascendamus in montem Domini[3]. » Nec in uno loco, sicut vobis præceptum erat in terrena Jerusalem ; sed in omni loco, usque in ipsam Jerusalem. Nec secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Christo enim dictum est, et de Christo tanto ante prædictum est : « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacer- » dos in æternum, secundum ordinem Melchisedech[4]. » Quid est : « Juravit Dominus, » nisi inconcussa veritate firmavit? Et quid est : « Non pœnitebit eum, » nisi hoc sacerdotium nulla omnino ratione mutabit? Neque enim sicut hominem, pœnitet Deum : sed Dei dicitur pœnitentia, quamvis ab illo institutæ, rei cujusque mutatio, quæ credebatur esse mansura. Proinde cum dicit : « Non pœni- » tebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordi- » nem Melchisedech, » satis ostendit eum pœnituisse, hoc est, eum mutare voluisse sacerdotium, quod constituerat secundum ordinem Aaron : sicut de utroque videmus impletum. Nam et Aaron sacerdotium jam nullum est in aliquo templo, et Christi sacerdotium in æternum perseverat in cœlo.

XIV. Ad hanc ergo lucem Domini vocat vos Propheta, cum dicit : « Et nunc tu, domus Jacob, venite, ambule- » mus in luce Domini. Tu domus Jacob, » quam vocavit et elegit, non « Tu, » quam dimisit. « Dimisit enim ple- » bem suam domum Israël[5]. » Quicumque inde venire

[1] Isai. LIV, 5. — [2] Joan. V, 39. — [3] Isai. II, 3 — [4] Psal. CIX, 4. — [5] Isai. II, 5, 6.

vultis, ad hanc pertinebitis, quam vocavit; illa carebitis, quam dimisit. Lux quippe Domini, in qua ambulant gentes, illa est de qua idem Propheta dicit : « Dedi te in lucem » gentium, ut sis salus mea usque in fines terræ [1]. Cui hoc dictum est, nisi Christo ? De quo impletum est, nisi de Christo ? Non est ista lux in vobis, de quibus identidem dictum est : « Dedit illis Deus spiritum compunctio- » nis ; oculos, ut non videant, et aures, ut non audiant, » usque in hodiernum diem [2]. » Non est, inquam, in vobis hæc lux : ideo nimia cæcitate lapidem reprobatis, qui factus est in caput anguli. Ergo « Accedite ad eum, et » illuminamini [3]. » Quid est, « Accedite, » nisi, credite ? Quo enim eatis, ut ad eum accedatis ; cum ille sit lapis, de quo Daniel propheta dicit, quod crescendo tam magnus mons factus sit, ut impleret universam faciem terræ [4] ? Sic enim et gentes quæ dicunt : « Venite, ascendamus in » montem Domini [5], » nusquam terrarum pergere et pervenire contendunt. Ubi sunt, ibi ascendunt : quia in omni loco sacrificium offertur secundum ordinem Melchisedech. Et sicut alius Propheta dicit : « Exterminat » Deus omnes deos gentium terræ, et adorant eum unus- » quisque de loco suo [6]. » Cum ergo vobis dicitur : « Ac- » cedite ad eum : » non vobis dicitur : Naves aut jumenta præparate, et vestris victimis onerate, et de tam loginquo pergite ad locum, ubi Deus sacrificia vestræ devotionis acceptet : sed, accedite ad eum, qui in vestris auribus prædicatur : accedite ad eum, qui ante oculos vestros glorificatur. Ambulando non laborabitis : ibi enim acceditis, ubi creditis.

XV. Hæc, charissimi, sive gratanter, sive indignanter audiant Judæi, nos tamen ubi possumus, cum eorum di-

[1] Isai. XLIX, 6. — [2] Rom. XI, 8, et Beda, seu Florus, ibid. — [3] Psal. XXXIII, 6. — [4] Dan. II, 35. — [5] Isai. II, 3. — [6] Sophon. II, 11.

lectione prædicemus. Nec superbe gloriemur adversus ramos fractos [1] : sed potius cogitemus cujus gratia, et quanta misericordia, et in qua radice inserti sumus ; ut non alta sapientes, sed humilibus consentientes ; non eis cum præsumptione insultando, sed cum tremore exultando dicamus : Venite, ambulemus in luce Domini, quoniam magnum nomen ejus in gentibus. Si enim audierint et obedierint, erunt inter eos, quibus dictum est : « Accedite ad eum, et illuminamini ; et vultus vestri non » erubescent [2]. » Si autem audiunt et non obaudiunt, vident et invident, inter eos sunt, de quibus dictum est : « Peccator videbit, et irascetur ; dentibus suis frendet, » et tabescet [3]. Ego autem, dicit Ecclesia Christo, velut » oliva fructifera in domo Domini, speravi in misericordia » Dei in æternum, et in sæculum sæculi [4]. »

[1] Beda, seu Florus ad Rom. xi. — [2] Psal. xxxiii, 6. — [3] Id. cxi, 10. — [4] Id. li, 10.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE

LIBERO ARBITRIO

LIBRI III [1].

LIBER I.

IN QUO MOTA QUÆSTIONE UNDE MALUM, EXPLICATUR QUID SIT MALE AGERE, TUMQUE MALA HOMINUM FACTA EX LIBERO VOLUNTATIS ARBITRIO PROFICISCI OSTENDITUR; QUIPPE CUM LIBIDINI, QUÆ IN OMNI FACTO MALO REGNAT, SERVIRE MENS A NULLO COGATUR.

I. Dic mihi quæso te [2], utrum Deus non sit auctor mali? Augustinus, dicam, si planum feceris, de quo malo quæras. Duobus enim modis appellare solemus malum; uno, cum male quemque fecisse dicimus; alio, cum mali aliquid esse perpessum. Evodius. De utroque scire cupio. A. At si Deum bonum esse nosti vel credis, neque enim aliter fas est, male non facit: rursus si Deum justum fa-

[1] Inchoati anno Christi 388, absoluti anno 395. — Vide Retract. lib. 1, cap. 9. — [2] Vide D. Guillon, tom. XXII, pag. 245-254.

temur, nam et hoc negare sacrilegum est, ut bonis præmia, ita supplicia malis tribuit : quæ utique supplicia patientibus mala sunt. Quamobrem si nemo injuste pœnas luit, quod necesse est credamus, quandoquidem divina providentia hoc universum regi credimus, illius primi generis malorum nullo modo, hujus autem secundi auctor est Deus. E. Est ergo alius auctor illius mali, cujus Deum non esse compertum est? A. Est certe : non enim nullo auctore fieri posset. Si autem quæris quisnam iste sit, dici non potest ; non enim unus aliquis est, sed quisque malus sui malefacti auctor est. Unde si dubitas, illud attende quo supra dictum est : Malefacta justitia Dei vindicari. Non enim juste vindicarentur, nisi fierent voluntate.

II. E. Nescio utrum quisquam peccet, qui non didicerit : quod si verum est, quisnam sit ille a quo peccare didicerimus, inquiro. A. Aliquid boni existimas esse disciplinam? E. Quis audeat dicere malum esse disciplinam. A. Quid si nec bonum nec malum est? E. Mihi bonum videtur. A. Bene sane : si quidem scientia per illam datur aut excitatur, nec quisquam nisi per disciplinam aliquid discit : an tu aliter putas? E. Ego per disciplinam nonnisi bona disci arbitror. A. Vide ergo ne non discantur mala : nam disciplina, nisi a discendo non dicta est. E. Unde ergo ab homine fiunt, si non discuntur? A. Eo fortasse quod se a disciplina, id est, a discendo avertit atque abalienat : sed sive hoc, sive aliud aliquid sit, illud certe manifestum est quoniam disciplina bonum est, et a discendo dicta est disciplina, mala disci omnino non posse. Si enim discuntur, disciplina continentur, atque ita disciplina non erit bonum : est autem, ut ipse concedis : non igitur discuntur mala, et frustra illum a quo male facere discimus, quæris : aut si discuntur mala, vitanda

non facienda discuntur. Ex quo male facere nihil est, nisi a disciplina deviare.

III. E. Prorsus ego duas disciplinas esse puto, unam per quam bene facere, aliam per quam male facere discimus. Sed cum quæreres utrum disciplina bonum esset, ipsius boni amor intentionem meam rapuit, ut illam disciplinam intuerer, quæ bene faciendi est, ex quo bonum esse respondi: nunc autem admoneor esse aliam, quam procul dubio malum esse confirmo, et cujus auctorem requiro. A. Saltem intelligentiam nonnisi bonum putas? E. Istam plane ita bonam puto, ut non videam quid in homine possit esse præstantius; nec ullo modo dixerim aliquam intelligentiam malam esse posse. A. Quid cum docetur quisque, si non intelligat, poterit-ne tibi doctus videri? E. Omnino non poterit. A. Si ergo omnis intelligentia bona est, nec quisquam qui non intelligit, discit; omnis qui discit, bene facit: omnis enim qui discit, intelligit; et omnis qui intelligit, bene facit: quisquis igitur quærit auctorem, per quem aliquid discimus, auctorem profecto per quem bene facimus, quærit. Quapropter desine velle investigare nescio quem malum doctorem. Si enim malus est, doctor non est: si doctor est, malus non est.

IV. E. Age jam quoniam satis cogis ut fatear, non nos discere male facere, dic mihi unde male faciamus? A. Eam quæstionem moves, quæ me admodum adolescentem vehementer exercuit, et fatigatum in hæreticos impulit atque dejecit. Quo casu ita sum afflictus, et tantis obrutus acervis inanium fabularum, ut nisi mihi amor inveniendi veri opem divinam impetravisset, emergere inde, atque in ipsam primam quærendi libertatem respirare non possem. Et quoniam mecum sedulo actum est, ut ista quæstione liberarer, eo tecum agam ordine, quem secutus

evasi. Aderit enim Deus, et nos intelligere quod credidimus, faciet. Præscriptum enim per Prophetam gradum, qui ait : « Nisi credideritis, non intelligetis [1], » tenere nos, bene nobis conscii sumus. Credimus autem ex uno Deo omnia esse quæ sunt ; et tamen non esse peccatorum auctorem Deum. Movet autem animum, si peccata ex iis animabus sunt quas Deus creavit, illæ autem animæ ex Deo, quomodo non parvo intervallo peccata referantur in Deum.

V. E. Id nunc plane abs te dictum est, quod me cogitantem satis excruciat, et quod ad istam inquisitionem coëgit et traxit. A. Virili animo esto, et crede quod credis : nihil enim creditur melius, etiam si causa lateat cur ita sit. Optime namque de Deo existimare verissimum est pietatis exordium ; nec quisquam de illo optime existimat, qui non eum omnipotentem, atque ex nulla particula commutabilem credit ; bonorum etiam omnium creatorem, quibus est ipse præstantior ; rectorem quoque justissimum eorum omnium quæ creavit ; nec ulla adjutum esse natura in creando, quasi qui non sibi sufficeret. Ex quo fit ut de nihilo creaverit omnia ; de se autem non creaverit, sed genuerit quod sibi par esset, quem Filium Dei unicum dicimus, quem cum planius enuntiare conamur, Dei Virtutem et Dei Sapientiam nominamus, per quam fecit omnia, quæ de nihilo facta sunt. Quibus constitutis, ad intelligentiam ejus rei quam requiris, opitulante Deo, nitamur hoc modo.

VI. Quæris certe unde male faciamus : prius ergo discutiendum, quid sit male facere : qua de re tibi quid videatur exprome. Quod si non potes totum simul breviter verbis comprehendere, saltem particulatim malefacta ipsa commemorando, sententiam tuam notam fac mihi.

[1] Isai. VII, 9, juxta LXX.

E. Adulteria et homicidia et sacrilegia, ut omittam cætera, quibus enumerandis vel tempus vel memoria non suppetit, quis est cui non malefacta videantur? A. Dic ergo prius, cur adulterium male fieri putes; an quia id facere lex vetat? E. Non sane ideo malum est, quia vetatur lege; sed ideo vetatur lege quia malum est. A. Quid si quispiam nos exagitet, exaggerans delectationes adulterii, et quærens a nobis cur hoc malum et damnatione dignum judicemus; num ad auctoritatem legis confugiendum censes hominibus, jam non tantum credere, sed intelligere cupientibus? Nam et ego tecum credo, et inconcusse credo, omnibusque populis atque gentibus credendum esse clamo, malum esse adulterium : sed nunc molimur id quod in fidem recepimus, etiam intelligendo scire ac tenere firmissimum. Considera itaque quantum potes, et renuntia mihi, quanam ratione adulterium malum esse cognoveris. E. Hoc scio malum esse, quod hoc ipse in uxore mea pati nollem. Quisquis autem alteri facit quod sibi fieri non vult, male utique facit. A. Quid si cujuspiam libido ea sit, ut uxorem suam præbeat alteri, libenterque ab eo corrumpi patiatur, in cujus uxorem vicissim parem cupit habere licentiam, nihil-ne mali facere tibi videtur? E. Imo plurimum. A. At iste non illa regula peccat : non enim id facit quod pati nolit. Quamobrem aliud tibi quærendum est, unde malum esse adulterium convincas.

VII. E. Eo mihi videtur malum, quod hujus criminis homines vidi sæpe damnari. A. Quid propter recte facta nonne homines plerumque damnati sunt? Recense historiam, ne te ad alios libros mittam, eam ipsam quæ divina auctoritate præcellit; jam invenies quam male de Apostolis et de omnibus Martyribus sentiamus, si placet nobis damnationem certum indicium esse malefacti, cum illi

omnes damnatione digni propter confessionem suam judicati sint. Quamobrem si quidquid damnatur, malum est, malum erat illo tempore credere in Christum, et ipsam confiteri fidem : si autem non omne malum est quod damnatur, quære aliud unde adulterium malum esse doceas. E. Quid tibi respondeam non invenio.

VIII. A. Fortassis ergo libido in adulterio malum est : sed dum tu foris in ipso facto quod jam videri potest, malum quæris, pateris angustias. Nam ut intelligas libidinem in adulterio malum esse, si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, et si potestas detur facturum esse, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur. E. Nihil est omnino manifestius, et jam video non opus esse longa sermocinatione, ut mihi de homicidio et sacrilegio, ac prorsus de omnibus peccatis persuadeatur. Clarum est enim jam nihil aliud quam libidinem in toto male faciendi genere dominari.

IX. A. Scis-ne etiam istam libidinem alio nomine cupiditatem vocari ? E. Scio. A. Quid, inter hanc et metum nihil-ne interesse, an aliquid putas ? E. Imo plurimum hæc ab invicem distare arbitror. A. Credo te ob hoc arbitrari, quia cupiditas appetit, metus fugit. E. Est ita ut dicis. A. Quid si ergo quispiam non cupiditate adipiscendæ alicujus rei, sed metuens ne quid ei mali accidat, hominem occiderit ; num homicida iste non erit? E. Erit quidem, sed non ideo factum hoc cupiditatis dominatu caret: nam qui metuens hominem occidit, cupit utique sine metu vivere. A. Et parvum tibi videtur bonum sine metu vivere ? E. Magnum bonum est, sed hoc illi homicidæ per facinus suum provenire nullo modo potest. A. Non quæro quid ei provenire possit, sed quid ipse cupiat : certe enim bonum cupit, qui cupit vitam metu liberam ;

et idcirco ista cupiditas culpanda non est ; alioquin omnes culpabimus amatores boni. Proinde cogimur fateri esse homicidium, in quo nequeat malæ illius cupiditatis dominatio reperiri ; falsumque erit illud, quod in omnibus peccatis ut mala sint, libido dominatur ; aut erit aliquod homicidium, quod possit non esse peccatum. E. Si homicidium est hominem occidere, potest accidere aliquando sine peccato : nam et miles hostem, et judex vel minister ejus nocentem, et cui forte invito atque imprudenti telum manu fugit, non mihi videntur peccare, cum hominem occidunt. A. Assentior : sed homicidæ isti appellari non solent. Responde itaque, utrum illum qui dominum occidit, a quo sibi metuebat cruciatus graves, in eorum numero habendum existimes, qui sic hominem occidunt, ut ne homicidarum quidem nomine digni sint. E. Longe ab eis istum differre video : nam illi vel ex legibus faciunt, vel non contra leges : hujus autem facinus nulla lex approbat.

X. A. Rursus me ad auctoritatem revocas : sed meminisse te oportet id nunc a nobis esse susceptum, ut intelligamus quod credimus ; legibus autem credimus : tentandum itaque est, si quo modo possumus id ipsum intelligere, utrum lex quæ punit hoc factum, non perperam puniat. E. Nullo modo perperam punit, quandoquidem punit eum qui volens et sciens dominum necat, quod nullus istorum. A. Ecquid recordaris te paulo ante dixisse, in omni facto malo libidinem dominari, et eo ipso malum esse? E. Recordor sane. A. Quid, illud nonne idem tu concessisti, eum qui cupit sine metu vivere, non habere malam cupiditatem? E. Et hoc recordor. A. Cum ergo ista cupiditate a servo dominus interimitur, non illa culpabili cupiditate interimitur. Quamobrem cur sit hoc facinus malum, nondum comperimus. Convenit enim inter

nos omnia malefacta non ob aliud mala esse, nisi quod libidine, id est, improbanda cupiditate, fiunt. E. Jam mihi videtur injuria iste damnari: quod quidem non auderem dicere, si aliud haberem quod dicerem. A. Ita-ne prius tibi persuasisti tantum scelus impunitum esse oportere, quam considerares utrum ille servus propter satiandas libidines suas metu domini carere cupiverit? Cupere namque sine metu vivere, non tantum bonorum, sed etiam malorum omnium est: verum hoc interest, quod id boni appetunt avertendo amorem ab iis rebus, quæ sine amittendi periculo nequeunt haberi: mali autem ut his fruendis cum securitate incubent, removere impedimenta conantur, et propterea facinorosam sceleratamque vitam, quæ mors melius vocatur, gerunt. E. Resipisco; et admodum gaudeo jam me plane cognovisse, quid sit etiam illa culpabilis cupiditas, quæ libido nominatur. Quam esse jam apparet earum rerum amorem, quas potest quisque invitus amittere.

XI. Quare nunc age quæramus, si placet, utrum etiam in sacrilegiis libido dominetur, quæ videmus plura superstitione committi. A. Vide ne præpoperum sit: prius enim mihi discutiendum videtur, utrum vel hostis irruens, vel insidiator sicarius, sive pro vita, sive pro libertate, sive pro pudicitia, sine ulla interficiatur libidine. E. Quomodo possum arbitrari carere istos libidine, qui pro iis rebus digladiantur, quas possunt amittere inviti: aut si non possunt, quid opus est pro his usque ad hominis necem progredi? A. Non ergo lex justa est, quæ dat potestatem vel viatori ut latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidat; vel cuipiam viro aut fœminæ ut violenter sibi stupratorem irruentem ante illatum stuprum, si possit, interimat. Nam militi etiam jubetur lege, ut hostem necet: a qua cæde si temperaverit, ab imperatore pœnas

luit. Num istas leges injustas, vel potius nullas dicere audebimus? nam mihi lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.

XII. E. Legem quidem satis video esse munitam contra hujuscemodi accusationem, quæ in eo populo quem regit, minoribus malefactis, ne majora committerentur, dedit licentiam. Multo est enim mitius, eum qui alienæ vitæ insidiatur, quam eum qui suam tuetur, occidi. Et multo est immanius, invitum hominem stuprum perpeti, quam eum a quo vis illa infertur, ab eo cui inferre conatur interimi. Jamvero miles in hoste interficiendo minister est legis, quare officium suum facile nulla libidine implevit. Porro ipsa lex, quæ tuendi populi causa lata est, nullius libidinis argui potest. Si quidem ille qui tulit, si Dei jussu tulit, id est, quod præcepit æterna justitia, expers omnino libidinis id agere potuit : si autem ille cum aliqua libidine hoc statuit, non ex eo fit, ut ei legi cum libidine obtemperare necesse sit : quia bona lex et a non bono ferri potest. Non enim si quis, verbi causa, tyrannicam potestatem nanctus, ab aliquo cui hoc conducit, pretium accipiat, ut statuat nulli licere vel ad conjugium fœminam rapere, propterea mala lex erit, quia ille injustus atque corruptus hanc tulit. Potest ergo illi legi, quæ tuendorum civium causa vim hostilem eadem vi repelli jubet, sine libidine obtemperari : et de omnibus ministris, qui jure atque ordine potestatibus quibusque subjecti sunt, id dici potest. Sed illi homines lege inculpata, quomodo inculpati queant esse, non video : non enim lex eos cogit occidere, sed relinquit in potestate. Liberum eis itaque est neminem necare pro iis rebus, quas inviti possunt amittere, et ob hoc amare non debent. De vita enim fortasse cuipiam sit dubium, utrum animæ nullo pacto auferatur, dum hoc corpus interimitur : sed

si auferri potest, contemnenda est; si non potest, nihil metuendum. De pudicitia vero quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est? unde a violento stupratore eripi nec ipsa potest. Quidquid igitur erepturus erat ille qui occiditur, id totum in potestate nostra non est : quare quemadmodum nostrum appellandum sit, non intelligo. Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici : sed quo pacto istos defendam qui interficiunt, non invenio.

XIII. A. Multo minus ego invenire possum, cur hominibus defensionem quæras, quos reos nulla lex tenet. E. Nulla fortasse, sed earum legum quæ apparent, et ab hominibus leguntur : nam nescio utrum non aliqua vehementiore ac secretissima lege teneantur, si nihil rerum est quod non administret divina providentia. Quomodo enim apud eam sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt? Videtur ergo mihi et legem istam quæ populo regendo scribitur, recte ista permittere, et divinam providentiam vindicare. Ea enim vindicanda sibi hæc lex populi assumit, quæ satis sint conciliandæ paci hominibus imperitis, et quanta possunt per hominem regi. Illæ vero culpæ alias pœnas aptas habent, a quibus sola mihi videtur posse liberare sapientia. A. Laudo et probo istam, quamvis inchoatam minusque perfectam, tamen fidentem et sublimia quædam petentem distinctionem tuam. Videtur enim tibi lex ista, quæ regendis civitatibus fertur, multa concedere atque impunita relinquere, quæ per divinam tamen providentiam vindicantur; et recte. Neque enim quia non omnia facit, ideo quæ facit improbanda sunt.

XIV. Sed dispiciamus diligenter, si placet, quousque per legem istam quæ populos in hac vita cohibet, malefacta ulciscenda sint. Deinde quid restet, quod per

divinam providentiam inevitabilius secretoque puniatur. E. Cupio, si modo perveniri possit ad tantæ rei terminos : nam hoc ego infinitum puto. A. Imo adesto animo, et ratiodis vias pietate fretus ingredere. Nihil est enim tam arduum atque difficile, quod non Deo adjuvante planissimum atque expeditissimum fiat. In ipsum itaque suspensi atque ab eo auxilium deprecantes, quod instituimus, quæramus. Et prius responde mihi, utrum ista lex quæ litteris promulgatur, hominibus hanc vitam viventibus opituletur? E. Manifestum est : nam ex his hominibus utique populi civitatesque consistunt. A. Quid ipsi homines et populi, ejusdem-ne generis rerum sunt, ut interire mutarive non possint, æternique omnino sint, an vero mutabiles temporibusque subjecti sunt? E. Mutabile plane atque tempori obnoxium hoc genus esse quis dubitet? A. Ergo si populus sit bene moderatus et gravis, communisque utilitatis diligentissimus custos, in quo unusquisque minoris rem privatam quam publicam pendat, nonne recte lex fertur, qua huic ipsi populo liceat creare sibi magistratus per quos sua res, id est, publica administretur? E. Recte prorsus. A. Porro si paulatim depravatus idem populus rem privatam rei publicæ præferat, atque habeat venale suffragium, corruptusque ab eis qui honores amant, regimen in se flagitiosis conscleratisque committat, nonne item recte si quis tunc extiterit vir bonus, qui plurimum possit, adimat huic populo potestatem dandi honores, et in paucorum bonorum, vel etiam unius redigat arbitrium? E. Et id recte. A. Cum ergo duæ istæ leges ita sibi videantur esse contrariæ, ut una earum honorum dandorum populo tribuat potestatem, auferat altera ; et cum ista secunda ita lata sit, ut nullo modo ambæ in una civitate simul esse possint, num dicemus aliquam earum injustam esse, et ferri minime debuisse?

E. Nullo modo. A. Appellemus ergo istam legem, si placet, temporalem, quæ quanquam justa sit, commutari tamen per tempora juste potest. E. Appellemus.

XV. A. Quid illa lex quæ summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est, et per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur, per quam denique illa, quam temporalem vocandam diximus, recte fertur recteque mutatur, potest-ne cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaque videri? An potest aliquando injustum esse, ut mali miseri, boni autem beati sint : aut ut modestus et gravis populus ipse sibi magistratus creet, dissolutus vero et nequam ista licentia careat? E. Video hanc æternam esse atque incommutabilem legem. A. Simul etiam te videre arbitror in illa temporali nihil esse justum atque legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines derivarint : nam si populus ille quodam tempore juste honores dedit, quodam rursus juste non dedit, hæc vicissitudo temporalis ut justa esset, ex illa æternitate tracta est, qua semper justum est gravem populum honores dare, levem non dare, an tibi aliter videtur? E. Assentior. A. Ut igitur breviter æternæ legis notionem, quæ impressa nobis est, quantum valeo verbis explicem, ea est qua justum est ut omnia sint ordinatissima: tu si aliter existimas, prome. E. Quid tibi vera dicenti contradicam non habeo. A. Cum ergo hæc sit una lex, ex qua illæ omnes temporales ad homines regendos variantur, num ideo ipsa variari ullo modo potest? E. Intelligo omnino non posse : neque enim ulla vis, ullus casus, ulla rerum labes unquam effecerit, ut justum non sit omnia esse ordinatissima.

XVI. A. Age nunc videamus, homo ipse quomodo in se ipso sit ordinatissimus : nam ex hominibus una lege societatis populus constat : quæ lex, ut dictum est, tem-

poralis et. Est dic mihi, utrum certissimum sit tibi vivere te? E. Hoc vero quid certius responderim? A. Quid, illud potest-ne dignoscere, aliud esse vivere, aliud nosse se vivere? E. Scio quidem neminem se nosse vivere, nisi viventem; sed utrum omnis vivens noverit se vivere, ignoro. A. Quam vellem ut credis, ita etiam scires pecora carere ratione; cito nostra disputatio ab ista quæstione transiret: sed quoniam nescire te dicis, longam sermocinationem moves. Neque enim talis res est, qua prætermissa pergere in ea quæ intendimus, tanta connexione rationis, quanta opus esse sentio, sinamur. Dic itaque mihi, cum sæpe viderimus bestias ab hominibus domitas, id est, non corpus bestiæ tantum, sed et animam ita homini subjugatam, ut voluntati ejus sensu quodam et consuetudine serviat, utrum tibi ullo modo fieri posse videatur, ut bestia quælibet immanis vel feritate, vel corpore, vel etiam sensu quolibet acerrima, pari vice sibi hominem subjugare conetur, cum corpus ejus seu vi seu clam multæ interimere valeant. E. Nullo modo isthuc fieri posse consentio. A. Bene sane: sed item dic mihi, cum manifestum sit, viribus cæterisque officiis corporis a plurimis bestiis hominem facile superari, quænam res sit qua homo excellit, ut nulla ei bestiarum, ipse autem multis imperare possit? an forte ipsa est, quæ ratio vel intelligentia dici solet? E. Non invenio aliud, quandoquidem in animo est, id quo belluis antecellimus: quæ si exanimes essent, dicerem nos eo præstare, quod animum habemus. Nunc vero cum et illa sint animalia, id quod eorum animis non inest ut subdantur nobis, inest autem nostris ut eis meliores simus, quoniam neque nihil, neque parvum aliquid esse cuivis apparet, quid aliud rectius, quam rationem vocaverim? A. Vide quam facile fiat Deo adjuvante, quod homines difficillimum putant. Nam

ego fateor tibi, quæstionem istam, quæ ut intelligo terminata est, tandiu nos retenturam putaveram, quam fortasse omnia quæ dicta sunt ab ipso nostræ disputationis exordio. Quare accipe jam, ut deinde ratio connectatur : nam credo non te ignorare, id quod scire dicimus, nihil esse aliud quam ratione habere perceptum. E. Ita est. A. Qui ergo sit se vivere, ratione non caret. E. Consequens est. A. Vivunt autem bestiæ, et sicut jam emicuit, rationis expertes sunt. E. Manifestum est. A. Ecce igitur jam nosti, quod te ignorare responderas, non omne quod vivit scire se vivere, quanquam omne quod se vivere sciat, vivat necessario.

XVII. E. Non mihi est jam dubium; perge quo intenderas : aliud enim esse vivere, aliud scire se vivere, satis didici. A. Quid ergo tibi horum duorum videtur esse præstantius? E. Quid putas, nisi scientiam vitæ? A. Melior-ne tibi videtur vitæ scientia quam ipsa vita? an forte intelligis superiorem quamdam et sinceriorem vitam esse scientiam, quam scire nemo potest, nisi qui intelligit? Intelligere autem quid est, nisi ipsa luce mentis illustrius perfectiusque vivere? Quare tu mihi, nisi fallor, non vitæ aliud aliquid, sed cuidam vitæ meliorem vitam præposuisti. E. Optime omnino et cognovisti et explicasti sententiam meam : si tamen scientia mala esse nunquam potest. A. Nullo modo arbitror, nisi cum translato verbo scientiam pro experientia dicimus : experiri enim non semper bonum est? sicut experiri supplicia : illa vero quæ proprie ac pure scientia nominatur, quia ratione atque intelligentia paratur, mala esse qui potest? E. Teneo et istam differentiam : persequere cætera.

XVIII. Illud est quod volo dicere : hoc quidquid est, quo pecoribus homo præponitur, sive mens, sive spiritus, sive utrumque rectius appellatur; nam utrumque in di-

vinis Libris invenimus, si dominetur atque imperet cæteris quibuscumque homo, constat tunc esse hominem ordinatissimum. Videmus enim habere nos non solum cum pecoribus, sed etiam cum arbustis, et stirpibus multa communia : namque alimentum corporis sumere, crescere, gignere, vigere, arboribus quoque tributum videmus, quæ infima quadam vita continentur : videre autem atque audire, et olfactu, gustu, tactu corporalia sentire posse bestias, et acrius plerasque quam nos, cernimus et fatemur. Adde vires et valentiam firmitatemque membrorum, et celeritates facillimosque corporis motus, quibus omnibus quasdam earum superamus, quibusdam æquamur, a nonnullis etiam vincimur. Genus tamen ipsum rerum est nobis certe commune cum belluis : jamvero appetere voluptates corporis, et vitare molestias, ferinæ vitæ omnis actio est. Sunt alia quædam, quæ jam cadere in feras non videntur, nec tamen in homine ipso summa sunt, ut jocari et ridere. Quod humanum quidem, sed infimum hominis judicat, quisquis de natura humana rectissime judicat. Deinde amor laudis et gloriæ, et affectatio dominandi, quæ tametsi bestiarum non sunt, non tamen earum rerum libidine bestiis meliores nos esse arbitrandum est. Nam et iste appetitus cum rationi subditus nos est, miseros facit. Nemo autem cuiquam miseria se præponendum putavit. Hisce igitur motibus animæ cum ratio dominatur, ordinatus homo dicendus est. Non enim ordo rectus, aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subjiciuntur : an tibi non videtur? E. Manifestum est. A. Ratio ista ergo, vel mens, vel spiritus cum irrationales animi motus regit, id scilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur ea, quam æternam esse comperimus. E. Intelligo ac sequor.

XIX. A. Cum ergo ita homo constitutus atque ordina-

tus est, nonne tibi sapiens videtur? E. Nescio alius quis mihi sapiens homo videri possit, si hic non videtur. A. Credo etiam te illud scire, plerosque homines stultos esse. E. Hoc quoque satis constat. A. At si stultus sapienti est contrarius, quoniam sapientem comperimus, quis etiam stultus sit, profecto jam intelligis. E. Cui non appareat hunc esse, in quo mens summam potestatem non habet? A. Quid igitur dicendum, cum homo ita est affectus, deesse illi mentem; an quamvis insit, eam carere dominatu? E. Hoc potius quod ultimum subjecisti. A. Pervellem abs te audire, quibus documentis perceptum habeas, mentem inesse homini, quæ suum non exserat principatum. E. Utinam tuas istas partes facere velles: nam non mihi facile est sustinere quod ingeris. A. Illud saltem facile est tibi recordari, quod paulo ante diximus[1], quemadmodum bestiæ mansuefactæ ab hominibus ac domitæ serviant: quod ab eis vicissim homines, ut demonstravit ratio, paterentur nisi aliquo excellerent. Id autem non inveniebamus in corpore: ita cum in animo esse appareret, quid aliud appellandum esset quam ratio, non comperimus: quam postea et mentem et spiritum vocari recordati sumus. Sed si aliud ratio, aliud mens, constat certe non nisi mentem uti posse ratione. Ex quo illud conficitur, eum qui rationem habet, mente carere non posse. E. Probe ista reminiscor ac teneo. A. Quid, illud credis-ne, domitores belluarum nisi sapientes esse non posse? Eos enim sapientes voco, quos veritas vocari jubet, id est, qui regno mentis omni libidinis subjugatione pacati sunt. E. Ridiculum est tales putare istos, quos vulgo mansuetarios nuncupant, vel etiam pastores aut bubulcos, aut aurigas, quibus omnibus domitum pecus subjectum videmus, et quorum industria indomitum sub-

[1] Vide supra, cap. VII, n. 16.

jici. A. En igitur habes documentum certissimum, quo manifestum fiat inesse mentem homini sine dominatu. His quippe inest; agunt enim talia, quæ agi sine mente non possent : non tamen regnat; nam stulti sunt, neque regnum mentis nisi sapientium esse, percognitum est. E. Mirum est hoc jam fuisse a nobis in superioribus confectum, et mihi quid responderem, non potuisse in mentem venire.

XX. Sed alia contexamus. Jam enim et regnum mentis humanæ humanam esse sapientiam, et eam posse etiam non regnare, compertum est. A. Putas-ne ista mente, cui regnum in libidines æterna lege concessum esse cognoscimus, potentiorem esse libidinem? ego enim nullo pacto puto. Neque enim esset ordinatissimum, ut impotentiora potentioribus imperarent. Quare necesse arbitror esse, ut plus possit mens quam cupiditas, eo ipso quo cupiditati recte justeque dominatur. E. Ego quoque ita sentio. A. Quid virtutem omnem num dubitamus omni vitio sic ante ponere, ut virtus quanto melior atque sublimior, tanto firmior invictiorque sit? E. quis dubitaverit? A. Nullus igitur vitiosus animus virtute armatum animum superat. E. Verissimum est. A. Jam corpore omni qualemlibet animum meliorem potentioremque esse, non te arbitror negaturum. E. Nemo id negat, qui (quod facile est) videt aut substantiam viventem non viventi, aut eam quæ vitam dat ei quæ accipit, esse præferendam. A. Multo minus igitur corpus, qualecumque id sit, animum virtute præditum vincit. E. Evidentissimum est. A. Quid animus justus, mensque jus proprium imperiumque custodiens, num potest aliam mentem pari æquitate ac virtute regnantem, ex arce dejicere, atque libidini subjugare? E. Nullo modo, non solum propter eamdem in utraque excellentiam, sed etiam quod a justitia prior

decidet, fietque vitiosa mens, quæ aliam facere conabitur, eoque ipso erit infirmior.

XXI. A. Bene intelligis : quare illud restat, ut respondeas, si potes, utrum tibi videatur rationali et sapienti mente quidquam esse præstantius. E. Nihil præter Deum arbitror. A. Et mea ista sententia est. Sed quoniam res ardua est, neque nunc opportune quæritur, ut ad intelligentiam veniat, quanquam robustissima teneatur fide, integra nobis sit hujus quæstionis diligens et cauta tractatio. In præsentia enim scire possumus quæcumque illa natura sit, quam menti virtute pollenti fas est excellere, injustam esse nullo modo posse. Quare ne ista quidem, tametsi habeat potestatem, coget mentem servire libidini. E. Istud prorsus nemo est, qui non sine ulla cunctatione fateatur. A. Ergo relinquitur, ut quoniam regnanti menti compotique virtutis, quidquid par aut prælatum est, non eam facit servam libidinis propter justitiam? quidquid autem inferius est, non possit hoc facere propter infirmitatem, sicut ea quæ inter nos constiterunt docent; nulla res alia mentem cupiditatis comitem faciat, quam propria voluntas et liberum arbitrium. E. Nihil tam necessarium restare video.

XXII. A. Sequitur jam ut tibi videatur juste illam pro peccato tanto pœnas pendere. E. Negare non possum. A. Quid igitur? Num ista ipsa pœna parva existimanda est, quod ei libido dominatur, expoliatamque virtutis opulentia, per diversa inopem atque indigentem trahit, nunc falsa pro veris approbantem, nunc etiam defensitantem, nunc improbantem quæ antea probavisset, et nihilominus in alia falsa irruentem; nunc assensionem suspendentem suam, et plerumque perspicuas ratiocinationes formidantem; nunc desperantem de tota inventione veritatis, et stultitiæ tenebris penitus inhærentem, nunc

conantem in lucem intelligendi, rursusque fatigatione decidentem : cum interea cupiditatum illud regnum tyrannice sæviat, et variis contrariisque tempestatibus totum hominis animum vitamque perturbet, hinc timore, inde desiderio; hinc anxietate, inde inani falsaque lætitia; hinc cruciatu rei amissæ quæ diligebatur, inde ardore adipiscendæ quæ non habebatur; hinc acceptæ injuriæ doloribus, inde facibus vindicandæ : quaquaversum potest coarctare avaritia, dissipare luxuria, addicere ambitio, inflare superbia, torquere invidia, desidia sepelire, pervicacia concitare, afflictare subjectio, et quæcumque alia innumerabilia regnum illius libidinis frequentant et exercent : possumus-ne tandem nullam istam pœnam putare, quam, ut cernis, omnes qui non inhærent sapientiæ, necesse est perpeti?

XXIII. E. Magnam quidem istam pœnam esse judico, et omnino justam, si quis jam in sublimitate sapientiæ collocatus, inde descendere ac libidini servire delegerit : sed utrum esse quisquam possit incertum est, qui hæc aut voluerit facere, aut velit. Quanquam enim credamus hominem tam perfecte conditum a Deo, et in beata vita constitutum, ut ad ærumnas mortalis vitæ ipse inde propria voluntate delapsus sit; tamen hoc cum firmissima fide teneam, intelligentia nondum assecutus sum : cujus rei diligentem inquisitionem, si nunc differendam putas, me invito facis.

XXIV. Verum illud quod me maxime movet, cur hujusce modi acerbissimas pœnas patiamur nos, qui certe stulti sumus, nec sapientes unquam fuimus, ut merito hæc dicamur perpeti propter desertam virtutis arcem, et electam sub libidine servitutem, quin aperias disputando, si vales, nullo modo tibi differendum esse concesserim. A. Ita isthuc dicis, quasi liquido compertum habeas

nunquam nos fuisse sapientes : attendis enim tempus ex quo in hanc vitam nati sumus. Sed cum sapientia in animo sit, utrum ante consortium hujus corporis alia quadam vita vixerit animus, et an aliquando sapienter vixerit, magna quæstio est, magnum secretum, et suo considerandum loco : neque ideo tamen hoc quod nunc habemus in manibus impeditur, quominus aperiatur ut potest.

XXV. Nam quæro abs te, sit-ne aliqua nobis voluntas? E. Nescio. A. Vis-ne hoc scire? E. Et hoc nescio. A. Nihil ergo deinceps me interroges. E. Quare? A. Quia roganti tibi respondere non debeo, nisi volenti scire quod rogas. Deinde nisi velis ad sapientiam pervenire, sermo tecum de hujusmodi rebus non est habendus. Postremo meus amicus esse non poteris, nisi velis ut bene sit mihi. Jamvero de te tu ipse videris, utrum tibi voluntas nulla sit beatæ vitæ tuæ. E. Fateor, negari non potest habere nos voluntatem : perge jam, videamus quid hinc conficias. A. Faciam : sed dic etiam prius, utrum et bonam voluntatem te habere sentias. E. Quid est bona voluntas? A. Voluntas qua appetimus recte honesteque vivere, et ad summam sapientiam pervenire. Modo tu vide utrum rectam honestamque non appetas vitam, aut esse sapiens non vehementer velis, aut certe negare audeas, cum hæc volumus nos habere voluntatem bonam. E. Nihil horum nego, et propterea me non solum voluntatem, sed etiam bonam voluntatem jam habere confiteor. A. Quanti pendis, oro te, hanc voluntatem? numquidnam ei ulla ex parte divitias, aut honores, aut voluptates corporis, aut hæc simul omnia conferenda arbitraris? E. Averterit Deus istam sceleratam dementiam. A. Parum-ne ergo gaudendum est habere nos quiddam in animo, hanc ipsam dico bonam voluntatem, in cujus comparatione abjectissima sint ea quæ commemoravimus, pro quibus adipis-

cendis multitudinem videmus hominum nullos labores, nulla pericula recusare? E. Gaudendum vero, ac plurimum. A. Quid, hoc gaudio qui non fruuntur, parvo damno eos affectos putastanti boni? E. Imo maximo.

XXVI. A. Vides igitur jam, ut existimo, in voluntate nostra esse constitutum [1], ut hoc vel fruamur vel careamus tanto et tam vero bono. Quid enim tam in voluntate, quam ipsa voluntas sita est? Quam quisque cum habet bonam, id certe habet quod terrenis omnibus regnis voluptatibusque omnibus corporis longe anteponendum sit. Quisquis autem non habet, caret profecto illa re, quam præstantiorem omnibus bonis in potestate nostra non constitutis, sola illi voluntas per se ipsam daret. Itaque cum se ipse miserrimum judicet, si amiserit gloriosam famam, ingentes opes, et quælibet corporis bona; tu eum non miserrimum judicabis, etiam si talibus abundet omnibus, cum iis inhæret quæ amittere facillime potest, neque dum vult habet, caret autem bona voluntate, quæ nec comparanda est cum istis, et cum sit tam magnum bonum, velle solum opus est, ut habeatur? E. Verissimum est. A. Jure igitur ac merito stulti homines, tametsi nunquam fuerunt sapientes, hoc enim dubium et occultissimum est, hujuscemodi afficiuntur miseria. E. Assentior.

XXVII. A. Considera nunc, utrum tibi videatur esse prudentia appetendarum et vitandarum rerum scientia. E. Videtur. A. Quid, fortitudo nonne illa est animæ affectio, qua omnia incommoda et damna rerum non in nostra potestate constitutarum contemnimus? E. Ita existimo. A. Porro temperantia est affectio coërcens et cohibens appetitum ab iis rebus, quæ turpiter appetuntur: an tu aliter putas? E. Imo ita dicis ut sentio. A. Jam justitiam quid dicamus esse, nisi virtutem qua sua cuique

[1] 1 Retract. cap. IX. n. 3.

tribuuntur ? E. Nulla mihi alia justitiæ notio est. A. Quisquis ergo bonam habens voluntatem, de cujus excellentia jam diu loquimur, hanc unam dilectione amplexetur, qua interim melius nihil habet, hac sese oblectet, hac denique perfruatur et gaudeat, considerans eam et judicans quanta sit quamque invito illi eripi vel subripi nequeat, num dubitare poterimus istum adversari rebus omnibus, quæ huic uni bono inimicæ sunt? E. Necesse est omnino ut adversetur. A. Nulla-ne hunc putamus præditum esse prudentia, qui hoc bonum appetendum, et vitanda ea quæ huic inimica sunt videt? E. Nullo modo mihi videtur hoc posse quisquam sine prudentia. A. Recte : sed cur non huic etiam fortitudinem tribuamus ? illa quippe omnia quæ in potestate nostra non sunt, amare iste ac plurimi æstimare non potest. Mala enim voluntate amantur, qui tanquam inimicæ charissimo suo bono resistat necesse est. Cum autem non amat hæc, non dolet amissa, et omnino contemnit; quod opus esse fortitudinis, dictum atque concessum est. E. Tribuamus sane : non enim intelligo quem fortem verius appellare possim, quam eum qui rebus iis, quas neque ut adipiscamur, neque ut obtineamus in nobis situm est, æquo et tranquillo animo caret; quod hunc necessario facere compertum est. A. Vide jam nunc utrum ab eo temperantiam alienare possimus, cum ea sit virtus quæ libidines cohibet. Quid autem tam inimicum bonæ voluntati est quam libido? Ex quo profecto intelligis istum bonæ voluntatis suæ amatorem resistere omni modo atque adversari libidinibus, et ideo jure temperantem vocari. E. Perge, assentior. A. Justitia restat, quæ quomodo desit huic homini, non sane video. Qui enim habet et diligit voluntatem bonam, et obsistit eis, ut dictum est, quæ huic inimica sunt, male cuiquam velle non potest. Sequitur ergo ut nemini faciat injuriam; quod

nullo pacto potest, nisi qui sua cuique tribuerit : hoc autem ad justitiam pertinere cum dicerem, approbasse te ut puto meministi. E. Ego vero memini et fateor in hoc homine, qui suam bonam voluntatem magni pendit et diligit, omnes quatuor virtutes, quæ abs te paulo ante, me assentiente, descriptæ sunt, esse compertas.

XXVIII. A. Quod igitur impedit, cur hujus vitam non concedamus esse laudabilem? E. Nihil prorsus; imo hortantur vel etiam cogunt omnia. A. Quid vitam miseram, potes-ne ullo modo non judicare fugiendam? E. Et magnopere quidem judico, nihilque aliud agendum existimo. A. At laudabilem non fugiendam profecto putas. E. Quinetiam appetendam sedulo existimo. A. Non ergo misera est, quæ laudabilis vita est. E. Hoc utique sequitur. A. Nihil jam, quantum opinor, difficile tibi ut assentiaris relinquitur, eam scilicet, quæ misera non est, beatam esse vitam. E. Manifestissimum est. A. Placet igitur beatum esse hominem dilectorem bonæ voluntatis suæ, et præ illa contemnentem quodcumque aliud bonum dicitur, cujus amissio potest accidere etiam cum voluntas tenendi manet. E. Quidni placeat, quo superiora quæ concessimus, necessario trahunt? A. Bene intelligis : sed, dic, quæso, nonne bonam voluntatem suam diligere, et tam magni æstimare quam dictum est, etiam ipsa bona voluntas est? E. Verum dicis. A. At si hunc beatum recte judicamus, nonne recte miserum, qui contrariæ voluntatis est? E. Rectissime. A. Quid ergo causæ est[1], cur dubitandum putemus, etiam si nunquam antea sapientes fuimus, voluntate nos tamen laudabilem et beatam vitam, voluntate turpem ac miseram mereri ac degere? E. Fateor huc certis et minime negandis rebus esse perventum.

XXIX. A. Vide etiam aliud : nam credo te memoria te-

[1] 2 Retract. cap. IX, n. 3.

nere, quam dixerimus esse bonam voluntatem : opinor enim, ea dicta est, qua recte atque honeste vivere appetimus. E. Ita memini. A. Hanc igitur voluntatem, si bona itidem voluntate diligamus atque amplectamur, rebusque omnibus, quas retinere non quia volumus possumus, anteponamus; consequenter illæ virtutes, ut ratio docuit, animum nostrum incolent; quas habere idipsum est recte honesteque vivere. Ex quo conficitur[1], ut quisquis recte honesteque vult vivere, si id se velle præ fugacibus bonis velit, assequatur tantam rem tanta facilitate, ut nihil aliud ei quam ipsum velle sit habere quod voluit. E. Vere tibi dico, vix me contineo quin exclamem lætitia, repente mihi oborto tam magno, et tam in facili constituto bono. A. Atqui hoc ipsum gaudium, quod hujus boni adeptione gignitur, cum tranquille et quiete atque constanter erigit animum, beata vita dicitur : nisi tu putas aliud esse beate vivere, quam veris bonis certisque gaudere. E. Ita sentio.

XXX. A. Recte : sed censes-ne quemquam hominum non omnibus modis velle atque optare vitam beatam? E. Quis dubitat omnem hominem velle? A. Cur igitur eam non adipiscuntur omnes? Dixeramus enim atque convenerat inter nos, voluntate illam mereri homines, voluntate etiam miseram, et sic mereri ut accipiant : nunc vero existit nescio quæ repugnantia, et nisi diligenter dispiciamus, perturbare nititur superiorem tam evigilatam firmamque rationem. Quomodo enim voluntate quisque miseram vitam patitur, cum omnino nemo velit misere vivere? Aut quomodo voluntate beatam vitam consequitur homo, cum tam multi miseri sint, et beati omnes esse velint? An eo evenit, quod aliud est velle bene aut male, aliud mereri aliquid per bonam vel malam voluntatem? Nam illi qui beati sunt, quos etiam bonos esse oportet, non prop-

[1] 1 Retract. cap. IX, n. 3.

terea sunt beati, quia beate vivere voluerunt; nam hoc volunt etiam mali : sed quia recte, quod mali nolunt. Quamobrem nihil mirum est, quod miseri homines non adipiscuntur quod volunt, id est, beatam vitam. Illud enim cui comes est, et sine quo ea nemo dignus est, nemoque assequitur, recte scilicet vivere, non itidem volunt. Hoc enim æterna lex illa, ad cujus considerationem redire jam tempus est [1], incommutabili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit ; in beatitate autem et miseria præmium atque supplicium. Itaque cum dicimus voluntate homines esse miseros, non ideo dicimus, quod miseri esse velint, sed quod in ea voluntate sunt, quam etiam eis invitis miseria sequatur necesse est. Quare non repugnat superiori rationi, quod volunt omnes beati esse, nec possunt : non enim volunt omnes recte vivere, cui uni voluntati vita beata debetur : nisi quid habes adversus hæc dicere. E. Ego vero nihil.

XXXI. Sed videamus jam quomodo hæc ad propositam illam quæstionem de duabus legibus referantur. A. Fiat. Sed dic mihi prius, utrum qui recte vivere diligit : eoque ita delectatur, ut non solum ei rectum sit, sed etiam dulce atque jucundum, amet hanc legem, habeatque charissimam, qua videt tributam esse bonæ voluntati beatam vitam, malæ miseram? E. Amat omnino ac vehementer : nam istam ipsam sequens ita vivit. A. Quid cum hanc amat, mutabile aliquid amat ac temporale, an stabile ac sempiternum? E. Æternum sane atque incommutabile. A. Quid illi qui in mala voluntate perseverantes, nihilominus beati esse cupiunt, possunt-ne amare istam legem, qua talibus hominibus miseria merito rependitur? E. Nullo modo arbitror. A. Nihil-ne amant aliud? E. Imo plurima, ea scilicet in quibus adipiscendis vel retinendis mala vo-

[1] 1 Retract. cap. IX, n. 3.

luntas illa persistit. A. Opinor te dicere divitias, honores, voluptates, et pulchritudinem corporis, cæteraque omnia quæ possunt et volentes non adipisci, et amittere inviti. E. Ista ipsa sunt. A. Num hæc æterna esse censes, cum temporis volubilitati videas obnoxia? E. Quis hoc vel dementissimus senserit? A. Cum igitur manifestum sit alios esse homines amatores rerum æternarum, alios temporalium, cumque duas leges esse convenerit, unam æternam, aliam temporalem, si quid æquitatis sapis, quos istorum judicas æternæ legi, quos temporali esse subdendos? E. Puto in promptu esse quod quæris: nam beatos illos ob amorem ipsorum æternorum sub æterna lege agere existimo; miseris vero temporalis imponitur. A. Recte judicas, dummodo illud inconcussum teneas, quod apertissime jam ratio demonstravit, eos qui temporali legi serviunt, non esse posse ab æterna liberos; unde omnia quæ justa sunt, justeque variantur, exprimi dicimus: eos vero qui legi æternæ per bonam voluntatem hærent, temporalis legis non indigere, satis (ut apparet) intelligis. E. Teneo quod dicis.

XXXII. A. Jubet igitur æterna lex avertere amorem a temporalibus, et eum mundatum convertere ad æterna. E. Jubet vero. A. Quid deinde censes temporalem jubere, nisi ut hæc quæ ad tempus nostra dici possunt, quando eis homines cupiditate inhærent, eo jure possideant, quo pax et societas humana servetur, quanta in his rebus servari potest? Ea sunt autem primo hoc corpus, et ejus quæ vocantur bona, ut integra valetudo, acumen sensuum, vires, pulchritudo, et si qua sunt cætera, partim necessaria bonis artibus, et ideo pluris pensanda, partim viliora. Deinde libertas, quæ quidem nulla vera est, nisi beatorum, et legi æternæ adhærentium: sed eam nunc libertatem commemoro, qua se liberos putant, qui dominos homines non habent, et quam desiderant ii, qui a dominis hominibus

manumitti volunt. Deinde parentes, fratres, conjux, liberi, propinqui, affines, familiares, et quicumque nobis aliqua necessitudine adjuncti sunt. Ipsa denique civitas, quæ parentis loco haberi solet, honores etiam et laudes, et ea quæ dicitur gloria popularis. Ad extremum pecunia, quo uno nomine continentur omnia, quorum jure domini sumus, et quorum vendendorum aut donandorum habere potestatem videmur. Horum omnium quemadmodum lex illa sua cuique distribuat, difficile et longum est explicare, et plane ad id quod proposuimus non necessarium. Satis est enim videre non ultra porrigi hujus legis potestatem in vindicando quam ut hæc vel aliquid horum adimat atque auferat ei quem punit. Metu coërcet ergo, et ad id quod vult, torquet ac retorquet miserorum animos, quibus regendis accommodata est. Dum enim hæc amittere timent, tenent in his utendis quemdam modum aptum vinculo civitatis, qualis ex hujuscemodi hominibus constitui potest. Non autem ulciscitur peccatum cum amantur ista, sed cum aliis per improbitatem auferuntur. Quamobrem vide utrum jam perventum sit ad id quod infinitum putabas. Instituerámus enim quærere, quatenus habeat jus ulciscendi ea lex, qua populi terreni civitatesque gubernantur. E. Video perventum.

XXXIII. A. Vides ergo etiam illud quod pœna non esset, sive quæ per injuriam, sive quæ per talem vindictam infertur hominibus, si eas res, quæ invito auferri possunt, non amarent? E. Id quoque video. A. Cum igitur eisdem rebus alius male, alius bene utatur; et eis quidem qui male, amore his inhæreat atque implicetur, scilicet subditus eis rebus quas ei subditas esse oportebat, et ea bona sibi constituens, quibus ordinandis beneque tractandis ipse esse utique deberet bonum: ille autem qui recte his utitur, ostendat quidem bona esse, sed non sibi;

non enim eum bonum melioremve faciunt, sed ab eo potius fiunt: et ideo non eis amore agglutinetur, neque velut membra sui animi faciat, quod fit amando, ne cum resecari cœperint, eum cruciatu ac tabe fœdent; sed eis totus superferatur, et habere illa atque regere cum opus est paratus, et amittere ac non habere paratior. Cum ergo hæc ita sint, num aut argentum et aurum propter avaros accusandum putas, aut cibos propter voraces, aut vinum propter ebriosos, aut muliebres formas propter scortatores et adulteros, atque hoc modo cætera, cum præsertim videas et igne bene uti medicum, et pane scelerate venificum. E. Verissimum est, non res ipsas, sed homines qui eis male utuntur esse culpandos.

XXXIV. A. Recte: sed quoniam et quid valeat æterna lex, ut opinor, videre jam cœpimus, et quantum lex temporalis in vindicando progredi possit, inventum est: et rerum duo genera, æternarum et temporalium, duoque rursus hominum, aliorum æternas, aliorum temporales sequentium et diligentium, satis aperteque distincta sunt[1]: quid autem quisque sectandum et amplectendum eligat, in voluntate esse positum constitit; nullaque re de arce dominandi, rectoque ordine mentem deponi, nisi voluntate: et est manifestum non rem ullam, cum ea quisque male utitur, sed ipsum male utentem esse arguendum: referamus nos, si placet, ad quæstionem in exordio hujus sermonis propositam, et videamus utrum soluta sit; nam quærere instituerámus quid sit male facere, et propter hoc omnia quæ dicta sunt, diximus. Quocirca licet nunc animadvertere et considerare, utrum sit aliud male facere, quam neglectus rebus æternis, quibus per se ipsam mens fruitur, et per se ipsam percipit, et quas amans amittere non potest, temporalia et quæ per corpus hominis partem

[1] 1 Retract. cap. IX, n. 3.

vilissimam sentiuntur, et nunquam esse certa possunt, quasi magna et miranda sectari. Nam hoc uno genere omnia malefacta, id est, peccata, mihi videntur includi. Tibi autem quid videatur, expecto cognoscere.

XXXV. E. Est ita ut dicis, et assentior omnia peccata hoc uno genere contineri, cum quisque avertitur a divinis vereque manentibus, et ad mutabilia atque incerta convertitur. Quæ quanquam in ordine suo recte locata sint, et suam quamdam pulchritudinem peragant; perversi tamen animi est et inordinati, eis sequendis subjici, quibus ad nutum suum ducendis potius divino ordine ac jure prælatus est. Et illud simul mihi videre jam videor absolutum atque compertum, quod post illam quæstionem quid sit male facere, deinceps quærere instituerámus, unde male faciamus. Nisi enim fallor, ut ratio tractata monstravit, id facimus ex libero voluntatis arbitrio. Sed quæro, utrum ipsum liberum arbitrium, quo peccandi facultatem habere convincimur, oportuerit nobis dari ab eo qui nos fecit. Videmur enim non fuisse peccaturi, si isto careremus: et metuendum est, ne hoc modo Deus etiam malefactorum nostrorum auctor existimetur. A. Nullo modo isthuc timueris: sed ut diligentius requiratur, aliud tempus sumendum est. Nam hæc sermocinatio modum terminumque jam desiderat; qua velim credas magnarum abditarumque rerum inquirendarum quasi fores esse pulsatas. In quarum penetralia cum Deo duce venire cœperimus, judicabis profecto, quantum inter hanc disputationem, et eas quæ sequuntur intersit, quantumque illa præstent, non modo investigationis sagacitate, sed etiam majestate rerum, et clarissima luce veritatis, pietas tantum adsit, ut nos divina providentia cursum, quem instituimus, tenere et perficere permittat. E. Cedo voluntati tuæ, et ei meam judicio et voto libentissime adjungo.

LIBER II.

In quo difficultate ex eo quod Libertas, qua peccatur, a Deo data sit emergente, tria hic disquiruntur : Qua ratione Deum esse manifestum sit; An ab ipso sint bona quæcumque ; Utrum im bonis censenda sit libera voluntas.

I. Jam, si fieri potest, explica mihi quare dederit Deus homini liberum voluntatis arbitrium : quod utique si non accepisset, peccare non posset. A. Jam enim certum tibi atque cognitum est Deum dedisse homini hoc, quod dari debuisse non putas? E. Quantum in superiori libro intelligere mihi visus sum, et habemus liberum voluntatis arbitrium, et nonnisi eo peccamus. A. Ego quoque memini jam nobis id factum esse perspicuum. Sed nunc interrogavi utrum hoc quod nos habere, et quo nos peccare manifestum est, Deum nobis dedisse scias. E. Nullum alium puto. Ab ipso enim sumus ; et sive peccantes, sive recte agentes, ab illo pœnam meremur aut præmium. A. Hoc quoque utrum liquido noveris, an auctoritate commotus libenter etiam incognitum credas, cupio scire. E. Auctoritati quidem me primum de hac re credidisse confirmo. Sed quid verius quam omne bonum ex Deo esse, et omne justum bonum esse, et peccantibus pœnam recteque facientibus præmium justum esse? Ex quo conficitur a Deo affici, et peccantes miseria, et recte facientes beatitate.

II. A. Nihil resisto : sed quæro illud alterum, quomodo noveris nos ab ipso esse. Neque enim hoc nunc, sed ab

ipso nos vel pœnam, vel præmium mereri explicasti. E. Hoc quoque non aliunde video esse manifestum, nisi quod jam constat Deum vindicare peccata. Si quidem ab illo est omnis justitia. Non enim ut alicujus est bonitatis alienis præstare beneficia, ita justitiæ vindicare in alienos. Unde manifestum est ad eum nos pertinere, quia non solum in nos benignissimus in præstando, sed etiam justissimus in vindicando est. Deinde ex eo quod ego posui, tuque concessisti, omne bonum ex Deo esse, etiam hominem ex Deo esse intelligi potest. Homo enim ipse in quantum homo est, aliquod bonum est; quia recte vivere, cum vult, potest[1].

III. A. Plane si hæc ita sunt, soluta quæstio est quam proposuisti. Si enim homo aliquod bonum est, et non posset nisi cum vellet recte facere, debuit habere liberam voluntatem, sine qua recte facere non posset. Non enim quia per illam etiam peccatur, ad hoc eam Deum dedisse credendum est. Satis ergo causæ est, cur dari debuerit, quoniam sine illa homo recte non potest vivere. Ad hoc autem datam vel hinc intelligi potest, quia si quis ea usus fuerit ad peccandum, divinitus in eum vindicatur. Quod injuste fieret, si non solum ut recte viveretur, sed etiam ut peccaretur, libera esset voluntas data. Quomodo enim juste vindicaretur in eum, qui ad hanc rem usus esset voluntate, ad quam rem data est? Nunc vero Deus cum peccantem punit, quid videtur tibi aliud dicere nisi: Cur non ad eam rem usus es libera voluntate, ad quam tibi eam dedi, hoc est, ad recte faciendum? Deinde illud bonum, quo commendatur ipsa justitia in damnandis peccatis recteque factis honorandis, quomodo esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio? Non enim aut peccatum esset aut recte factum, quod non fieret voluntate. Ac per hoc et pœna injusta esset et præmium, si homo voluntа-

[1] 1 Retract. cap. IX, n. 3.

tem non haberet liberam. Debuit autem et in supplicio, et in præmio esse justitia; quoniam hoc unum est bonorum quæ sunt ex Deo. Debuit igitur Deus dare homini liberam voluntatem.

IV. E. Jam concedo eam Deum dedisse. Sed nonne tibi videtur, quæso te, si ad recte faciendum data est, quod non debuerit ad peccandum posse converti? sicut ipsa justitia quæ data est homini ad bene vivendum : numquid enim potest quispiam per justitiam suam male vivere? Sic nemo posset per voluntatem peccare, si voluntas data esset ad recte faciendum. A. Donabit quidem Deus, ut spero, ut tibi valeam respondere, vel potius ut ipse tibi eadem, quæ summa omnium magistra est, veritate intus docente respondeas. Sed paulisper mihi volo dicas, si id quod abs te quæsiveram, certum et cognitum tenes, Deum nobis dedisse liberam voluntatem, utrum oporteat dicere dari non debuisse, quod dedisse confitemur Deum. Si enim incertum est utrum dederit, recte quærimus utrum bene sit data : ut cum invenerimus bene datam esse, inveniatur etiam illum dedisse, a quo homini data sunt omnia bona; si autem invenerimus non bene datam esse, non eum dedisse intelligamus, quem culpare nefas est. Si vero certum est, quod ipse illam dederit, oportet fateamur, quoquo modo data est, neque non dari, neque aliter dari eam debuisse quam data est. Ille enim dedit, cujus factum recte reprehendi nullo pacto potest.

V. E. Quanquam hæc inconcussa fide teneam, tamen quia cognitione nondum teneo, ita quæramus quasi omnia incerta sint. Video enim ex hoc quod incertum est, utrum ad recte faciendum voluntas libera data sit, cum per illam etiam peccare possimus, fieri etiam illud incertum, utrum dari debuerit. Si enim incertum est ad recte faciendum datam esse, incertum est etiam dari debuisse : ac per hoc

etiam utrum eam Deus dederit, incertum erit; quia si incertum est dari debuisse, incertum est ab eo datam esse, quem nefas est credere dedisse aliquid, quod dari non debuit. A. Illud saltem tibi certum est, Deum esse. E. Etiam hoc non contemplando, sed credendo inconcussum teneo. A. Si quis ergo illorum insipientium, de quibus scriptum est: « Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus [1], » hoc tibi diceret, nec vellet tecum credere quod credis, sed cognoscere utrum vera credideris, relinqueres-ne hominem, an aliquo modo, quod inconcussum tenes persuadendum esse arbitrareris; præsertim si ille non obluctari pervicaciter, sed studiose id vellet agnoscere? E. Hoc quod ultimum posuisti, satis me admonet quid ei respondere deberem. Certe enim quamvis esset absurdissimus, concederet mihi, cum doloso et pervicaci de nulla omnino et maxime de re tanta non esse disserendum. Quo concesso, prior mecum ageret, ut sibi crederem bono animo cum isthuc quærere, neque aliquid in se, quod ad rem hanc attinet, doli ac pervicaciæ latere. Tum ego demonstrarem quod cuivis facillimum puto, quanto esset æquius, cum sibi de occultis animi sui quæ ipse nosset, vellet alterum credere qui non nosset, ut etiam ipse tantorum virorum libris, qui se cum Filio Dei vixisse testatum litteris reliquerunt, esse Deum crederet; quia et ea se vidisse scripserunt, quæ nullo modo fieri possent, si non esset Deus; et nimium stultus esset, si me reprehenderet quod illis crediderim, qui sibi vellet ut crederem. Jamvero quod recte reprehendere non valeret, nullo modo reperiret cur etiam nollet imitari. A. Si ergo utrum sit Deus, satis esse existimas, quod non temere tantis viris credendum esse judicavimus; cur non, quæso te, de iis quoque rebus, quas tanquam incertas et plane incognitas quærere instituimus, similiter putas

[1] Psal. LII, 1.

eorumdem virorum auctoritati sic esse credendum, ut de investigatione earum nihil amplius laboremus? E. Sed nos id quod credimus, nosse et intelligere cupimus.

VI. A. Recte meministi, quod etiam in exordio superioris disputationis a nobis positum esse[1], negare non possumus. Nisi enim aliud esset credere, et aliud intelligere, et primo credendum esset, quod magnum et divinum intelligere cuperemus, frustra Propheta dixisset : « Nisi cre- » dideritis, non intelligetis[2]. » Ipse quoque Dominus noster et dictis et factis ad credendum primo hortatus est, quos ad salutem vocavit. Sed postea cum de ipso dono loqueretur, quod erat daturus credentibus, non ait: Hæc est autem vita æterna ut credant, sed : « Hæc est, inquit, » vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et » quem misisti Jesum Christum[3]. » Deinde jam credentibus dicit : « Quærite et invenietis[4] : » nam neque inventum dici potest, quod incognitum creditur; neque quisquam inveniendo Deo fit idoneus, nisi antea crediderit, quod est postea cogniturus. Quapropter Domini præceptis obtemperantes quæramus instanter. Quod enim hortante ipso quærimus, eodem ipso demonstrante inveniemus, quantum hæc in hac vita, et a nobis talibus inveniri queunt : nam et a melioribus etiam dum has terras incolunt, et certe a bonis et piis omnibus post hanc vitam, evidentius atque perfectius ista cerni obtinerique credendum est; et nobis ita fore sperandum est, et ista contemptis terrenis et humanis, omni modo desideranda et diligenda sunt.

VII. Quæramus autem hoc ordine, si placet : primum quomodo manifestum est Deum esse : deinde utrum ab illo sint, quæcumque in quantumcumque sunt bona : postremo utrum in bonis numeranda sit voluntas libera.

[1] Vide supra, lib. I. n. . — [2] Isai. VII, 9, juxta LXX. — [3] Joan. XVII, 13. — [4] Matth. VII, 7.

Quibus compertis satis apparebit, ut opinor, utrum recte homini data sit. Quare prius abs te quæro, ut de manifestissimis capiamus exordium, utrum tu ipse sis, an te fortasse metuis, ne in hac interrogatione fallaris, cum utique si non esses, falli omnino non posses? E. Perge potius ad cætera. A. Ergo quoniam manifestum est esse te, nec tibi aliter manifestum esset, nisi viveres, id quoque manifestum est vivere te : intelligis-ne ista duo esse verissima? E. Prorsus intelligo. A. Ergo etiam hoc tertium manifestum est, hoc est, intelligere te. E. Manifestum. A. Quid in his tribus tibi videtur excellere? E. Intelligentia. A. Cur tibi hoc videtur? E. Quia cum tria sint hæc, esse, vivere, intelligere; et lapis est, et pecus vivit, nec tamen lapidem puto vivere, aut pecus intelligere : qui autem intelligit, eum et esse et vivere certissimum est : quare non dubito id excellentius judicare, cui omnia tria insunt, quam id cui duo vel ūnum desit. Nam quod vivit, utique et est, sed non sequitur ut etiam intelligat : qualem vitam esse pecoris arbitror. Quod autem est, non utique consequens est, ut et vivat et intelligat : nam esse cadavera possum fateri, vivere autem nullus dixerit. Jamvero quod non vivit, multo minus intelligit. A. Tenemus igitur horum trium duo deesse cadaveri, unum pecori, nihil homini. E. Verum est. A. Tenemus etiam id esse in his tribus præstantius, quod homo cum duobus cæteris habet, id est, intelligere, quod habentem sequitur et esse et vivere. E. Tenemus sane.

VIII. A. Dic mihi jam, utrum illos vulgatissimos corporis sensus habere te noveris, videndi et audiendi et olfaciendi et gustandi et tangendi. E. Novi. A. Quid putas pertinere ad videndi sensum, id est, quid putas nos videndo sentire? E. Quæcumque corporalia. A. Num etiam dura et mollia videndo sentimus? E. Non. A. Quid ergo

proprie ad oculos pertinet, quod per eos sentimus? E. Color. A. Quid ad aures? E. Sonus. A. Quid ad olfactum? E. Odor. A. Quid ad gustum? E. Sapor. A. Quid ad tactum? E. Molle vel durum, lene vel asperum, et multa talia. A. Quid corporum formas, magnas, breves, quadras, rotundas, et si quid hujusmodi est, nonne et tangendo et videndo sentimus, et ideo nec visui proprie, nec tactui tribui possunt, sed utrique? E. Intelligo. A. Intelligis ergo et quædam singulos sensus habere propria, de quibus renuntient, et quædam quosdam habere communia? E. Et hoc intelligo. A. Quid igitur ad quemque sensum pertineat, et quid inter se vel omnes vel quidam eorum communiter habeant, num possumus ullo eorum sensu dijudicare? E. Nullo modo, sed quodam interiore ista dijudicantur. A. Num fortasse ipsa est ratio, qua bestiæ carent? nam, ut opinor, ratione ista comprehendimus, et ita sese habere cognoscimus. E. Magis nos arbitror ratione comprehendere esse interiorem quemdam sensum, ad quem ab istis quinque notissimis cuncta referantur. Namque aliud est quo videt bestia, aliud quo ea, quæ videndo sentit, vel vitat vel appetit : ille enim sensus in oculis est, ille autem intus in ipsa anima ; quo non solum ea quæ videntur, sed etiam quæ audiuntur, quæque cæteris capiuntur corporis sensibus, vel appetunt animalia delectata et assumunt, vel offensa devitant et respuunt. Hic autem nec visus, nec auditus, nec olfactus, nec gustatus, nec tactus dici potest, sed nescio quid aliud quod omnibus communiter præsidet. Quod cum ratione comprehendamus, ut dixi, hoc ipsum tamen rationem vocare non possum ; quoniam et bestiis inesse manifestum est.

IX. A. Agnosco istud quidquid est, et eum interiorem sensum appellare non dubito. Sed nisi et istum transeat, quod ad nos refertur a sensibus corporis, pervenire

ad scientiam non potest. Quidquid enim scimus, id ratione comprehensum tenemus. Scimus autem, ut de cæteris taceam, nec colores auditu, nec voces visu posse sentiri. Et cum hoc scimus, nec oculis, nec auribus scimus, neque illo sensu interiore, quo nec bestiæ carent. Non enim credendum est eas nosse, nec auribus sentiri lucem, nec oculis vocem, quoniam ista nonnisi rationali animadversione et cogitatione discernimus. E. Non possum dicere hoc me habere perceptum. Quid si enim sensu illo interiore, quo eas non carere concedis, hoc quoque dijudicant, nec colores auditu nec visu voces posse sentiri? A. Num etiam putas eas posse discernere ab invicem colorem qui sentitur, et sensum qui in oculo est, et interiorem illum sensum apud animam, et rationem qua ista singillatim definiuntur et dinumerantur? E. Nullo modo. A. Quid, ista ratio posset hæc quatuor discernere ab invicem et definitionibus terminare, nisi ad eam referretur et color per oculorum sensum, et ipse rursus per illum interiorem qui ei præsidet, et idem interior per se ipsum, si tamen jam nihil aliud interpositum est? E. Non video quomodo aliter posset. A. Quid, hoc vides-ne, sensu oculorum colorem sentiri, eumdem autem sensum eodem sensu non sentiri? non enim quo sensu colorem vides, hoc eodem vides etiam ipsum videre. E. Non omnino. A. Enitere etiam ista dijudicare: nam credo te non negare aliud colorem esse, et aliud colorem videre, et item aliud etiam cum color non subest habere sensum, quo videri posset si subesset? E. Discerno et ista, et inter se differre concedo. A. Num horum trium quidquam vides oculis nisi colorem? E. Nihil aliud. A. Dic ergo, unde videas alia duo, non enim ea non visa posses discernere. E. Nescio quid aliud; esse scio, nihil amplius. A. Nescis igitur utrum jam ipsa sit ratio, an illa vita sit quam sensum interiorem vocamus

præcellentem sensibus corporis, an aliquid aliud? E. Nescio. A. Illud tamen scis, ea definiri nisi ratione non posse; neque rationem id facere, nisi de iis quæ sibi examinanda offeruntur. E. Certum est. A. Quidquid igitur est aliud quo sentiri potest omne quod scimus, ministerium rationis est, cui offert et renuntiat quidquid attingit, ut ea quæ sentiuntur discerni suis finibus possint, et non sentiendo tantum, sed etiam sciendo comprehendi. E. Ita est. A. Quid ipsa ratio quæ ministros suos, et ea quæ suggerunt, discernit ab invicem, et item quid inter hæc et se ipsam distet, agnoscit, seque illis præpotentiorem esse confirmat, num alia re se ipsam nisi se ipsa, id est, rationem comprehendit? an aliter scires te habere rationem, nisi id ratione perciperes? E. Verissimum est. A. Quoniam ergo cum colorem sentimus, non itidem sensu ipso nos sentire etiam sentimus; neque cum audimus sonum, nostrum etiam audimus auditum; neque cum olfacimus rosam, olet nobis aliquid et ipse olfactus; neque quidquam gustantibus sapit in ore ipse gustus, nec tangentes aliquid, ipsum etiam tangendi sensum possumus tangere: manifestum est quinque istos sensus nullo eorum sensu posse sentiri, quamvis eis corporalia quæque sentiantur. E. Manifestum est.

X. A. Arbitror etiam illud esse manifestum, sensum illum interiorem, non ea tantum sentire quæ acceperit a quinque sensibus corporis; sed etiam ipsos ab eo sentiri. Non enim aliter bestia moveret se, vel appetendo aliquid, vel fugiendo, nisi se sentire sentiret, non ad sciendum, nam hoc rationis est, sed tantum ad movendum, quod non utique aliquo illorum quinque sentit. Quod si adhuc obscurum est, elucescet si animadvertas quod exempli gratia sat est in uno aliquo sensu, velut in visu. Namque aperire oculum, et movere aspiciendo ad id quod videre

appetit, nullo modo posset, nisi oculo clauso vel non ita moto se id non videre sentiret. Si autem sentit se non videre dum non videt, necesse est etiam sentiat se videre dum videt; quia cum eo appetitu non movet oculum videns, quo movet non videns, indicat se utrumque sentire. Sed utrum et se ipsam hæc vita sentiat, quæ se corporalia sentire sentit, non ita clarum est, nisi quod se quisque intus interrogans, invenit omnem rem viventem fugere mortem; quæ cum sit vitæ contraria, necesse est ut vita etiam se ipsam sentiat, quæ contrarium suum fugit. Quod si adhuc non liquet, omittatur, ut non nitamur ad id quod volumus, nisi certis manifestisque documentis. Manifesta enim sunt, sensu corporis sentiri corporalia; eumdem autem sensum hoc eodem sensu non posse sentiri; sensu autem interiore et corporalia per sensum corporis sentiri, et ipsum corporis sensum: ratione vero et illa omnia, et eamdem ipsam notam fieri, et scientia contineri: an tibi non videtur? E. Videtur sane. A. Age nunc, responde unde sit quæstio, ad cujus solutionem pervenire cupientes, jam diu istam molimur viam.

XI. E. Quantum memini, trium illarum quæstionum quas paulo ante ad contexendum ordinem hujus disputationis posuimus, nunc prima versatur, id est, quomodo manifestum fieri possit, quamvis tenacissime firmissimeque credendum sit, Deum esse. A. Recte hoc tenes: sed etiam illud diligenter tenere te volo, cum de te ipso quærerem, utrum te esse noveris, non solum hoc, sed etiam alia duo nobis apparuisse quod noveris. E. Id quoque teneo. A. Nunc ergo vide ad quam rem istarum trium intelligas pertinere omne quod corporis sensus attingit, id est, in quo rerum genere tibi ponendum videatur, quidquid vel oculorum, vel alio quolibet corporis instrumento noster sensus attingit: utrum in eo quod tantum est, an in

eo quod etiam vivit, an in eo quod etiam intelligit. E. In eo quod tantum est. A. Quid ipsum sensum in quo genere trium horum esse censes? E. In eo quod vivit. A. Quid igitur horum duorum melius esse judicas, sensum ipsum, an quod sensus attingit? E. Sensum scilicet. A. quare? E. Quia melius est id quod etiam vivit, quam id quod tantum est.

XII. A. Quid illum sensum interiorem, quem quidem infra rationem, et adhuc nobis communem cum bestiis superius indagavimus, dubitabis-ne huic sensui præponere quo corpus attingimus, et quem jam ipsi corpori præponendum esse dixisti? E. Nullo modo dubitaverim. A. Etiam hoc cur non dubites, volo abs te audire. Non enim poteris dicere hunc sensum interiorem jam in eo genere trium illorum esse ponendum, quod etiam itelligit, sed adhuc in eo quod et est et vivit, etiam si intellectu caret: iste enim sensus inest et bestiis, quibus intellectus non inest. Quæ cum ita sint, quæro cur præponas sensum interiorem huic sensui quo corporalia sentiuntur, cum sit uterque in eo genere quod vivit. Sensum autem istum qui corpora attingit, ideo præposuisti corporibus, quia illa sunt in eo genere quod tantum est, iste vero in eo quod etiam vivit: in quo cum et ille interior reperiatur, cur eum meliorem putes dic mihi. Si enim dixeris, quia ille istum sentit, non te credo inventurum regulam qua figere possimus, omne sentiens melius esse quam id quod ab eo sentitur; ne fortassis ex hoc etiam cogamur dicere, omne intelligens melius esse quam id quod ab eo intelligitur. Hoc enim falsum est; quia homo intelligit sapientiam, et non est melior quam ipsa sapientia. Quamobrem vide qua causa tibi visum sit, sensum interiorem huic sensui quo sentimus corpora, esse præferendum. E. Quia moderatorem et judicem quemdam hujus illum esse cog-

nosco. Nam et si quid huic in officio suo defuerit, ille tanquam debitum a ministro flagitat, sicut paulo ante disputatum est. Non enim se videre, aut non videre sensus oculi videt; et quia non videt, non potest quid sibi desit, aut quid satis sit judicare; sed ille interior, quo admonetur et anima bestiæ aperire oculum clausum, et quod deesse sentit implere. Nulli autem dubium est cum qui judicat, eo de quo judicat esse meliorem. A. Cernis ergo istum etiam corporis sensum de corporibus quodam modo judicare? Ad illum enim pertinet voluptas et dolor, cum vel leniter vel aspere corpore attingitur. Nam sicut ille interior quid desit vel satis sit oculorum sensui judicat: sic ipse sensus oculorum quid desit vel satis sit coloribus judicat. Item sicut ille interior de auditu nostro judicat, utrum minus an sufficienter intentus sit: sic judicat auditus ipse de vocibus, quid earum leniter influat, aut aspere perstrepat. Non necesse est cæteros sensus corporis persequi: jam enim, ut opinor, animadvertis quid velim dicere, ita scilicet sensum illum interiorem de istis corporis sensibus judicare, cum eorum et integritatem probat, et debitum flagitat, quemadmodum et ipsi corporis sensus de corporibus judicant, assumentes in eis lenem tactum, rejicientesque contrarium. E. Cerno sane, et verissima esse consentio.

XIII. A. Attende jam utrum ratio etiam de hoc interiore sensu judicet. Jam enim non quæro, utrum eam meliorem illo esse dubites, quia non dubito id te judicare: quanquam ne id quidem jam quærendum putem, utrum de isto sensu judicet ratio. Namque in iis ipsis quæ infra eam sunt, id est, in corporibus et in sensibus corporis et isto interiore sensu, quomodo sit aliud alio melius, et quam sit illis præstantior ipsa, quæ tandem nisi ipsa renuntiat? quod profecto nullo modo posset, nisi de his

ipsa judicaret. E. Manifestum est. A. Cum ergo eam naturam quæ tantum est, nec vivit, nec intelligit, sicuti est corpus exanime, præcedat ea natura quæ non tantum est, sed etiam vivit nec intelligit, sicuti est anima bestiarum; et rursus hanc præcedat ea, quæ simul et est, et vivit, et intelligit, sicut in homine mens nationalis : num arbitraris in nobis, id est, in his quibus natura nostra completur ut homines simus, aliquid inveniri posse præstantius, quam hoc quod in tribus tertio loco posuimus ? Nam et corpus nos habere manifestum est, et vitam quamdam qua ipsum corpus animatur atque vegetatur, quæ duo etiam in bestiis agnoscimus, et tertium quiddam quasi animæ nostræ caput aut oculum, aut si quid congruentius de ratione atque intelligentia dici potest, quam non habet natura bestiarum. Quare vide, obsecro, utrum aliquid invenire possis, quod sit in natura hominis ratione sublimius. E. Nihil omnino melius video.

XIV. A. Quid si aliquid invenire potuerimus, quod non solum esse non dubites, sed etiam ipsa nostra ratione præstantius, dubitabis-ne illud quidquid est, Deum dicere? E. Non continuo si quid melius quam id quod in mea natura optimum est invenire potuero, Deum esse dixerim. Non enim mihi placet Deum appellare, quo mea ratio est inferior, sed quo nullus est superior. A. Ita plane : nam ipse huic tuæ rationi dedit, tam de se pie vereque sentire. Sed quæso te, si non inveneris esse aliquid supra nostram rationem, nisi quod æternum atque incommutabile est, dubitabis-ne hunc Deum dicere? Nam et corpora mutabilia esse cognoscis, et ipsam vitam qua corpus animatur, per affectus varios mutabilitate non carere manifestum est; et ipsa ratio cum modo ad verum pervenire nititur, modo non nititur, et aliquando pervenit, aliquando non pervenit, mutabilis esse profecto

convincitur. Quæ si nullo adhibito corporis instrumento, neque per tactum, neque per gustatum, neque olfactum, neque per aures, neque per oculos, neque per ullum sensum se inferiorem, sed per se ipsam cernit æternum aliquid et incommutabile, simul et se ipsam inferiorem, et illum oportet Deum suum esse fateatur. E. Hunc plane fatebor Deum, quo nihil superius esse constiterit. A. Bene habet : nam mihi satis erit ostendere esse aliquid hujusmodi, quod aut fateberis Deum esse, aut si aliquid supra est, eum ipsum Deum esse concedes. Quare sive supra sit aliquid, sive non sit, manifestum erit Deum esse, cum ego quod promisi esse supra rationem, eodem ipso adjuvante monstravero. E. Demonstra ergo quod polliceris.

XV. A. Faciam : sed prius quæro, utrum sensus corporis meus idem sit qui tuus, an vero meus non sit nisi meus, et tuus non sit nisi tuus : quod si non ita esset, non possem per oculos meos videre aliquid, quod tu non videres. E. Concedo prorsus, quamvis ejusdem generis, tamen singulos nos habere sensus, videndi, vel audiendi, vel quoslibet alios cæterorum. Non enim solum videre, sed etiam audire potest aliquis hominum quod alius non audiat, et aliud aliquid quolibet alio sensu quisquam sentire quod alius non sentiat. Unde manifestum est et tuum nonnisi tuum, et meum sensum non esse nisi meum. A. Hoc idem respondebis de illo etiam sensu interiore, an aliquid aliud ? E. Nihil sane aliud. Nam et ille utique sensum meum sentit meus, et tuum sentit tuus : nam ideo plerumque interrogor ab eo, qui aliquid videt utrum hoc etiam ego videam, quia ego me videre aut non videre sentio, non ille qui interrogat. A. Quid ipsam rationem, nonne unusquisque nostrum habet suam ? quandoquidem fieri potest ut ego aliquid intelligam, cum tu id non in-

telligis ; nec utrum intelligam tu scire possis, ego autem sciam. Manifestum est etiam rationales mentes singulos quosque nostrum singulas habere.

XVI. A. Num etiam poteris dicere singulos soles nos habere quos videmus, aut lunas, aut luciferos, aut cætera hujusmodi, quamvis suo quisque ac proprio sensu ista videat ? E. Nullo modo isthuc dixerim. A. Possumus ergo videre unum aliquid multi simul, cum sint sensus nostri nobis singulis singuli, quibus omnibus illud unum sentimus quod simul videmus ; ut quamvis alius sensus meus sit, et alius tuus, possit tamen fieri, ut id quod videmus non sit aliud meum, aliud tuum ; sed illud unum præsto sit utrique nostrum, et simul ab utroque videatur. E. Manifestissimum est. A. Possumus etiam unam aliquam vocem simul audire, ut quamvis alius sit auditus meus, alius tuus, non sit tamen alia mea, et alia tua vox quam simul audimus, vel alia pars ejus auditu meo capiatur, et alia tuo, sed quidquid sonuerit, et unum et totum audiendum simul adsit ambobus. E. Et hoc manifestum est.

XVII. A. Jam etiam de cæteris sensibus corporis licet animadvertas quod dicimus, neque omnino illos, quod ad hanc rem attinet, ita se habere ut illos duos oculorum et aurium, neque omnino non ita. Nam quia ex uno aëre et ego et tu possumus implere spiramentum, et ejus aëris affectionem odore sentire : et item quia ex uno melle vel quolibet alio cibo seu potu ambo gustare possumus, et ejus affectionem sapore sentire, quamvis ille unus sit, nostri autem sint sensus singuli, tibi tuus et mihi meus ; ut unum odorem vel unum saporem cum ambo sentiamus, nec tu tamen eum meo sensu sentias, nec ego tuo, nec aliquo uno qui utriusque nostrum possit esse communiter, sed prorsus mihi meus sensus sit, et tuus tibi, etiam

si unus aut odor aut sapor ab utroque sentiatur : hinc ergo isti sensus inveniuntur habere aliquid tale, quale illi duo in visu et auditu ; sed in eo dispares sunt, quantum ad id quod nunc agimus pertinet, quod etsi unum aërem naribus ambo trahimus, aut unum cibum gustando capimus ; non tamen eam partem aëris duco quam tu, nec eamdem partem cibi sumo quam tu, sed aliam ego, aliam tu : et ideo de toto aëre cum spiro, duco partem quanta mihi satis est, et tu item de toto aliam quanta tibi satis est ducis : et cibus quamvis unus et totus ab utroque absumatur, non tamen et a me totus, et a te totus absumi potest, quomodo verbum et ego totum audio, et tu totum simul, et speciem quamlibet quantam ego video, tantam et tu simul ; sed cibi vel potionis alia pars in me, alia in te transeat necesse est : an parum ista intelligis ? E. Imo vero apertissima et certissima esse consentio.

XVIII. A. Num censes tangendi sensum comparandum esse oculorum et aurium sensibus in ea re de qua nunc agitur ; quia non solum corpus unum ambo possumus sentire tangendo, sed etiam eamdem partem tu quoque poteris tangere quam ego tetigero, ut non solum idem corpus, sed eamdem quoque corporis partem possimus ambo sentire tangendo ? Non enim sicuti cibum aliquem appositum non possumus et ego totum et tu totum capere, cum ambo illo vescimur, sic etiam in tangendo accidit : sed et unum et totum quod ego tetigero, etiam tu potes, ut id ambo tangamus, non singulis partibus, sed totum singuli. E. Fateor hoc modo duobus illis superioribus sensibus, hunc tangendi sensum esse simillimum : sed in hoc video esse dissimilem, quod simul, id est, uno tempore, et videre aliquid unum totum ambo possumus et audire ; tangere autem possumus quidem totum aliquid

ambo uno tempore, sed partibus singulis : eamdem autem partem nonnisi temporibus singulis : nam nulli parti quam tactu capis, possum meum tactum admovere, nisi tu admoveris tuum.

XIX. A. Vigilantissime respondisti : sed oportet te etiam illud videre, cum horum omnium quæ sentimus, alia sint quæ ambo, alia quæ singuli sentiamus; ipsos vero sensus nostros suos quisque singuli sentiamus, ut neque ego sentiam sensum tuum, neque tu meum, quod de his rebus quæ sentiuntur a nobis per corporis sensus, id est, quod de corporalibus rebus non possumus sentire ambo, sed singuli, nisi quod ita fit nostrum, ut hoc in nos vertere et commutare possimus, sicuti est cibus et potus, cujus nullam partem quam ego percepero, et tu percipere poteris : quia etsi nutrices alimenta mansa infantibus reddunt, illud tamen quod inde gustatus rapuerit atque in mandentis viscera commutaverit, nullo modo revocari poterit ut in escam refundatur infantis. Gula enim cum aliquid jucunde sapit, etiam si exiguam, tamen irrevocabilem partem sibi vindicat, et hoc cogit fieri quod naturæ corporis convenit; quod nisi ita esset, nullus remaneret sapor in ore posteaquam fuerint mansa illa reddita atque deputa. Quod etiam de aëris partibus recte dici potest, quas naribus ducimus : nam etiam si aliquid aëris quod ego reddidero, possis etiam tu ducere, non tamen poteris etiam illud, quod inde in alimentum meum cesserit; quia nec reddi potest. Nam etiam naribus alimentum nos capere medici docent : quod alimentum et spirando solus sentire possum, et reflando restituere non possum, ut abs te etiam ductum naribus sentiatur. Nam cætera sensibilia quæ quamvis sentiamus, non tamen ea sentiendo in nostrum corpus corrupta mutamus, possumus ea, sive uno tempore, sive singulis vicissim temporibus ambo sentire,

sic ut vel totum vel pars ipsa quam sentio, abs te etiam sentiatur ; qualia sunt, sive lux, sive sonus, sive corpora quæ attingimus, non tamen lædimus. E. Intelligo. A. Manifestum est ergo ea, quæ non commutamus et tamen sentimus corporis sensibus, et non pertinere ad naturam sensuum nostrorum, et propterea magis nobis esse communia, quia in nostrum proprium et quasi privatum non vertuntur atque mutantur. E. Prorsus assentior. A. Proprium ergo et quasi privatum intelligendum est, quod unicuique nostrum soli est, et quod in se solus sentit, quod ad suam naturam proprie pertinet : commune autem est quasi publicum, quod ab omnibus sentientibus nulla sui corruptione atque commutatione sentitur. E. Ita est.

XX. A. Age, nunc attende, et dic mihi utrum inveniatur aliquid, quod omnes ratiocinantes sua quisque ratione atque mente communiter videant, cum illud quod videtur præsto sit omnibus, nec in usum eorum quibus præsto est commutetur, quasi cibus aut potio, sed incorruptum integrumque permaneat, sive illi videant, sive non videant : an forte nihil hujusmodi esse arbitraris? E. Imo multa esse video, e quibus unum commemorari satis est, quod ratio et veritas numeri omnibus ratiocinantibus præsto est, ut omnis eam computator sua quisque ratione et intelligentia conetur apprehendere : et alius id facilius, alius difficilius possit, alius omnino non possit : cum tamen ipsa æqualiter omnibus se præbeat valentibus eam capere ; nec cum eam quisque percipit, in sui perceptoris quasi alimentum vertatur atque mutetur ; nec cum in ea quisque fallitur, ipsa deficiat, sed ea vera et integra permanente, ille in errore sit tanto amplius, quanto minus eam videt.

XXI. A. Recte sane : sed video te tanquam non rudem

harum rerum cito invenisse quod diceres : tamen si tibi aliquis diceret, numeros istos non ex aliqua sua natura, sed ex iis rebus quas sensu corporis attingimus, impressos esse animo nostro quasi quasdam imagines quorumque visibilium, quid responderes? an tu quoque id putas? E. Nullo modo id putaverim : non enim si sensu corporis percepi numeros, idcirco etiam rationem partitionis numerorum vel copulationis sensu corporis percipere potui. Hac enim luce mentis refello eum, quisquis vel in addendo vel in retrahendo dum computat falsam summam renuntiaverit. Et quidquid sensu corporis tango, veluti est hoc cœlum et hæc terra, et quæcumque in eis alia corpora sentio, quandiu futura sint nescio : septem autem et tria decem sunt; et non solum nunc, sed etiam semper, neque ullo modo aliquando septem et tria non fuerunt decem, aut aliquando septem et tria non erunt decem. Hanc ergo incoruptibilem numeri veritatem, dixi mihi et cuilibet ratiocinanti esse communem.

XXII. A. Non resisto tibi verissima et certissima respondenti. Sed ipsos quoque numeros non per corporis sensus attractos esse facile videbis, si cogitaveris quemlibet numerum tot vocari quoties unum habuerit : verbi gratia : si bis habuerit unum, duo vocantur; si ter, tria; et si decies unum habent, tunc vocantur decem : et quilibet omnino numerus quoties habet unum, hinc illi nomen est, et tot appellatur. Unum vero quisquis verissime cogitat, profecto invenit corporis sensibus non posse sentiri. Quidquid enim tali sensu attingitur, jam non unum, sed multa esse convincitur : corpus est enim, et ideo habet innumerabiles partes. Sed ut minutas quasque minusque articulatas non persequar, quantulumcumque illud corpusculum sit, habet certe aliam partem dexteram, aliam sinistram, aliam superiorem, aliam inferio-

rem ; aut aliam ulteriorem, aliam citeriorem ; aut alias finales, aliam mediam : hæc enim necesse est quamlibet exiguo corporis modulo inesse fateamur : et propterea nullum corpus vere pureque unum esse concedimus : in quo tamen non possent tam multa numerari nisi illius unius cognitione discreta. Cum enim quæro unum in corpore, et me non invenire non dubito, novi utique quid ibi quæram, et quid ibi non inveniam, et non posse inveniri, vel potius omnino ibi non esse. Ubi ergo novi quod non est corpus unum, quid sit unum novi : unum enim si non nossem, multa in corpore numerare non possem. Ubicumque autem unum noverim, non utique per corporis sensum novi ; quia per corporis sensum non novi nisi corpus, quod vere pureque unum non esse convincimus. Porro si unum non percepimus, corporis sensu, nullum numerum eo sensu percepimus, eorum duntaxat numerorum quos intelligentia cernimus. Nullus enim est ex iis, qui non tot vocetur, quoties habet unum, cujus perceptio corporis sensu non fit. Cujuslibet enim corpusculi pars dimidia quantis duabus totum constat, habet et ipsa dimidiam suam. Sic ergo sunt illæ duæ partes in corpore, ut nec ipsæ simpliciter duæ sint. Numerus autem ille qui vocatur duo, quoniam bis habet illud quod simpliciter unum est, pars ejus dimidia, id est, illud ipsum quod simpliciter unum est, non potest rursus habere dimidiam partem vel tertiam, vel quotamlibet, quoniam simplex et vere unum est.

XXIII. Deinde quoniam tenentes ordinem numerorum, post unum duo videmus, qui numerus ad unum collatus, duplus invenitur : duplus duorum non consequenter adjungitur, sed interposito ternario quaternarius sequitur, qui duplus est duorum. Et hæc ratio per omnes cæteros numeros certissima et incommutabili lege pertenditur,

ut post unum, id est, post primum omnium numerorum, ipso excepto primus sit qui duplum ejus habet; duo enim sequuntur. Post secundum autem, id est, post duo, ipso excepto secundus sit qui duplum ejus habet : post duo enim primus est ternarius secundus quaternarius, duplus secundi. Post tertium, id est, ternarium, ipso excepto tertius sit qui duplus est ejus : post tertium enim, id est, post ternarium primus est quaternarius, secundus quinarius, tertius senarius, qui duplus est tertii. Atque ita post quartum, ipso excepto quartus habet duplum ejus : post quartum enim, id est, quaternarium, primus est quinarius, secundus senarius, tertius septenarius, quartus octonarius, qui duplex est quarti. Atque ita per omnes cæteros reperies hoc quod in prima copula numerorum, id est, uno et duobus inventum est, ut quotus quisque numerus est ab ipso principio, totus post illum sit duplus ejus. Hoc ergo quod per omnes numeros esse immobile, firmum incorruptumque conspicimus, unde conspicimus? non enim ullus ullo sensu corporis omnes numeros attingit; innumerabiles enim sunt : unde ergo novimus per omnes hoc esse, aut qua phantasia vel phantasmate tam certa veritas numeri per innumerabilia tam fidenter, nisi in luce interiore conspicitur, quam corporalis sensus ignorat?

XXIV. His et talibus multis documentis coguntur fateri, quibus disputantibus Deus donavit ingenium, et pertinacia caliginem non obducit, rationem veritatemque numerorum, et ad sensus corporis non pertinere, et invertibilem sinceramque consistere, et omnibus ratiocinantibus ad videndum esse communem. Quapropter cum multa alia possint occurrere, quæ communiter et tanquam publice præsto sunt ratiocinantibus, et ab eis videantur mente atque ratione singulorum quorumque cernentium,

eaque inviolata et incommutabilia maneant ; non tamen invitus acceperim quod ista ratio et veritas numeri tibi potissimum occurrerit, cum ad id quod interrogaveram, respondere voluisses : non enim frustra in sanctis Libris Sapientiæ conjunctus est numerus, ubi dictum est : « Cir- » cuivi ego, et cor meum, ut scirem et considerarem et » quærerem sapientiam et numerum [1]. »

XXV. Verumtamen quæso te, quid de ipsa sapientia putas existimandum? Singulas quasque suas arbitraris singulos quosque homines habere sapientias, an vero unam præsto esse communiter omnibus, cujus quanto magis quisque fit particeps, tanto est sapientior? E. Quam dicas sapientiam nondum scio : video quippe varie videri hominibus, quid fiat dicaturve sapienter : nam et qui militant, sapienter sibi facere videntur, et qui contempta militia colendo agro curam atque operam impendunt, hoc potius laudant, tribuuntque sapientiæ ; et qui astuti sunt ad excogitandos modos conquirendæ pecuniæ, sibi videntur esse sapientes ; et qui hæc omnia negligunt, vel abjiciunt, et quæque sunt hujusmodi temporalia, et totum studium suum ad investigationem conferunt veritatis, ut semeptipsos Deumque cognoscant, magnum hoc esse sapientiæ munus judicant ; et qui huic otio quærendi et contemplandi veri nolunt se dedere, sed potius laboriosissimis curis et officiis agunt, ut hominibus consulant, et in rerum humanarum juste moderandarum et gubernandarum actione versantur, sapientes se esse arbitrantur ; et qui utrumque horum agunt, et partim vivunt in contemplatione veritatis, partim in laboribus officiosis, quos humanæ societati deberi putant, sibi palmam sapientiæ tenere videntur. Omitto innumerabiles sectas, quarum nulla est, quæ non sectatores suos præponens cæteris,

[1] Eccle. VII, 26.

eos solos velit esse sapientes. Quamobrem cum id nunc agatur inter nos, ut non quid credamus respondendum sit, sed quid dilucida intelligentia teneamus, nullo modo ad id tibi quod interrogasti respondere potero, nisi quod credendo teneo, contemplando etiam et ratione cernendo noverim, quæ sit ipsa sapientia.

XXVI. A. Num aliam putas esse sapientiam nisi veritatem, in qua cernitur et tenetur summum bonum? Nam illi omnes quos commemorasti diversa sectantes, bonum appetunt, et malum fugiunt : sed propterea diversa sectantur, quod aliud alii videtur bonum. Quisquis ergo appetit quod appetendum non erat, tametsi id non appeteret nisi ei videretur bonum, erat tamen. Errare autem neque ille potest, qui nihil appetit, neque ille qui hoc appetit quod debet appetere. In quantum igitur omnes homines appetunt vitam beatam, non errant. In quantum autem quisque non eam tenet vitæ viam quæ ducit ad beatitudinem, cum se fateatur et profiteatur nolle nisi ad beatitudinem pervenire, in tantum errat. Error est enim cum sequimur aliquid, quod non ad id ducit, quo volumus pervenire. Et quanto magis in via vitæ quis errat, tanto minus sapit. Tanto enim magis longe est a veritate, in qua cernitur et tenetur summum bonum. Summo autem bono assecuto et adepto, beatus quisque fit; quod omnes sine controversia volumus. Ut ergo constat nos beatos esse velle, ita nos constat velle esse sapientes; quia nemo sine sapientia beatus est. Nemo enim beatus est, nisi summo bono, quod in ea veritate, quam sapientiam vocamus, cernitur et tenetur. Sicut ergo antequam beati simus, mentibus tamen nostris impressa est notio beatitatis; per hanc enim scimus, fidenterque et sine ulla dubitatione dicimus beatos nos esse velle : ita etiam prius quam sapientes simus, sapientiæ notionem in mente ha-

bemus impressam, per quam unusquisque nostrum si interrogetur velit-ne esse sapiens, sine ulla caligine dubitationis se velle respondet.

XXVII. Quare si jam constat inter nos quæ sit sapientia, quam fortasse verbis explicare non poteras (nam si eam nullo modo animo cerneres, nullo modo scires et velle te esse sapientem et velle debere, quod te negaturum esse non arbitror) volo jam dicas mihi, utrum etiam sapientiam, sicut numeri rationem atque veritatem, omnibus ratiocinantibus communem se præbere arbitreris; an quoniam tot sunt mentes hominum quot homines sunt, unde nec ego de tua mente aliquid cerno, nec tu de mea, tot etiam putes esse sapientias, quot potuerint esse sapientes. E. Si summum bonum omnibus unum est, oportet etiam veritatem in qua cernitur et tenetur, id est, sapientiam omnibus unam esse communem. A. Dubitas autem summum bonum, quidquid illud est, omnibus hominibus unum esse? E. Dubito sane, quia diversos diversis rebus gaudere video tanquam summis bonis suis. A. Vellem quidem, ut de summo bono ita nemo dubitaret, ut nemo dubitat quidquid illud est, nonnisi eo adepto posse fieri hominem beatum. Sed quoniam magna quæstio est, et longum sermonem forte desiderat, putemus omnino tot summa bona esse, quot sunt ipsæ res diversæ, quæ a diversis tanquam summa bona appetuntur : num ideo sequitur, ut ipsa sapientia etiam non sit una communis omnibus, quia ea bona, quæ in illa cernunt et eligunt homines, multa et diversa sunt? Si enim hoc putas, potes et de luce solis dubitare quod una sit, quia multa et diversa sunt, quæ in ea cernimus. De quibus multis eligit quisque pro voluntate quo fruatur per oculorum sensum : et alius altitudinem montis alicujus intuetur libenter, et eo gaudet aspectu; alius campi planitiem, alius convexa vallium,

alius nemorum viriditatem, alius mobilem æqualitatem maris, alius hæc omnia, vel quædam horum simul pulchra confert ad lætitiam videndi. Sicut ergo ista multa et diversa sunt, quæ in luce solis homines vident et eligunt ad fruendum, lux tamen ipsa una est, in qua videt et tenet quo fruatur uniuscujusque intuentis aspectus : ita etiam si multa sunt bona eaque diversa, e quibus eligat quisque quod volet, idque videndo et tenendo ad fruendum summum sibi bonum recte vereque constituat, fieri tamen potest, ut lux ipsa sapientiæ, in qua hæc videri et teneri possunt, omnibus sapientibus sit una communis. E. Fateor fieri posse, nec impedire aliquid, ut non sit omnibus communis una sapientia, etiam si multa et diversa sint summa bona : sed vellem scire an ita sit. Quod enim concedimus fieri posse ut ita sit, non continuo ita esse concedimus. A. Tenemus interim esse sapientiam : sed utrum sit communis una omnibus, an singuli sapientes suas habeant, sicuti animas vel mentes suas, hoc nondum tenemus. E. Ita est.

XXVIII. A. Quid hoc quod tenemus vel esse sapientiam, vel sapientes, et beatos esse omnes homines velle, ubi videmus? Nam hoc te videre, et verum esse, nullo modo utique dubitaverim. Hoc ergo verum sic vides ut cogitationem tuam, quam si mihi non enunties, ego prorsus ignoro ; an ita ut intelligas, et a me videri posse hoc verum, tametsi mihi abs te non dicatur? E. Imo ita ut abs te quoque, etiam me invito, videri posse non dubitem. A. Quod ergo unum verum videmus ambo singulis mentibus, nonne utrique nostrum commune est? E. Manifestissime. A. Item credo te non negare studendum esse sapientiæ, atque hoc verum esse concedere. E. Prorsus non dubito. A. Hoc item verum, et unum esse, et omnibus qui hoc sciunt, ad videndum esse commune, quamvis

unusquisque id nec mea, nec tua, nec cujusquam alterius, sed sua mente conspiciat, cum id quod conspicitur, omnibus conspicientibus communiter præsto sit, numquid negare poterimus? E. Nullo modo. A. Item Juste esse vivendum, deteriora melioribus esse subdenda, et paria paribus comparanda, et propria suis quibusque tribuenda, nonne fateberis esse verissimum, et tam mihi quam tibi atque omnibus id videntibus præsto esse communiter? E. Assentior. A. Quid incorruptum melius esse corrupto, æternum temporali, inviolabile violabili, poteris negare? E. Quis potest? A. Hoc ergo verum potest quisque suum proprium dicere, cum incommutabiliter contemplandum adsit omnibus, qui hoc contemplari valent? E. Nullus hoc vere dixerit, suum esse proprium, cum tam sit unum atque omnibus commune, quam verum est. A. Item a corruptione avertendum animum, atque ad incorruptionem convertendum esse, id est, non corruptionem, sed incorruptionem diligendam esse quis negat? Aut quis cum verum esse fateatur, non etiam incommutabile intelligat, atque omnibus mentibus id valentibus intueri, communiter præsto esse videat? E. Verissimum est. A. Quid eam vitam quæ nullis adversitatibus de certa et honesta sententia demovetur, dubitabit aliquis esse meliorem, quam eam quæ facile incommodis temporalibus frangitur atque subvertitur? E. Quis dubitaverit?

XXIX. A. Jam hujusmodi plura non quæram : satis enim est quod istas tanquam regulas et quædam lumina virtutum, et vera et incommutabilia, et sive singula sive omnia communiter adesse ad contemplandum eis, qui hæc valent sua quisque ratione ac mente conspicere, pariter mecum vides, certissimumque esse concedis. Sede sane quæro, utrum hæc tibi videantur ad sapientiam pertinere: nam credo videri tibi eum qui sapientiam assecutus est.

esse sapientem. E. Videtur omnino. A. Quid, ille qui juste vivit, posset-ne ita vivere, nisi videret quæ inferiora quibus potioribus subdat, et quæ paria subimet copulet, et quæ propria suis quibusque distribuat? E. Non posset. A. Qui ergo hæc videt, num eum negabis sapienter videre? E. Non nego. A. Quid, ille qui prudenter vivit, nonne eligit incorruptionem, et eam corruptioni præponendam esse decernit? E. Manifestissime. A. Cum ergo id eligit quo convertat animum, quod eligendum esse nemo ambigit, num negari potest sapienter eligere? E. Nullo modo negaverim. A. Cum ergo ad id quod sapienter eligit convertit animum, sapienter utique convertit. E. Certissimum est. A. Et qui ab eo quod sapienter eligit, et quo se sapienter convertit, nullis terroribus pœnisque depellitur, sapienter sine dubio facit. E. Prorsus sine dubio. A. Manifestissimum est igitur omnes has, quas regulas diximus et lumina virtutum, ad sapientiam pertinere : quandoquidem quanto magis quisque ad agendam vitam eis utitur, et secundum hæc agit vitam, tanto magis vivit facitque sapienter : omne autem quod sapienter fit, non potest recte dici a sapientia esse separatum. E. Omnino ita est. A. Quam ergo veræ atque incommutabiles sunt regulæ numerorum, quorum rationem atque veritatem incommutabiliter atque communiter omnibus eam cernentibus, præsto esse dixisti, tam sunt veræ atque incommutabiles regulæ sapientiæ, de quibus paucis nunc singillatim interrogatus respondisti esse veras atque manifestas, easque omnibus qui hæc intueri valent, communes ad contemplandum adesse concedis.

XXX. E. Dubitare non possum. Sed pervellem scire, utrum uno aliquo genere contineantur hæc duo, sapientia scilicet et numerus, quia conjuncta etiam in Scripturis sanctis hæc posita esse commemorasti : an alterum exis-

tat ab altero, aut alterum in altero consistat, veluti numerus a sapientia, vel in sapientia. Nam sapientiam existere a numero, aut consistere in numero, non ausim dicere : nescio enim quo modo quia multos novi numerarios aut numeratores, vel si quo alio nomine vocandi sunt, qui summe atque mirabiliter computant, sapientes autem perpaucos, aut forsitan neminem, longe venerabilior mihi occurrit sapientia quam numerus. A. Rem dicis quam ego quoque mirari soleo. Nam cum incommutabilem veritatem numerorum mecum ipse considero, et ejus quasi cubile ac penetrale vel regionem quamdam, vel si quod aliud nomen aptum inveniri potest, quo nominemus quasi habitaculum quoddam sedemque numerorum, longe removeor a corpore : et inveniens fortasse aliquid quod cogitare possim, non tamen aliquid inveniens quod verbis proferre sufficiam, redeo tanquam lassatus in hæc nostra, ut loqui possim, et ea quæ ante oculos sita sunt dico, sicut dici solent. Hoc mihi accidit etiam cum de sapientia quantum valeo, vigilantissime atque intentissime cogito. Et propterea multum miror, cum hæc duo sint in secretissima certissimaque veritate, accedente etiam testimonio Scripturarum, quo commemoravi conjuncte illa posita, plurimum miror, ut dixi, quare numerus vilis sit multitudini hominum, et chara sapientia. Sed nimirum illud est, quod una quædam eademque res est : verumtamen quoniam nihilominus in divinis Libris de sapientia dicitur : « Quod attingit a fine usque ad finem for» titer, et disponit omnia suaviter[1], » ea potentia qua fortiter a fine usque ad finem attingit, numerus fortasse dicitur : ea vero qua disponit omnia suaviter, sapientia proprie jam vocatur, cum sit utrumque unius ejusdemque sapientiæ.

[1] Sap. VIII, 1.

XXXI. Sed quia dedit numeros omnibus rebus etiam infimis, et in fine rerum locatis, et corpora enim omnia quamvis in rebus extrema sint, habent numeros suos : sapere autem non dedit corporibus, neque animis omnibus, sed tantum rationalibus, tanquam in eis sibi sedem locaverit, de qua disponat omnia illa etiam infima, quibus numeros dedit : itaque quoniam de corporibus facile judicamus, tanquam de rebus quæ infra nos ordinatæ sunt, quibus impressos numeros infra nos esse cernimus ; et eos propterea vilius habemus. Sed cum cœperimus tanquam sursum versus recurrere, invenimus eos etiam nostras mentes transcendere, atque incommutabiles in ipsa manere veritate. Et quia sapere pauci possunt, numerare autem etiam stultis concessum est, mirantur homines sapientiam, numerosque contemnunt. Docti autem et studiosi, quanto remotiores sunt a labe terrena, tanto magis et numerum et sapientiam in ipsa veritate contuentur, et utrumque charum habent : et in ejus veritatis comparatione non eis aurum et argentum, et cætera de quibus homines dimicant, sed ipsi etiam vilescunt sibi.

XXXII. Nec mireris numeros ideo viluisse hominibus, et charam esse sapientiam, quia facilius possunt numerare quam sapere, cum videas charius illos habere aurum quam lumen lucernæ, cui comparatum aurum ridetur. Sed honoratur amplius res longe inferior, quia lucernam sibi et mendicus accendit, aurum vero pauci habent : quanquam sapientia absit ut in comparatione numeri inveniatur inferior, cum eadem sit : sed oculum quo cerni possit, inquirit. Sed quemadmodum in uno igne consubstantialis, ut ita dicam, sentitur fulgor et calor, nec separari ab invicem possunt ; tamen ad ea calor pervenit, quæ prope admoventur, fulgor vero etiam longius latiusque diffunditur : sic intelligentiæ potentia, quæ inest sapien-

tiæ, propinquiora fervescunt, sicuti sunt animæ rationales; ea vero quæ remotiora sunt, sicuti corpora, non attingit calore sapiendi, sed perfundit lumine numerorum: quod tibi fortassis obscurum est. Non enim ulla visibilis similitudo invisibili rei potest ad omnem convenientiam coaptari. Tantum illud attende, quod et quæstioni quam suscepimus satis est, et humilioribus etiam mentibus quales nos sumus, sese manifestat, quia etsi clarum nobis esse non potest, utrum in sapientia, vel ex sapientia numerus, an ipsa sapientia ex numero, an in numero sit, an utrumque nomen unius rei possit ostendi; illud certe manifestum est utrumque verum esse, et incommutabiliter verum.

XXXIII. Quapropter nullo modo negaveris esse incommutabilem veritatem, hæc omnia quæ incommutabiliter vera sunt continentem, quam non possis dicere tuam vel meam, vel cujusquam hominis, sed omnibus incommutabilia vera cernentibus, tanquam miris modis secretum et publicum lumen, præsto esse ac se præbere communiter: omne autem quod communiter omnibus ratiocinantibus atque intelligentibus præsto est, ad ullius eorum proprie naturam pertinere quis dixerit? Meministi enim, ut opinor, quid de sensibus corporis paulo ante tractatum sit; ea scilicet quæ oculorum vel aurium sensu communiter tangimus, sicuti sunt colores et soni, quos ego et tu simul videmus, vel simul audimus, non pertinere ad oculorum nostrorum auriumve naturam, sed ad sentiendum nobis esse communia. Sic ergo etiam illa quæ ego et tu communiter propria quisque mente conspicimus, nequaquam dixeris ad mentis alicujus nostrum pertinere naturam. Duorum enim oculi quod simul vident, nec hujus nec illius oculos esse poteris dicere, sed aliquid tertium in quod utriusque conferatur aspectus. E. Apertissimum atque verissimum est.

XXXIV. A. Hanc ergo veritatem, de qua jam diu loquimur, et in qua una tam multa conspicimus, excellentiorem putas esse quam mens nostra est, an æqualem mentibus nostris, an etiam inferiorem? Sed si esset inferior, non secundum illam, sed de illa judicaremus, sicut judicamus de corporibus, quia infra sunt, et dicimus ea plerumque non tantum ita esse vel non ita, sed ita vel non ita esse debere : sic et de animis nostris non solum ita esse animum novimus, sed plerumque etiam ita esse debere. Et de corporibus quidem sic judicamus, cum dicimus : Minus candidum est quam debuit, aut minus quadrum, et multa similiter. De animis vero : Minus aptus est quam debet, aut minus lenis, aut minus vehemens, sicut nostrorum morum se ratio tulerit. Et judicamus hæc secundum illas interiores regulas veritatis, quas communiter cernimus : de ipsis vero nullo modo quis judicat; cum enim quis dixerit æterna temporalibus esse potiora, aut septem et tria decem esse, nemo dicit ita esse debuisse, sed tantum ita esse cognoscens, non examinator corrigit, sed tantum lætatur inventor. Si autem esset æqualis mentibus nostris hæc veritas, mutabilis etiam ipsa esset. Mentes enim nostræ aliquando eam plus vident, aliquando minus, et ex hoc fatentur se esse mutabiles : cum illa in se manens nec proficiat cum plus a nobis videtur, nec deficiat cum minus; sed integra et incorrupta, et conversos lætificet lumine, et aversos puniat cæcitate. Quid quod etiam de ipsis mentibus nostris secundum illam judicamus, cum de illa nullo modo judicare possimus? Dicimus enim : Minus intelligit quam debet, aut tantum quantum debet intelligit. Tantum autem mens debet intelligere, quantum propius admoveri atque inhærere potuerit incommutabili veritati. Quare si nec inferior, nec æqualis est, restat ut sit superior atque excellentior.

XXXV. Promiseram autem, si meministi, me tibi demonstraturum esse aliquid, quod sit mente nostra atque ratione sublimius. Ecce tibi est ipsa veritas : amplectere illam si potes, et fruere illa, et delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Quid enim petis amplius quam ut beatus sis? Et quid beatius eo qui fruitur inconcussa et incommutabili et excellentissima veritate? An vero clamant homines beatos se esse, cum puchra corpora magno desiderio concupita, sive conjugum, sive etiam meretricum amplexantur, et nos in amplexu veritatis beatos esse dubitamus? Clamant homines se beatos esse, cum æstu aridis facibus ad fontem abundantem salubremque perveniunt, aut esurientes prandium cœnamve ornatam copiosamque reperiunt : et nos negabimus beatos esse, cum irrigamur pascimurque veritate? Solemus audire voces clamantium se beatos, si jaceant in rosa et aliis floribus, vel etiam unguentis odoratissimis perfruantur : quid fragrantius, quid jucundius inspiratione veritatis? et dubitamus nos cum ab illa inspiramur, dicere beatos? Multi beatam vitam in cantu vocum et nervorum et tibiarum sibi constituunt, et cum ea sibi desunt, se miseros judicant, cum autem adsunt, efferuntur lætitia : et nos cum mentibus nostris sine ullo strepitu, ut ita dicam, canorum et facundum quoddam silentium veritatis illabitur, aliam beatam vitam quærimus, et tam certa et præsente non fruimur? Luce auri et argenti ; luce gemmarum et aliorum colorum, sive ipsius lucis quæ ad hos oculos pertinet, sive in ignibus terrenis, sive in stellis vel luna vel sole claritate et jucunditate delectati homines, cum ab ista lætitia nullis molestiis, nulla indigentia revocantur, beati sibi videntur, et propter hæc semper volunt vivere : et nos in luce veritatis beatam vitam collocare metuimus?

XXXVI. Imovero quoniam in veritate cognoscitur et tenetur summum bonum, eaque veritas sapientia est, cernamus in ea, teneamusque summum bonum, eoque perfruamur. Beatus est quippe qui fruitur summo bono. Hæc enim veritas ostendit omnia bona, quæ vera sunt, quæ sibi pro suo captu intelligentes homines, vel singula, vel plura eligunt, quibus fruantur. Sed quemadmodum illi qui in luce solis eligunt quod libenter aspiciant, et eo aspectu lætificantur, in quibus si qui forte fuerint vegetioribus sanisque et fortissimis oculis præditi, nihil libentius quam ipsum solem contuentur, qui etiam cætera quibus infirmiores oculi delectantur, illustrat : sic fortis acies mentis et vegeta, cum multa vera et incommutabilia certa ratione conspexerit, dirigit se in ipsam veritatem, qua cuncta monstrantur, eique inhærens tanquam obliviscitur cætera, et in illa simul omnibus fruitur. Quidquid enim jucundum est in cæteris veris, ipsa utique veritate jucundum est.

XXXVII. Hæc est libertas nostra, cum isti subdimur veritati : et ipse est Deus noster, qui nos liberat a morte, id est, a conditione peccati. Ipsa enim Veritas etiam homo cum hominibus loquens, ait credentibus sibi : « Si man- » seritis in verbo meo, vere discipuli mei estis, et cog- » noscetis veritatem, et veritas liberabit vos[1]. » Nulla enim re fruitur anima cum libertate, nisi qua fruitur cum securitate. Nemo autem securus est in iis bonis quæ potest invitus amittere. Veritatem autem atque sapientiam nemo amittit invitus : non enim locis separari ab ea quisquam potest ; sed ea quæ dicitur a veritate atque sapientia separatio, perversa voluntas est, qua inferiora diliguntur. Nemo autem vult aliquid nolens. Habemus igitur qua fruamur omnes æqualiter atque communiter : nullæ

[1] Joan. VIII, 31.

sunt angustiæ, nullus in ea defectus. Omnes amatores suos nullo modo sibi invidos recipit, et omnibus communis est, et singulis casta est. Nemo alicui dicit : Recede, ut etiam ego accedam? remove manus, ut etiam ego amplectar. Omnes inhærent, idipsum omnes tangunt. Cibus ejus nulla ex parte discerpitur : nihil de ipsa bibis quod ego non possim. Non enim ab ejus communione in privatum tuum mutas aliquid : sed quod tu de illa capis, et mihi manet integrum. Quod te inspirat non expecto ut reddatur abs te, et sic ego inspirer ex eo : non enim aliquid ejus aliquando fit cujusquam unius aut quorumdam proprium, sed simul omnibus tota est communis.

XXXVIII. Minus ergo ea quæ tangimus, vel quæ gustamus, vel quæ olfacimus, huic sunt veritati similia ; sed magis ea quæ audimus et cernimus : quia et omne verbum a quibus auditur, totum auditur ab omnibus, et simul a singulis totum, et species omnis quæ oculis adjacet, quanta videtur ab uno, tanta et ab alio simul. Sed multum longo intervallo sunt ista similia : nec tota enim simul sonat quælibet vox, quia per tempora tenditur et producitur, et aliud ejus prius sonat, aliud posterius ; et species omnis visibilis tanquam intumescit per locos, nec ubique tota est. Et certe omnia hæc auferuntur invito, et quominus eis frui possimus ; quibusdam impedimur angustiis. Nam et si posset esse cujusquam suavis cantus sempiternus, et studiosi ejus certatim ad eum audiendum venirent, coarctarent sese, atque pugnarent de locis, quanto plures essent, ut cantanti esset quisque propinquior, et in audiendo nihil tenerent manere secundum, sed omnibus vocibus fugientibus tangerentur. Solem autem istum si vellem intueri, atque id pertinaciter possem, et in occasu me desereret, et subvelaretur nubilo, et multis aliis obstaculis voluptatem videndi eum invitus

amitterem. Postremo etiam si adesset semper suavitas, et lucis videnti, et vocis audienti, quid magnum ad me perveniret, cum mihi esset commune cum belluis? At illa veritatis et sapientiæ pulchritudo, tantum adsit perseverans voluntas fruendi, nec multitudine audientium constipata secludit venientes, nec peragitur tempore, nec migrat locis, nec nocte intercipitur, nec umbra intercluditur, nec sensibus corporis subjacet. De toto mundo ad se conversis qui diligunt eam, omnibus proxima est, omnibus sempiterna; nullo loco est, nusquam deest; foris admonet, intus docet; cernentes se commutat omnes in melius, a nullo in deterius commutatur; nullus de illa judicat, nullus sine illa judicat bene. Ac per hoc eam manifestum est mentibus nostris, quæ ab ipsa una fiunt singulæ sapientes, et non de ipsa, sed per ipsam de cæteris, judices, sine dubitatione esse potiorem.

XXXIX. Tu autem concesseras, si quid supra mentes nostras esse monstrarem, Deum te esse confessurum, si adhuc nihil esset superius. Quam tuam concessionem accipiens dixeram satis esse, ut hoc demonstrarem. Si enim aliquid est excellentius, ille potius Deus est: si autem non est, jam ipsa veritas Deus est. Sive ergo illud sit, sive non sit, Deum tamen esse, negare non poteris: quæ nobis erat ad disserendum et tractandum quæstio constituta. Nam si te hoc movet quod apud sacrosanctam disciplinam Christi in fidem recepimus, esse Patrem sapientiæ: memento nos etiam hoc in fidem accepisse, quod æterno Patri sit æqualis quæ ab ipso genita est Sapientia. Unde nunc nihil quærendum est, sed inconcussa fide retinendum. Est enim Deus, et vere summeque est. Quod jam non solum indubitatum quantum arbitror fide retinemus, sed etiam certa, quamvis adhuc tenuissima forma cognitionis attingimus: quod quæstioni susceptæ sufficit, ut

cætera quæ ad rem pertinent, explicare possimus : nisi quid habes adversus ista quod opponas. E. Ego vero incredibili omnino, et quam tibi verbis explicare non possum, lætitia perfusus accipio ista, et clamo esse certissima. Clamo autem voce interiore, qua exaudiri cupio ab ipsa veritate, et illi inhærere : quod non solum bonum, sed etiam summum bonum, et beatificum esse concedo.

XL. A. Recte sane ; etiam ego plurimum gaudeo. Sed quæso te, numquid jam sapientes et beati sumus, an adhuc tendimus eo, ut id nobis esse proveniat? E. Eo nos potius tendere existimo. A. Unde ergo ista comprehendis, quibus veris certisque gaudere te clamas, et hoc ad sapientiam pertinere concedis? an quisquam insipiens potest nosse sapientiam? E. Quandiu insipiens est, non potest. A. Tu ergo jam sapiens es, aut nondum nosti sapientiam. E. Non sum quidem adhuc sapiens, sed nec insipientem me dixerim, in quantum novi sapientiam : quoniam et certa sunt ista quæ novi, et ad sapientiam pertinere, negare non possum. A. Dic quæso te, nonne fateberis eum, qui non est justus, injustum esse ; et qui non est prudens, imprudentem esse ; et qui non est temperans, intemperantem? an dubitari de his aliquid potest? E. Fateor hominem, quando justus non est, injustum esse : hoc etiam de prudente et temperante responderim. A. Cur ergo et quando sapiens non est, non sit insipiens? E. Hoc quoque fateor, quando quisque sapiens non est, eum esse insipientem. A. Nunc ergo tu quid horum es? E. Quodlibet horum me appelles, nondum audeo me dicere sapientem : et ex iis quæ concessi, video esse consequens, ut me insipientem non dubitem dicere. A. Novit ergo insipiens sapientiam. Non enim sicut jam dictum est, certus esse velle se esse sapientem, idque oportere, nisi notio sapientiæ menti ejus inhæreret, sicut earum rerum de quibus sin-

gillatim interrogatus respondisti, quæ ad ipsam sapientiam pertinent, quarum cognitione lætatus es. E. Ita est ut dicis.

XLI. A. Quid igitur aliud agimus cum studemus esse sapientes, nisi ut quanta possumus alacritate, ad id quod mente contingimus, totam animam nostram quodam modo colligamus, et ponamus ibi, atque stabiliter infigamus, ut non jam privato suo gaudeat quod implicavit rebus transeuntibus, sed exuta omnibus temporum et locorum affectionibus apprehendat id quod unum atque idem semper est? Sicut enim tota vita corporis est anima, sic beata vita animæ Deus est. Quod dum agimus, donec peragamus, in via sumus. Et quod istis veris et certis bonis, quamvis adhuc in hoc tenebroso itinere coruscantibus, gaudere concessum est, vide utrum hoc sit quod scriptum est de sapientia, quid agat cum amatoribus suis cum ad eam veniunt, et eam quærunt, dictum est enim : « In viis ostendet se illis hilariter, et omni providentia oc- » curret illis [1]. » Quoquo enim te verteris, vestigiis quibusdam, quæ operibus suis impressit, loquitur tibi, et te in exteriora relabentem, ipsis exteriorum formis intro revocat; ut quidquid te delectat in corpore, et per corporeos illicit sensus, videas esse numerosum, et quæras unde sit, et in te ipsum redeas, atque intelligas te id quod attingis sensibus corporis, probare aut improbare non posse, nisi apud te habeas quasdam pulchritudinis leges, ad quas referas quæque pulchra sentis exterius.

XLII. Intuere cœlum et terram et mare et quæcumque in eis vel desuper fulgent, vel deorsum repunt, vel volant, vel natant, formas habent, quia numeros habent: adime illis hæc, nihil erunt. A quo ergo sunt, nisi a quo numerus? quandoquidem in tantum illis est esse, in

[1] Sap. VI, 17.

quantum numerosa esse. Et omnium quidem formarum corporearum artifices homines in arte habent numeros, quibus coaptant opera sua : et tandiu manus atque instrumenta in fabricando movent, donec illud quod formatur foris, ad eam quæ intus est lucem numerorum relatum, quantum potest impetret absolutionem, placeatque per interpretem sensum interno judici supernos numeros intuenti. Quære deinde artificis ipsius membra quis moveat, numerus erit : nam moventur etiam illa numerose. Et si detrahas de manibus opus, et de animo intentionem fabricandi, motusque ille membrorum ad delectationem referatur, saltatio vocabitur. Quære ergo quid in saltatione delectet : respondebit tibi numerus : Ecce sum. Inspice jam pulchritudinem formati corporis ; numeri tenentur in loco. Inspice pulchritudinem mobilitatis in corpore, numeri versantur in tempore. Intra ad artem unde isti procedunt, quære in ea tempus et locum ; nunquam erit, nusquam erit ; vivit in ea tamen numerus : nec ejus regio spatiorum est, nec ætas dierum ; et discendæ arti tamen cum se accommodant, qui se artifices fieri volunt, corpus suum per loca et tempora movent, animum vero per tempora : accessu quippe temporis peritiores fiunt. Transcende ergo et animum artificis, ut numerum sempiternum videas ; jam tibi sapientia de ipsa interiore sede fulgebit, et de ipso secretario veritatis : quæ si adhuc languidiorem aspectum tuum reverberat, refer oculum mentis in illam viam, ubi se ostendebat hilariter. Memento sane distulisse te visionem, quam fortior saniorque repetas.

XLIII. Væ qui derelinquunt te ducem, et oberrant in vestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant, et obliviscuntur quid innuas, o suavissima lux purgatæ mentis sapientia ; non enim cessas innuere nobis, quæ et quanta sis : et nu-

tus tui sunt omne creaturarum decus. Et artifex enim quodam modo innuit spectatoris operis sui de ipsa operis pulchritudine, ne ibi totus hæreat, sed speciem corporis fabricati sic percurrat oculis, ut in eum qui fabricaverit recurrat affectu. Similes autem sunt, qui ea quæ facis pro te amant, hominibus qui cum audiunt aliquem facundum sapientem, dum nimis suavitatem vocis ejus et structuras syllabarum apte locatarum avide audiunt, amittunt sententiarum principatum, cujus illa verba tanquam signa sonuerunt. Væ qui se avertunt a lumine tuo, et obscuritati suæ dulciter inhærent. Tanquam enim dorsum ad te ponentes, in carnali opere velut in umbra sua defiguntur, et tamen etiam ibi quod eos delectat, adhuc habent de circumfulgentia lucis tuæ. Sed umbra dum amatur, languidiorem facit oculum animi et invalidiorem ad perferendum conspectum tuum. Propterea magis magisque homo tenebratur, dum sectatur libentius, quidquid infirmiorem tolerabilius excipit. Ex quo incipit non posse videre quod summe est, et malum putare quidquid fallit improvidum, aut illicit indigum, aut captum excruciat, cum ea pro merito patiatur aversionis suæ, et quidquid justum est, malum esse non possit.

XLIV. Si ergo quidquid mutabile aspexeris, vel sensu corporis, vel animi consideratione capere non potes, nisi aliqua numerorum forma teneatur, qua detracta in nihil recidat; noli dubitare, ut ista mutabilia non intercipiantur, sed dimensis motibus, et distincta varietate formarum, quasi quosdam versus temporum peragant, esse aliquam formam æternam et incommutabilem; quæ neque contineatur et quasi diffundatur locis, neque protendatur atque varietur temporibus, per quam cuncta ista formari valeant, et pro suo genere implere atque agere locorum ac temporum numeros.

XLV. Omnis enim res mutabilis, etiam formabilis sit necesse est. Sicut autem mutabile dicimus quod mutari potest, ita formabile quod formari potest appellaverim. Nulla autem res formare se ipsam potest : quia nulla res potest dare sibi quod non habet : et utique ut habeat formam, formatur aliquid. Quapropter quælibet res si quam habet formam, non ei opus est accipere quod habet : si qua vero non habet formam, non potest a se accipere quod non habet. Nulla ergo res, ut diximus, formare se potest. Quid autem amplius de mutabilitate corporis et animi dicamus? superius enim satis dictum est. Conficitur itaque, ut et corpus et animus forma quadam incommutabili et semper manente formentur. Cui formæ dictum est : « Mutabis ea et mutabuntur, tu au-» tem idem ipse es, et anni tui non deficient[1]. » An nos sine defectu, pro æternitate posuit prophetica locutio. De hac item forma dictum est : « Quod in se ipsa manens » innovet omnia[2]. » Hinc etiam comprehenditur omnia providentia gubernari. Si enim omnia quæ sunt, forma penitus subtracta nulla erunt, forma ipsa incommutabilis, per quam mutabilia cuncta subsistunt, ut formarum suarum numeris impleantur et agantur, ipsa est eorum providentia : non enim ista essent, si illa non esset. Intuens ergo et considerans universam creaturam, quicumque iter agit ad sapientiam, sentit sapientiam in via se sibi ostendere hilariter, et in omni providentia occurrere sibi : et tanto alacrius ardescit viam istam peragere, quanto et ipsa via per illam pulchra est, ad quam exæstuat pervenire.

XLVI. Tu autem si præter id quod est et non vivit, et id quod est et vivit neque intelligit, et id quod est et vivit et intelligit, inveneris aliquod aliud creaturarum ge-

[1] Psal. ci, 27. — [2] Sap. vii, 27.

nus, tunc aude dicere aliquod bonum esse, quod non sit ex Deo. Tria enim hæc duobus etiam nominibus enuntiari possunt, si appellentur corpus et vita : quia et illa quæ tantum vivit, neque intelligit, qualis est pecorum, et hæc quæ intelligit, sicuti est hominum, rectissime vita dicitur. Hæc autem duo, id est, corpus et vita, quæ quidem creaturæ deputantur (nam et Creatoris ipsius vita dicitur, et ea summa vita est) istæ igitur duæ creaturæ corpus et vita, quoniam formabilia sunt, sicuti superius dicta docuerunt, amissaque omnino forma in nihilum recidunt, satis ostendunt se ex illa forma subsistere, quæ semper ejusmodi est. Quamobrem quantacumque bona, quamvis magna, quamvis minima, nisi ex Deo esse non possunt. Quid enim majus in creaturis quam vita intelligens, aut quid minus potest esse quam corpus? Quæ quantumlibet deficiant, et eo tendant ut non sint, tamen aliquid formæ illis remanet, ut quoquo modo sint. Quidquid autem formæ cuipiam rei deficienti remanet, ex illa forma est quæ nescit deficere, motusque ipsos rerum deficientium vel proficientium excedere numerorum suorum leges non sinit. Quidquid igitur laudabile advertitur in rerum natura, sive exigua sive ampla laude dignum judicetur, ad excellentissimam et ineffabilem laudem referendum est Conditoris : nisi quid habes ad hæc.

XLVII. E. Satis mihi persuasum esse fateor, et quemadmodum manifestum fiat, quantum in hac vita atque inter tales quales non sumus potest, Deum esse, et ex Deo esse omnia bona : quandoquidem omnia quæ sunt, sive quæ intelligunt et vivunt et sunt; sive quæ tantum vivunt et sunt, sive quæ tantum sunt, ex Deo sunt. Nunc jam tertiam quæstionem videamus, utrum expediri possit, inter bona esse numerandam liberam voluntatem. Quo demonstrato sine dubitatione concedam, Deum dedisse

nobis eam, darique oportuisse. A. Bene meministi propositā : et secundam quæstionem jam explicatam vigilanter animadvertisti : sed videre debuisti etiam istam tertiam jam solutam. Propterea quippe tibi videri dixeras, dari non debuisse liberum voluntatis arbitrium, quod eo quisque peccat. Cui sententiæ tuæ cum ego intulissem [1], recte fieri non posse, nisi eodem libero voluntatis arbitrio, atque ad id potius hoc Deum dedisse asseverarem : respondisti liberam voluntatem ita nobis dari debuisse, ut justitia data est, qua nemo nisi recte potest uti. Quæ responsio tua in tantos circuitus disputationis nos ire compulit, quibus tibi probaremus, et majora et minora bona non esse nisi ex Deo. Quod non tam dilucide ostendi posset, nisi prius adversus opiniones impiæ stultitiæ, qua « Dicit in» sipiens in corde suo : Non est Deus [2], » qualiscumque de re tanta pro modulo nostro inita ratio, eodem ipso Deo in tam periculoso itinere nobis opitulante, in aliquid manifestum intenderetur. Quæ duo tamen, id est, Deum esse et omnia bona ex ipso esse, quanquam inconcussa fide etiam antea tenerentur, sic tamen tractata sunt, ut hoc quoque tertium, inter bona esse numerandam liberam voluntatem, manifestissime appareat.

XLVIII. Jam enim superiore disputatione patefactum est, constititque inter nos, naturam corporis inferiore gradu esse quam animi naturam, ac per hoc animum majus bonum esse quam corpus. Si ergo in corporis bonis invenimus aliqua quibus non recte uti homo possit, nec tamen propterea dicimus, non ea dari debuisse, quoniam esse confitemur bona ; quid mirum si et in animo sunt quædam bona, quibus etiam non recte uti possimus, sed quia bona sunt, non potuerunt dari nisi ab illo, a quo sunt omnia bona ? Vides enim quantum boni desit corpori cui

[1] 1 Retract. cap. IX, n. 3. — [2] Psal. LII.

desunt manus, et tamen manibus male utitur, qui eis operatur vel sæva vel turpia. Sine pedibus aliquem si aspiceres, fatereris deesse integritati corporis plurimum bonum : et tamen eum qui ad nocendum cuipiam, vel se ipsum dehonestandum pedibus uteretur, male uti pedibus non negares. Oculis hanc lucem videmus, formasque internoscimus corporum ; idque et speciosissimum est in nostro corpore, unde in fastigio quodam dignitatis hæc membra locata sunt ; et ad salutem tuendam, multaque alia vitæ commoda refert usus oculorum : oculis tamen plerique pleraque agunt turpiter, et eos militare cogunt libidini. Et vides quantum bonum desit in facie, si oculi desint : cum autem adsunt, quis hos dedit nisi bonorum omnium largitor Deus ? Quemadmodum ergo ista probas in corpore, et non intuens eos qui male his utuntur, laudas illum qui hæc dedit bona : sic liberam voluntatem sine qua nemo potest recte vivere, oportet et bonum, et divinitus datum, et potius eos damnandos qui hoc bono male utuntur : quam eum qui dederit dare non debuisse fatearis.

XLIX. E. Prius ergo vellem, ut mihi probares aliquod bonum esse liberam voluntatem ; et ego concederem Deum illam dedisse nobis, quia fateor ex Deo omnia bona esse. A. Ita-ne tandem non probavi tibi tanto molimine superioris disputationis, cum omnem speciem formamque corporis a summa omnium rerum forma, id est, a veritate subsistere fatereris, et bonum esse concederes ? Nam et capillos nostros numeratos esse[1], ipsa in Evangelio loquitur Veritas. De numeri autem summitate, et a fine usque ad finem pertendente potentia, quæ locuti fuerimus, excidit tibi. Quæ igitur ista est tanta perversitas, capillos nostros, quamvis inter exigua et omnino abjectis-

[1] Matth. x, 30.

sima, tamen inter bona numerare, nec invenire cui auctori tribuantur nisi bonorum omnium conditori Deo, quia et maxima et minima bona ab illo sunt, a quo est omne bonum ; et dubitare de libera voluntate, sine qua recte vivi non posse concedunt, etiam qui pessime vivunt ? Et certe nunc responde, quæso, quid tibi melius esse videatur in nobis, sine quo recte vivi potest, an sine quo recte vivi non potest. E. Jamjam parce quæso ; pudet cæcitatis. Quis enim ambigat id longe esse præstantius, sine quo recta vita nulla est ? A. Jam ergo tu negabis luscum hominem recte posse vivere ? E. Absit tam immanis amentia. A. Cum ergo in corpore oculum concedas esse aliquod bonum, quo amisso tamen ad recte vivendum non impeditur : voluntas libera tibi videbitur nullum bonum, sine qua recte nemo vivit ?

L. Intueris enim justitiam, qua nemo male utitur. Hæc inter summa bona quæ in ipso sunt homine numeratur, omnesque virtutes animi quibus ipsa recta vita et honesta constat. Nam neque prudentia, neque fortitudine, neque temperantia male quis utitur : in his enim omnibus, sicut in ipsa etiam quam tu commemorasti justitia, recta ratio viget, sine qua virtutes esse non possunt. Recta autem ratione male uti nemo potest. Ista ergo magna bona sunt ; sed meminisse te oportet, non solum magna, sed etiam minima bona non esse posse, nisi ab illo a quo sunt omnia bona, hoc est, Deo. Id enim superior disputatio persuasit, cui toties tamque lætus assensus es. Virtutes igitur quibus recte vivitur, magna bona sunt : species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona sunt ; potentiæ vero animi sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt. Virtutibus nemo male utitur : cæteris autem bonis, id est, mediis et minimis, non solum bene, sed etiam male quisque uti potest. Et

ideo virtute nemo male utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non bene uti possumus. Nemo autem bene utendo male utitur. Quare abundantia et magnitudo bonitatis Dei non solum magna, sed etiam media et minima bona esse præstitit. Magis laudanda est bonitas ejus in magnis, quam in mediis, et magis in mediis quam in minimis bonis : sed magis in omnibus quam si non omnia tribuisset.

LI. E. Assentior. Sed illud me movet, quoniam de libera voluntate quæstio est, et videmus ipsam bene uti cæteris vel non bene, quomodo et ipsa inter illa quibus utimur numeranda sit. A. Quomodo omnia quæ ad scientiam cognoscimus, ratione cognoscimus, et tamen etiam ipsa ratio inter illa numeratur quæ ratione cognoscimus. An oblitus es, cum quæreremus quæ ratione cognoscantur, confessum te fuisse etiam rationem ratione cognosci ? Noli ergo mirari, si cæteris per liberam voluntatem utimur, etiam ipsa libera voluntate per eam ipsam uti nos posse, ut quodam modo se ipsa utatur voluntas quæ utitur cæteris, sicut se ipsam cognoscit ratio, quæ cognoscit et cætera. Nam et memoria non solum cætera omnia quæ meminimus comprehendit ; sed etiam quod non obliviscimur nos habere memoriam, ipsa se memoria quodam modo tenet in nobis, quæ non solum aliorum, sed etiam sui meminit, vel potius nos et cætera et ipsam per ipsam meminimus.

LII. Voluntas ergo quæ medium bonum est, cum inhæret incommutabili bono, eique communi non proprio, sicuti est illa, de qua multum locuti sumus, et nihil digne diximus, veritas, tenet homo beatam vitam : eaque ipsa vita beata, id est, animi affectio inhærentis incommutabili bono, proprium et primum est hominis bonum. In eo sunt etiam virtutes omnes quibus male uti nemo po-

test. Nam hæc quamvis magna in homine et prima sint, propria tamen esse uniuscujusque hominis, non communia, satis intelligitur. Veritate enim atque sapientia, quæ communis est omnibus, omnes sapientes et beati fiunt, inhærendo illi. Beatitudine autem alterius hominis non fit alter beatus, quia et cum eum imitatur ut sit, inde appetit beatus fieri, unde illum factum videt, illa scilicet incommutabili communique veritate. Neque prudentia cujusquam fit prudens alius, aut fortis fortitudine, aut temperans temperantia, aut justus justitia hominis alterius quisquam efficitur; sed coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum, quæ incorruptibiliter vivunt in ipsa veritate sapientiaque communi, quibus et ille coaptavit et fixit animum, quem istis virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit.

LIII. Voluntas ergo adhærens communi atque incommutabili bono, impetrat prima et magna hominis bona, cum ipsa sit medium quoddam bonum. Voluntas autem aversa ab incommutabili et communi bono, et conversa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius, peccat. Ad proprium convertitur, cum suæ potestatis vult esse; ad exterius, cum aliorum propria, vel quæcumque ad se non pertinent, cognoscere studet; ad inferius, cum voluptatem corporis diligit, atque ita homo superbus, et curiosus, et lascivus effectus, excipitur ab alia vita, quæ in comparatione superioris vitæ mors est, quæ tamen regitur administratione divinæ providentiæ, quæ congruis sedibus ordinat omnia, et pro meritis sua cuique distribuit. Ita fit, ut neque illa bona quæ a peccantibus appetuntur, ullo modo mala sint, neque ipsa voluntas libera, quam in bonis quibusdam mediis numerandam esse comperimus; sed malum sit aversio ejus ab incommutabili bono, et conversio ad mutabilia bona:

quæ tamen aversio atque conversio, quoniam non cogitur, sed est voluntaria, digna et justa eam miseriæ pœna subsequitur.

LIV. Sed tu fortasse quæsiturus es, quoniam movetur voluntas cum se avertit ab incommutabili bono ad mutabile bonum, unde ei iste motus existat; qui profecto malus est, tametsi voluntas libera, quia sine illa nec recte vivi potest, in bonis numeranda sit. Si enim motus iste, id est, aversio voluntatis a Domino Deo, sine dubitatione peccatum est, num possumus auctorem peccati Deum dicere? Non erit ergo iste motus ex Deo. Unde igitur erit? Ita quærenti tibi, si respondeam nescire me, fortasse eris tristior : sed tamen vera responderim. Sciri enim non potest quod nihil est[1]. Tu tantum pietatem inconcussam tene, ut nullumt ibi bonum vel sentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo. Ita enim nulla natura occurrit, quæ non sit ex Deo. Omnem quippe rem, ubi mensuram et numerum et ordinem videris, Deo artifici tribuere ne cuncteris. Unde autem ista penitus detraxeris, nihil omnino remanebit : quia etsi remanserit aliqua formæ alicujus inchoatio, ubi neque mensuram, neque numerum, neque ordinem invenias, quia ubicumque ista sunt, forma perfecta est, oportet auferas etiam ipsam inchoationem formæ, quæ tanquam materies ad perficiendum subjacere videtur artifici. Si enim formæ perfectio bonum est, nonnullum jam bonum est et formæ inchoatio : ita detracto penitus omni bono, non quidem nonnihil, sed omnino nihil remanebit. Omne autem bonum ex Deo : nulla ergo natura est, quæ non sit ex Deo. Motus ergo ille aversionis, quod fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est, vide quo pertineat, et ad Deum non pertinere

[1] 1 Retract. cap. IX, n. 4.

ne dubites. Qui tamen defectus quoniam est voluntarius, in nostra est positus potestate. Si enim times illum, oportet ut nolis : si autem nolis, non erit. Quid ergo securius quam esse in ea vita[1], ubi non possit tibi evenire quod non vis. Sed quoniam non sicut homo sponte cecidit, ita etiam sponte surgere potest, porrectam nobis desuper dexteram Dei, id est, Dominum nostrum Jesum Christum fide firma teneamus, expectemus certa spe, et charitate ardenti desideremus. Si quid autem de origine peccati diligentius quærendum adhuc putas, (nam omnino ego jam opus esse non arbitror) si quid tamen putas, in aliam disputationem differendum est. E. Sequor sane voluntatem tuam, ut in tempus aliud, quod hinc moverit, differamus. Nam illud tibi non concesserim, ut satis jam inde quæsitum putes.

[1] 1 Retract. cap. IX, n. 4.

LIBER III.

IN QUO QUÆRITUR UNDE ILLE MOTUS EXISTAT QUO VOLUNTAS AB INCOMMUTABILI BONO DEFLECTIT; AN SECUM INVICEM PUGNENT DEI PRÆSCIENTIA DE HOMINUM PECCATIS, ET HOMINUM IPSORUM IN PECCANDO LIBERTAS. MOX OSTENDITUR NEQUAQUAM ID CREATORI DEPUTANDUM QUOD IN CREATURA ITA FIERI NECESSE EST, UT VOLUNTATE PECCANTIUM FIAT; ET PRORSUS DE CREATURÆ, QUÆ PECCATO OBNOXIA SIT, PRODUCTIONE AC SUPPLICIO LAUDANDUM ESSE DEUM. HINC AD ORIGINIS VITIA PERDUCTA DISPUTATIONE DECLARATUR QUEMADMODUM EA HAUD INJUSTE IN ADÆ POSTEROS DEMANENT; UTQUE PROPTER HÆC IPSA IMMERITO PECCANTES EXCUSATIONEM OBTENDANT : DEINCEPS VERO DIFFICULTATES NONNULLÆ HUC PERTINENTES ENODANTUR.

I. QUONIAM satis mihi manifestum est, inter bona, et ea quidem non minima, numerandam esse liberam voluntatem, ex quo etiam fateri cogimur eam divinitus datam esse, darique oportuisse : jam si opportunum existimas, cupio per te cognoscere, unde ille motus existat, quo ipsa voluntas avertitur a communi atque incommutabili bono, et ad propria vel aliena vel infima, atque omnia commutabilia convertitur bona. A. Quid enim opus est hoc scire? E. Quia si ita data est, ut naturalem habeat istum motum, jam necessitate ad hæc convertitur; neque ulla culpa deprehendi potest, ubi natura necessitasque dominatur. A. Placet-ne tibi iste motus, an displicet? E. Displicet. A. Reprehendis ergo eum. E. Utique reprehendo. A. Reprehendis igitur animi motum inculpabilem. E. Inculpabilem animi motum non reprehendo;

sed nescio an ulla culpa sit relicto incommutabili bono ad commutabilia converti. A. Reprehendis ergo quod nescis. E. Noli verbo premere : ita enim dixi : Nescio an ulla culpa sit, ut intelligi voluerim sine dubio culpam esse. Nam hoc verbo quod dixi : Nescio, satis profecto irrisi dubitationem de re manifesta. A. Vide quid sit certissima veritas, quæ te coëgit tam cito oblivisci, quod paulo ante dixisti. Si enim natura vel necessitate iste motus existit, culpabilis esse nullo pacto potest : tu vero esse culpabilem ita firmissime tenes, ut dubitationem de hac re tam certa etiam irridendam putaveris. Cur ergo tibi vel affirmandum, vel certe cum aliqua dubitatione dicendum visum est, quod perspicue falsum esse ipse convincis? Dixisti enim : Si ita data est voluntas libera, ut naturalem habeat istum motum, jam necessitate ad hæc convertitur, neque ulla culpa deprehendi potest, ubi natura necessitasque dominatur. Nullo modo autem dubitare debuisti, non esse ita datum, quando istum motum culpabilem esse non dubitas. E. Ego ipsum motum culpabilem dixi, et ideo mihi displicere, et reprehendendum esse dubitare non possum : animam vero quæ isto motu ab incommutabili bono ad commutabilia detrahitur, nego esse culpandam, si ejus natura talis est, ut eo necessario moveatur.

II. A. Cujus est iste motus, quem profecto culpandum esse concedis? E. In animo eum video, sed cujus sit nescio. A. Numquid negas eo motu animum moveri? E. Non nego. A. Negas ergo motum quo movetur lapis, motum esse lapidis? Neque enim illum dico motum quo cum nos movemus, vel aliqua vi aliena movetur, veluti cum in cœlum jacitur, sed cum quo ad terram nutu suo vergit et cadit. E. Non equidem nego motum quo ita ut dicis inclinatur, et ima petit, motum esse lapidis, sed natura-

lem. Si autem hoc modo etiam illum motum habet anima, profecto etiam ipse naturalis est ; nec ex eo quod naturaliter movetur, recte vituperari potest : quia etiamsi ad perniciem movetur, naturæ tamen suæ necessitate compellitur. Porro quia istum motum non dubitamus esse culpabilem, omni modo negandum est esse naturalem : et ideo non est similis illi motui, quo naturaliter movetur lapis. A. Egimus-ne aliquid superioribus duabus disputationibus? E. Egimus sane. A. Credo ergo meminisse te in prima disputatione satis esse compertum [1], nulla re fieri mentem servam libidinis, nisi propria voluntate : nam neque a superiore, neque ab æquali eam posse ad hoc dedecus cogi, quia injustum est ; neque ab inferiore, quia non potest. Restat igitur ut ejus sit proprius iste motus, quo fruendi voluntatem ad creaturam a Creatore convertit : qui motus si culpæ deputatur (unde qui dubitat, irrisione dignus tibi visus est) non est utique naturalis, sed voluntarius ; in eoque similis est illi motui quo deorsum versus lapis fertur, quod sicut iste proprius est lapidis, sic ille animi : verumtamen in eo dissimilis, quod in potestate non habet lapis cohibere motum quo fertur inferius, animus vero dum non vult, non ita movetur, ut superioribus desertis inferiora deligat : et ideo lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius. Hinc est quod lapidem si quid dicat peccare, quod pondere suo tendit in infima, non dicam ipso lapide stolidior ; sed profecto demens judicatur : animum vero peccati arguimus, cum eum convincimus superioribus desertis ad fruendum inferiora præponere [2]. Propterea quid opus est quærere unde iste motus existat, quo voluntas avertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum, cum eum nonnisi animi, et voluntarium, et ob hoc cul-

[1] Vide supra, lib. I. — [2] I Retract. cap. IV. n. 3.

pabilem esse fateamur ; omnisque de hac re disciplina utilis ad id valeat, ut eo motu improbato atque cohibito, voluntatem nostram ad fruendum sempiterno bono, a lapsu temporalium convertamus.

III. E. Video, et quodam modo tango, et teneo vera esse quæ dicis : non enim quidquam tam firme atque intime sentio, quam me habere voluntatem, eaque me moveri ad aliquid fruendum : quid autem meum dicam prorsus non invenio, si voluntas qua volo et nolo non est mea : quapropter cui tribuendum est, si quid per illam male facio, nisi mihi ? Cum enim bonus Deus me fecerit, nec bene aliquid faciam nisi per voluntatem, ad hoc potius datam esse a bono Deo, satis apparet. Motus autem quo huc aut illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius atque in nostra positus potestate, neque laudandus cum ad superiora, neque culpandus homo esset cum ad inferiora detorquet quasi quemdam cardinem voluntatis : neque omnino monendus esset, ut istis neglectis æterna vellet adipisci, atque ut male nollet vivere, vellet autem bene. Hoc autem monendum non esse hominem quisquis existimat, de hominum numero exterminandus est.

IV. Quæ cum ita sint, ineffabiliter me movet, quomodo fieri possit, ut et Deus præscius sit omnium futurorum, et nos nulla necessitate peccemus. Quisquis enim dixerit aliter evenire posse aliquid quam Deus ante præscivit, præscientiam Dei destruere insanissima impietate molitur. Quapropter si præscivit Deus peccaturum esse primum hominem, quod necesse est concedat mihi, quisquis mecum omnium futurorum præscium fatetur Deum ; si ergo ita est, non dico non eum faceret, bonum enim fecit, nec obesse quidquam Deo posset peccatum ejus, quem bonum ipse fecit : imo in quo faciendo bonitatem suam

ostenderat, ostendit etiam in puniendo justitiam, et in liberando misericordiam. Non itaque dico, non eum faceret : sed hoc dico, quoniam peccaturum esse præsciverat, necesse erat id fieri, quod futurum esse præsciebat Deus. Quomodo est igitur voluntas libera, ubi tam inevitabilis apparet necessitas.

V. A. Pulsasti vehementer : misericordia Dei adsit, aperiatque pulsantibus. Verumtamen maximam partem hominum ista quæstione torqueri non ob aliud crediderim, nisi quia non pie quærunt, velocioresque sunt ad excusationem quam ad confessionem peccatorum suorum. Alii enim nullam divinam providentiam præesse rebus humanis libenter opinantur, dumque fortuitis committunt casibus et animos et corpora sua, tradunt se feriendos et dilaniandos libidinibus, divina judicia negantes, humana fallentes, eos a quibus accusantur, fortunæ patrocinio propulsare se putant; quam tamen cæcam effingere ac pingere consueverunt, ut aut meliores ea sint a qua se regi arbitrantur, aut se quoque cum eadem cæcitate et sentire ista fateantur et dicere. Nec enim talibus absurde etiam conceditur casibus eos agere omnia, quando agendo cadunt. Sed adversus hanc opinionem plenam stultissimi ac dementissimi erroris, satis, ut arbitror, secunda nostra sermocinatione dissertum est. Alii vero quanquam negare non audeant præsidere humanæ vitæ providentiam Dei, malunt tamen eam vel infirmam, vel injustam, vel malam nefario errore credere, quam sua peccata pietate supplici confiteri. Qui omnes si persuaderi sibi paterentur, ut cum de optimo et justissimo et potentissimo cogitant, bonitatem et justitiam et potentiam Dei longe majorem superioremque esse crederent, quam quidquid cogitatione concipiunt; considerantesque semetipsos, gratias Deo se debere intelligerent,

etiamsi aliquid inferius eos voluisset esse quam sunt, omnibusque ossibus et medullis conscientiæ suæ clama» rent: « Ego dixi, Domine misereri mei, cura animam meam, quia peccavi tibi[1] : » ita certis itineribus divinæ misericordiæ in sapientiam ducerentur, ut neque inventis rebus inflati, neque non inventis turbulenti, et cognoscendo instructiores fierent ad videndum, et ad quærendum ignorando mitiores. Tibi vero cui jam hoc persuasum esse non dubito, vide quam facile de tam magna quæstione respondeam, cum mihi prior interroganti pauca responderis.

VI. Certe enim hoc te movet, et hoc miraris, quomodo non sint contraria et repugnantia, ut et Deus præscius sit omnium futurorum, et nos non necessitate, sed voluntate peccemus. Si enim præscius est Deus, inquis, peccaturum esse hominem, necesse est ut peccet : si autem necesse est, non ergo est in peccando voluntatis arbitrium, sed potius inevitabilis et fixa necessitas. Qua ratiocinatione hoc videlicet ne conficiatur times, ut aut Deus futurorum omnium præscius impie negetur, aut si hoc negare non possumus, fateamur non voluntate, sed necessitate peccari : an aliquid aliud te movet? E. Nihil interim aliud. A. Res ergo universas quarum Deus est præscius, non voluntate sed necessitate fieri putas. E. Omnino ita puto. A. Expergiscere tandem, teque ipsum paululum intuere, et dic mihi, si potes, qualem sis habiturus eras voluntatem, utrum peccandi, an recte faciendi? E. Nescio. A. Quid, Deum itidem nescire hoc putas? E. Nullo modo id putaverim. A. Si ergo voluntatem tuam crastinam novit, et omnium hominum, sive qui sunt, sive qui futuri sunt, futuras prævidet voluntates, multo magis prævidet quid de justis impiisque facturus sit. E.

[1] Psal. XL, 5.

Prorsus si meorum operum præscium Deum dico, multo fidentius eum dixerim præscire opera sua, et quid sit facturus certissime prævidere. A. Nonne igitur caves, ne tibi dicatur, etiam ipsum quæcumque facturus est, non voluntate sed necessitate facturum, si omnia quorum Deus præscius est, necessitate fiunt, non voluntate? E. Ego cum dicerem necessitate universa fieri, quæ Deus futura præscivit, ea sola intuebar, quæ in creatura ejus fiunt, non autem quæ in ipso : non enim ea fiunt, sed sunt sempiterna. A. Nihil ergo in sua creatura operatur Deus. E. Jam semel statuit quemadmodum feratur ordo ejus universitatis quam condidit; neque enim aliquid nova voluntate administrat. A. Numquid neminem beatum facit? E. Facit vero. A. Tunc utique facit, quando ille fit. E. Ita est. A. Si igitur, verbi gratia, post annum beatus futurus es, post annum te beatum facturus est. E. Etiam. A. Jam ergo præscit hodie, quod post annum facturus est. E. Semper hoc præscivit : nunc quoque hoc eum præscire consentio, si est ita futurum.

VII. A. Dic quæso, num tu creatura ejus non es, aut tua beatitudo non in te fiet? E. Imo et creatura ejus sum, et in me fiet quod beatus ero. A. Non ergo voluntate sed necessitate in te fiet beatitudo tua Deo faciente. E. Voluntas illius mihi est necessitas. A. Tu itaque invitus beatus eris. E. Mihi si esset potestas ut essem beatus, jam profecto essem : volo enim etiam nunc, et non sum, quia non ego, sed ille me beatum facit. A. Optime de te veritas clamat. Non enim posses aliud sentire esse in potestate nostra[1], nisi quod cum volumus facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus præsto est. Et ideo recte possumus dicere, non voluntate senes-

[1] Retract. cap. IX, n. 3.

cimus, sed necessitate ; aut non voluntate morimur, sed necessitate; et si quid aliud hujusmodi : non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere? Quamobrem quamvis præsciat Deus nostras voluntates futuras : non ex eo tamen conficitur, ut non voluntate aliquid velimus. Nam et de beatitudine quod dixisti, non abs te ipso beatum fieri, ita dixisti, quasi hoc ego negaverim : sed dico, cum futurus es beatus, non te invitum, sed volentem futurum. Cum igitur præscius Deus sit futuræ beatitudinis tuæ, nec aliter aliquid fieri possit quam ille præscivit, alioquin nulla præscientia est, non tamen ex eo cogimur sentire, quod absurdissimum est et longe a veritate seclusum, non te volentem beatum futurum. Sicut autem voluntatem beatitudinis, cum esse cœperis beatus, non tibi aufert præscientia Dei, quæ hodieque de tua futura beatitudine certa est : sic etiam voluntas culpabilis, si qua in te futura est, non propterea voluntas non erit, quoniam Deus eam futuram esse præscivit.

VIII. Attende enim, quæso, quanta cæcitate dicatur: Si præscivit Deus futuram voluntatem meam, quoniam nihil aliter potest fieri quam præscivit, necesse est ut velim quod ille præscivit : si autem necesse est, non jam voluntate, sed necessitate id me velle fatendum est. O stultitiam singularem! Quomodo ergo non potest aliud fieri quam præscivit Deus, si voluntas non erit, quam voluntatem futuram ille præsciverit? Omitto illud æque monstruosum, quod paulo ante dixi eumdem hominem dicere : Necesse est ut ita velim, qui necessitate supposita auferre nititur voluntatem. Si enim necesse est ut velit, unde volet cum voluntas non erit? Quod si non hoc modo dixerit, sed dixerit se, quia necesse est ut velit, ipsam voluntatem in potestate non habere occurretur ex

eo quod ipse dixisti, cum quærerem utrum invitus beatus futurus sis : respondisti enim quod jam esses beatus, si potestas esset in te ; velle enim te, sed nondum posse dixisti. Ubi ego subjeci de te clamasse veritatem : non enim negare possumus habere nos potestatem, nisi dum nobis non adest quod volumus : dum autem volumus, si voluntas ipsa deest nobis, non utique volumus. Quod si fieri non potest, ut dum volumus non velimus, adest utique voluntas volentibus : nec aliud quidquam est in potestate, nisi quod volentibus adest. Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus. Ita fit ut et Deum non negemus esse præscium omnium futurorum, et nos tamen velimus quod volumus. Cum enim sit præscius voluntatis nostræ, cujus est præscius ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit. Ergo et potestatis est præscius. Non igitur per ejus præscientiam mihi potestas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cujus præscientia non fallitur, affuturam mihi esse præscivit. E. Ecce jam non nego ita necesse esse fieri quæcumque præscivit Deus, et ita eum peccata nostra præscire, ut maneat tamen nobis voluntas libera, atque in nostra posita potestate.

IX. A. Quid ergo te movet? An forte oblitus quid prima nostra disputatio peregerit ; negabis nullo cogente, aut superiore, aut inferiore, aut æquali, sed ea nos voluntate peccare? E. Nihil horum prorsus audeo negare : sed tamen fateor, nondum video quomodo sibi non adversentur hæc duo, præscientia Dei de peccatis nostris, et nostrum in peccando liberum arbitrium. Nam et justum Deum necesse est fateamur, et præscium. Sed scire vel-

lem, qua justitia puniat peccata, quæ necesse est fieri : aut quomodo non sit necesse fieri, quæ futura esse præscivit : aut quomodo non creatori deputandum est, quidquid in ejus creatura fieri necesse est.

X. A. Unde tibi videtur adversum esse liberum arbitrium nostrum præscientiæ Dei ; quia præscientia est, an quia Dei præscientia est? E. Quia Dei potius. A. Quid ergo si tu præscires peccaturum esse aliquem, non esset necesse ut peccaret? E. Imo necesse esset ut peccaret : non enim aliter esset præscientia mea, nisi certa præscirem. A. Non igitur quia Dei præscientia est, necesse est fieri quæ præscierit, sed tantummodo quia præscientia est ; quæ si non certa prænoscit, utique nulla est. E. Consentio : sed quorsum ista? A. Quia nisi fallor, non continuo tu peccare cogeres, quem peccaturum esse præscires ; neque ipsa præscientia tua peccare eum cogeret, quamvis sine dubio peccaturus esset : non enim aliter futurum id esse præscires. Sicut itaque non sibi adversantur hæc duo, ut tu præscientia tua noveris, quod alius sua voluntate facturus est : ita Deus neminem ad peccandum cogens, prævidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt.

XI. Cur ergo non vindicet justus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse quæ præterierunt : sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt. Et sicut tu quædam quæ fecisti meministi, nec tamen quæ meministi omnia fecisti : ita Deus omnia quorum ipse auctor est præscit, nec tamen omnium quæ præscit ipse auctor est. Quorum autem non est malus auctor, justus est ultor. Hinc ergo jam intellige, qua justitia Deus peccata puniat, quia quæ novit futura non facit : nam si propterea non debet retribuere supplicium peccantibus, quia prævidet peccaturos : nec

recte facientibus debet præmia retribuere, quia et recte facturos nihilominus prævidet. Imovero fateamur, et ad præscientiam ejus pertinere, ne quid eum lateat futurorum, et ad justitiam, ut peccatum, quia voluntate committitur, ita judicio ejus impune non fiat, sicut præscientia non cogitur fieri.

XII. Jam illud quod tertio loco posuisti, quomodo non creatori deputandum sit, quidquid in ejus creatura fieri necesse est, regula illa pietatis facile commonebit, quam meminisse nos convenit, gratiarum actionem nos debere Creatori nostro. Cujus profecto largissima bonitas justissime laudaretur; etiamsi aliquo inferiore creaturæ gradu nos condidisset. Quamvis enim anima nostra peccatis tabefacta sit, sublimior est tamen et melior, quam si in hanc lucem visibilem verteretur. Et vides profecto de hujus lucis eminentia, quantum laudent animæ Deum etiam corporis sensibus deditæ. Quapropter non te ista jam moveat, quod vituperantur animæ peccatrices, ut dicas in corde tuo, melius fuisse, si non essent. In sui enim comparatione vituperantur, dum cogitatur quales essent, si peccare noluissent. Institutor tamen earum Deus præclarissime pro humana facultate laudandus est, non solum quoniam peccantes eas juste ordinat, sed etiam quia tales instituit, ut etiam peccatis sordidatæ, nullo modo lucis corporalis dignitate superentur, de qua tamen jure laudatur.

XIII. Illud quoque moneo caveas, ne forte non dicas quidem melius fuisse ut non essent, sed dicas aliter fieri eas debuisse. Quidquid enim tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem. Non est autem vera ratio, sed invida infirmitas, cum aliquid melius faciendum fuisse cogitaveris, jam nihil aliud inferius velle fieri, tanquam si perspecto

cœlo nolles terram factam esse; inique omnino. Recte enim reprehenderes, si prætermisso cœlo terram factam videres, quoniam diceres ita eam fieri debuisse, sicuti posses cogitare cœlum. Cum ergo etiam illud ad cujus speciem volebas terram perducere, factum esse perspiceres, non autem hoc terram, sed cœlum vocari; credo quod re meliore non fraudatus, ut inferior quoque aliqua fieret et terra esset: nequaquam invidere deberes. In qua terra rursus secundum partes ejus tanta est varietas, ut nihil quod ad terræ pertinet speciem cogitanti occurrat, quod non in tota ejus mole Deus omnium conditor fecerit. Namque a terra feracissima et amœnissima usque ad salsissimam et infœcundissimam, ita gradatim per medias pervenitur, ut nullam reprehendere audeas, nisi in comparatione melioris; atque ita per omnes gradus laudis ascendas, ut quod summum genus terræ inveneris, solum tamen esse nolis. Jamvero inter totam terram et cœlum quanta distantia est? Interponuntur enim humida flabilisque natura. Atque ex his quatuor elementis aliæ innumerabiles nobis, numeratæ autem Deo rerum species formæque variantur. Potest ergo esse aliquid in rerum natura, quod tua ratione non cogitas. Non esse autem, quod vera ratione cogitas, non potest. Neque enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare, quod creaturæ artificem fugerit. Humana quippe anima naturaliter divinis ex quibus pendet connexa rationibus, cum dicit: Melius hoc fieret quam illud, si verum dicit, et videt quod dicit, in illis quibus connexa est rationibus videt. Credat ergo Deum fecisse, quod vera ratione ab eo faciendum fuisse cognovit, etiam si hoc in rebus factis non videt. Quia etiam si cœlum oculis videre non posset, et tamen ratione vera tale aliquid faciendum fuisse colligeret, credere debuit factum esse, quamvis id oculis non videret. Non

enim cogitatione videret fuisse faciendum, nisi in iis rationibus quibus facta sunt omnia. Quod autem ibi non est, tam nemo potest veraci cogitatione videre, quam non est verum.

XIV. In eo plerique homines errant, quia meliora cum mente conspexerint, non in sedibus congruis ea oculis quærunt. Velut si quisquam perfectam rotunditatem ratione comprehendens, stomachetur quod talem in nuce non invenit, si nullum unquam corpus rotundum præter hujuscemodi poma conspexit. Nam ita quidam cum ratione verissima videant meliorem esse creaturam, quæ quamvis habeat liberam voluntatem, Deo tamen semper infixa, nunquam peccaverit, intuentes peccata hominum, non ut peccare desinant, sed quia facti sunt dolent, dicentes : Tales nos faceret, ut semper incommutabili ejus veritate perfrui, nunquam autem peccare vellemus. Non clament, non succenseant : quia neque ipsos ideo coëgit peccare, quia fecit, quibus potestatem utrum vellent dedit : et sunt tales quidam Angeli, qui neque peccaverunt unquam, neque peccaturi sunt. Quamobrem si te delectat creatura, quæ perseverantissima voluntate non peccat, non est dubitandum quod eam peccanti recta ratione præponas : sed sicut eam tu cogitatione præponis ; sic eam creator Deus ordinatione præposuit. Crede esse talem in superioribus sedibus, et in sublimitate cœlorum : quia si bonitatem Conditor præbuit ad eam condendam, cujus prævidit futura peccata, nullo modo non præberet eam bonitatem, ut creaturam conderet, quam peccaturam non esse præscivit.

XV. Habet enim illa sublimis perpetuam beatitudinem suam, in perpetuum fruens Creatore suo, quam perpetua tenendæ justitiæ voluntate promeretur. Habet deinde ordinem suum etiam ista peccatrix, amissa in peccatis beati-

tudine, sed non dimissa recuperandæ beatitudinis facultate. Quæ profecto superat eam, quam peccandi perpetua voluntas tenet : inter quam et illam priorem permanentem in voluntate justitiæ, hæc medietatem quamdam demonstrat, quæ pœnitendi humilitate altitudinem suam recipit. Nam neque ab illa creatura, quam præscivit Deus, non solum peccaturam, sed etiam in peccandi voluntate mansuram, abstinuit largitatem bonitatis suæ, ut eam non conderet. Sicut enim melior est vel aberrans equus, quam lapis propterea non aberrans, quia proprio motu et sensu caret : ita est excellentior creatura, quæ libera voluntate peccat, quam quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem. Et sicut laudarem vinum in suo genere bonum, de quo vino inebriatum hominem vituperarem, et tamen eumdem hominem jam vituperatum et adhuc ebrium, laudato illi vino, de quo ebrius factus est, anteponerem : ita corporalis creatura in suo gradu jure laudanda est, cum illi vituperandi sint, qui ejus immoderato usu a veritatis perceptione avertuntur : quamvis iidem rursus jam perversi, et quodam modo temulenti, eidem creaturæ in ordine suo laudabili, cujus aviditate evanuerunt, non jam merito vitiorum, sed adhuc naturæ dignitate præferuntur.

XVI. Quia igitur omnis anima omni corpore est melior, omnisque peccatrix anima quocumque ceciderit, nulla commutatione corpus efficitur, nec omnino illi aufertur quod anima est, et ideo nullo pacto amittit quod corpore est melior, in corporibus autem lux tenet primum locum ; consequens est ut primo corpori anima extrema præponatur, fierique possit ut corpori alicujus animæ aliquod aliud corpus anteferatur, ut autem ipsi animæ nullo modo. Cur ergo non laudetur Deus, et ineffabili prædicatione laudetur, qui cum fecerit eas, quæ in legibus essent justi

tiæ permansuræ, fecit etiam alias animas, quas vel peccaturas, vel in peccatis etiam perseveraturas esse prævidebat : cum et tales adhuc meliores sint eis, quæ quoniam nullum habent rationale ac liberum voluntatis arbitrium, peccare non possunt ? Quæ tamen adhuc etiam ipsæ meliores sunt, quam corporum quorumlibet quamlibet splendidissimus fulgor, quem pro ipsius summi Dei substantia quidam [1] quamvis cum magno errore venerantur. Quod si in ordine corporearum creaturarum ab ipsis siderum choris usque ad numerum capillorum nostrorum, ita gradatim bonarum rerum pulchritudo contexitur, ut imperitissime dicatur : Quid est hoc ? Ut quid hoc ? omnia enim ordine suo creata sunt : quanto imperitius de quacumque anima dicitur, quæ ad quantamlibet sui decoris diminutionem defectumque pervenerit, omnium corporum dignitatem sine ulla dubitatione semper superabit ?

XVII. Aliter enim æstimat ratio, aliter usus. Ratio æstimat luce veritatis, ut recto judicio subdat minora majoribus. Usus autem consuetudine commoditatis plerumque inclinatur, ut ea pluris æstimet quæ veritas minora esse convincit. Cum enim corpora cœlestia corporibus terrestribus magna differentia ratio præponat, quis tamen carnalium hominum non mallet, vel plura deesse in cœlo sidera, quam unam arbusculam in agro suo, aut vaccam in armento ? Sed sicut ætate majores homines vel omnino contemnunt, vel certe patienter corrigenda expectant judicia parvulorum, qui exceptis quibusdam, quorum amore lætantur, quemlibet hominum cæterorum mori malunt, quam passerem suum ; et multo magis si homo sit ille terribilis, passer autem canorus et pulcher : ita ii qui provectu animi ad sapientiam profecerunt, imperitos rerum æstimatores cum invenerint Deum laudantes in creaturis

[1] Manichæi.

minoribus, qui eas carnalibus suis sensibus accommodatius adhibent, in superioribus vero atque melioribus partim eum non laudantes, minusve laudantes, partim etiam vituperare aut emendare conantes, partim non credentes quod earum ille sit conditor, talium judicia vel omnino contemnere, si corrigere nequeunt, vel donec corrigant, æquo animo tolerare ac sustinere consuescant.

XVIII. Quæ cum ita se habeant, tantum abest a vero, quod Creatori deputanda existimantur peccata creaturæ, quamvis necesse est fiant, quæ ipse futura præscivit, ut cum tu dixeris non te invenire quomodo non ei deputetur quidquid in ejus creatura fieri necesse est, ego contra non inveniam modum, neque inveniri posse atque omnino non esse confirmem, quo ei deputetur quidquid in ejus creatura ita fieri necesse est, ut voluntate peccantium fiat. Si enim quis dixerit : Non esse, quam miserum me esse mallem : respondebo : Mentiris. Nam et nunc miser es, nec ob aliud mori non vis, nisi ut sis : ita cum miser nolis esse, esse vis tamen. Age igitur gratias ex eo quod es volens, ut quod invitus es auferatur. Volens enim es, et miser invitus es. Quod si ingratus es in eo quod esse vis, jure cogeris esse quod non vis. Ex illo igitur quod etiam ingratus habes quod vis, Creatoris laudo bonitatem : ex illo autem quod pateris ingratus quod non vis, ordinatoris laudo justitiam.

XIX. Si dixerit : Non ideo mori nolo, quod malim miser esse quam omnino non esse, sed ne post mortem miserior sim : respondebo : Si hoc injustum est, non sic eris : si autem hoc justum est, laudemus eum cujus legibus sic eris. Si dixerit : Unde præsumam quod si hoc injustum est, non sic ero ? respondebo : Quia si eris in tua potestate, aut miser non eris, aut tu ipse te injuste regendo, juste eris miser : aut volendo et non valendo te juste re-

gere, non eris in tua potestate, et aut in nullius eris, aut in alterius : Si in nullius, aut invitus, aut volens : sed invitus esse nihil potes, nisi te vis aliqua superaverit, porro nulla vi superari potest, qui est in nullius potestate : si autem volens in nullius eris potestate, ad hoc ratio recurrit, ut sis in tua ; et aut te injuste regendo juste miser sis : aut quoniam quodlibet volens eris, habes adhuc unde gratias agas bonitati Conditoris tui. Quod si in tua potestate non eris, aut potentior profecto, aut infirmior te habebit in potestate. Quod si infirmior tua culpa, et justa miseria : poteris enim infirmiorem superare si voles. Si autem potentior te infirmiorem habebit in potestate, nullo modo tam rectam ordinationem recte injustam putabis. Verissime igitur dictum est : Si hoc injustum est, non sic eris ; si autem justum, laudemus eum cujus legibus sic eris.

XX. Si dixerit : Ideo magis volo vel miser esse, quam omnino non esse, quia jam sum : si autem prius quam essem possem consuli, eligerem non esse potius quam ut essem miser. Nunc enim quod timeo non esse cum miser sim, ad ipsam miseriam pertinet, qua non id volo, quod velle deberem ; magis enim non esse quam miser esse velle deberem. Nunc vero fateor me quidem malle vel miserum esse quam nihil ; sed tanto stultius id volo, quanto miserius : tanto autem miserius, quanto verius video non hoc me velle debuisse. Respondebo : Cave potius ne hic erres, ubi te videre verum putas. Nam si beatus esses, utique esse quam non esse malles : et nunc miser cum sis, mavis tamen esse vel miser quam omnino non esse, cum esse nolis miser. Considera igitur, quantum potes, quam magnum bonum sit ipsum esse, quod et beati et miseri volunt. Nam si hoc bene consideraveris, videbis te in tantum esse miserum, in quantum non propinquas ei quod

summe est ; in tantum autem putare melius esse, ut quisque non sit quam ut miser sit, in quantum non vides quod summe est : et ideo tamen te esse velle quoniam ab illo es qui summe est.

XXI. Si vis itaque miseriam fugere, ama in te hoc ipsum, quia esse vis. Si enim magis magisque esse volueris, ei quod summe est propinquabis : et gratias age nunc quia es. Quamvis enim beatis sis inferior, superior tamen es quam ea quæ non habent vel beatitudinis voluntatem ; quorum tamen multa etiam a miseris laudantur. Omnia tamen eo ipso quo sunt, jure laudanda sunt : quia eo ipso quo sunt, bona sunt. Quanto enim amplius esse amaveris, tanto amplius vitam æternam desiderabis, teque ita formari exoptabis, ut affectiones tuæ non sint temporales ; de temporalium rerum amoribus injustæ et impressæ : quæ temporalia et ante quam sint non sunt, et cum sunt fugiunt, et cum fugerint non erunt. Itaque cum futura sunt, nondum sunt ; cum autem præterita sunt, jam non sunt. Quomodo igitur tenebuntur ut maneant, quibus hoc est incipere ut sint, quod est pergere ut non sint. Quia autem amat esse, probat ista in quantum sunt, et amat quod semper est. Et si variabatur in amore istorum, munietur in illius ; et si diffluebat in amore transeuntium, in permanentis amore solidabitur, et stabit, et obtinebit ipsum esse, quod volebat cum timebat non esse, et stare non poterat irretitus amore fugientium. Non igitur tibi displiceat, imo maxime placeat, quo mavis esse vel miser, quam propterea miser non esse, quia nihil eris. Huic enim exordio quo esse vis, si adjicias magis magisque esse, consurgis atque extrueris in id quod summe est ; atque ita te ab omni labe cohibebis, qua transit ut non sit quod infime est, et secum amantis vires subruit. Hinc fiet ut qui mavult non esse ne miser sit, quia non esse

non potest, restet ut miser sit. Qui autem plus amat esse quam odit miser esse, adjiciendo ad id quod amat, quod odit excludat; cum enim in suo genere perfecte esse cœperit, miser non erit.

XXII. Nam illud vide quam absurbe et inconvenienter dicatur : Mallem non esse quam miser esse. Qui enim dicit : Mallem hoc quam illud, eligit aliquid. Non esse autem non est aliquid, sed nihil : et ideo nullo pacto potes recte eligere, quando quod eligas non est. Dicis velle te quidem esse, cum sis miser, sed non hoc velle debuisse. Quid igitur velle debuisti ? Non esse, inquis, potius. Si hoc velle debuisti, hoc est melius : quod autem non est, melius esse non potest : non ergo id velle debuisti; veraciorque sensus est quo id non vis, quam opinatio per quam te id velle debuisse arbitraris. Deinde quod quisque recte eligit appetendum, cum ad id pervenerit, necesse est melior fiat : melior autem esse non poterit, qui non erit : nemo igitur recte potest eligere ut non sit. Neque enim moveri nos oportet eorum judicio, qui urgente miseria sese interemerunt. Aut enim eo confugerunt, ubi melius fore sibi putarunt; et non est contrarium rationi nostræ, quoquo modo putaverint : aut si nullos se futuros omnino crediderunt, multo minus falsa electio nihil eligentium commovebit. Quomodo enim sequar eligentem, a quo si quæram quid eligat, respondebit : Nihil ? Nam qui eligit non esse, profecto se nihil eligere, etiam si hoc nolit respondere, convincitur.

XXIII. Verumtamen ut de hac tota re, si potero dicam quod sentio. Nemo mihi videtur, cum se ipsum necat aut quolibet modo emori cupit, habere in sensu, quod post mortem non sit futurus; tametsi aliquantum hoc in opinione habeat. Nam opinio aut in errore, aut in veritate ratiocinantis est, vel credentis : sensus autem aut consue-

tudine aut natura valet. Posse autem fieri ut aliud sit in opinione, aliud in sensu, vel ex hoc cognoscere facile est, quod plerumque aliud faciendum esse credimus, et aliud facere delectat. Et aliquando veracior est sensus quam opinio, si illa de errore, ille de natura est : velut cum æger plerumque aqua frigida conducibiliter delectatur, quam tamen credit, si biberit, esse nocituram. Aliquando veracior opinio quam sensus, si credit arti medicinæ, obesse frigidam, cum revera oberit, et tamen bibere delectet : aliquando utrumque in veritate est, cum id quod prodest, non solum ita creditur, sed etiam libet. Aliquando utrumque in errore, cum id quod nocet, et prodesse creditur, et libere non desinit. Solet autem et recta opinio pravam corrigere consuetudinem, et prava opinio rectam depravare naturam : tanta vis est in dominatu et principatu rationis. Cum ergo quisque credens, quod post mortem non erit, intolerabilibus tamen molestiis ad totam cupiditatem mortis impellitur, et decernit atque arripit mortem, in opinione habet errorem omnimodæ defectionis, in sensu autem naturale desiderium quietis. Quod autem quietum est, non est nihil ; imo etiam magis est quam id quod inquietum est. Inquietudo enim variat affectiones, ut altera alteram perimat : quies autem habet constantiam, in qua maxime intelligitur quod dicitur, est. Omnis itaque ille appetitus in voluntate mortis, non ut qui moritur non sit, sed ut requiescat intenditur. Ita cum errore credat non se futurum, natura tamen quietus esse, hoc est, magis esse desiderat. Quapropter sicut nullo pacto fieri potest, ut non esse aliquem libeat : ita nullo pacto fieri oportet, ut ex eo quod est quisque, bonitati Creatoris ingratus sit.

XXIV. Si dixerit : Non erat tamen difficile aut laboriosum omnipotenti Deo, ut omnia quæcumque fecit sic

haberent ordinem suum, ut nulla creatura usque ad miseriam perveniret; non enim hoc aut omnipotens non potuit, aut bonus invidit: respondebo, ordinem creaturarum a summa usque ad infimam gradibus justis ita decurrere, ut ille invideat qui dixerit: Ista non esset: invideat etiam ille qui dixerit: Ista talis esset. Si enim talem vult esse qualis est superior, jam illa est, et tanta est ut adjici ei non oporteat, quia perfecta est. Qui ergo dicit: Etiam ista talis esset, aut perfectæ superiori vult addere, et erit immoderatus et injustus; aut istam vult interimere, et erit malus atque invidus. Qui autem dixerit: Ista non esset, nihilominus erit malus atque invidus, cum eam non vult esse, qua inferiorem laudare adhuc cogitur. Velut si dicat: Non esset luna, cum etiam lucernæ claritatem longe inferiorem, in suo tamen genere pulchram, et terrenis tenebris esse decoram atque aptam nocturnis usibus, atque in his omnibus pro suo modulo utique laudabilem aut fateatur, aut stultissime vel contentiose neget. Quomodo ergo recte dicere audebit: Luna non esset in rebus, qui si diceret: Lucerna non esset, deridendum se esse sentiret? Quod si non dicit: Luna non esset, sed qualem solem videt, talem dicit lunam esse debuisse, non intelligit nihil aliud se dicere quam: Non esset luna, sed essent soles duo. In quo dupliciter errat, quod rerum perfectioni et addere aliquid cupit, cum desiderat alterum solem; et minuere cum lunam vult detrahi.

XXV. Hic fortasse dicat, ideo nihil se de luna conqueri, quia splendor ejus ita minor est, ut miser non sit; de animarum autem non obscuritate, sed miseria se dolere. Sedulo cogitet ita lunæ splendorem non esse miserum, ut nec splendor solis sit beatus. Quamvis enim corpora cœlestia sint, corpora sunt tamen quantum ad lucem istam pertinet, quæ per corporeos oculos sentiri potest.

Nulla autem corpora, quantum ad sese attinet, vel beata possunt esse, vel misera; quanquam beatorum aut miserorum corpora possint esse. Sed de illis luminibus similitudo adhibita id docet, ut quemadmodum corporum differentias contemplando, videns alia clariora injuste petis auferri quæ obscuriora conspexeris, aut clarioribus adæquari; sed ad perfectionem universatis referens omnia, quanto magis minusve inter se clara sunt, tanto magis cernis esse omnia; nec tibi occurrit perfecta universitas, nisi ubi majora sic præsto sunt, ut minora non desint: sic etiam differentias animarum cogites, in quibus hoc quoque invenies, ut miseriam quam doles, ad id quoque valere cognoscas, ut universitatis perfectioni nec illæ desint animæ, quæ miseræ fieri debuerunt, quia peccatrices esse voluerunt. Tantumque abest ut Deus tales facere non debuerit, ut etiam cæteras creaturas laudabiliter fecerit longe inferiores animis miseris.

XXVI. Sed adhuc videtur minus intelligens quod dictum est, habere quod contradicat: dicit enim: Si universitatis perfectionem complet etiam nostra miseria, defuisset aliquid huic perfectioni, si beati semper essemus. Quapropter si ad miseriam nisi peccando non pervenit anima, etiam peccata nostra necessaria sunt perfectioni universitati quam condidit Deus. Quomodo ergo juste peccata punit, quæ si defuissent, creatura ejus plena et perfecta non esset? Hic respondetur, non ipsa peccata vel ipsam miseriam perfectioni universitatis esse necessaria, sed animas in quantum animæ sunt; quæ si velint, peccant; si peccaverint, miseræ fiunt. Si enim peccatis earum detractis miseria perseverat, aut etiam peccata præcedit, recte deformari dicitur ordo atque administratio universitatis. Rursus si peccata fiant, et desit miseria, nihilominus dehonestat ordinem iniquitas. Cum autem

non peccantibus adest beatitudo, perfecta est universitas. Cum vero peccantibus adest miseria, nihilominus perfecta est universitas. Quod autem ipse non desunt animæ, quas vel peccantes sequitur miseria, vel recte facientes beatitudo, semper naturis omnibus universitas plena atque perfecta est. Non enim peccatum et supplicium peccati naturæ sunt quædam, sed affectiones naturarum, illa voluntaria, ista pœnalis. Sed voluntaria quæ in peccato fit, turpis affectio est. Cui propterea pœnalis adhibetur, ut ordinet eam, ubi talem esse non turpe sit, et decori universitatis congruere cogat, ut peccati dedecus emendet pœna peccati.

XXVII. Hinc fit ut peccans creatura superior, a creaturis inferioribus puniatur; quia ille tam sunt infimæ, ut ornari etiam a turpibus animis possint, atque ita decori universitatis congruere. Quid enim tam magnum in domo est quam homo, et quid tam abjectum et infimum quam cloaca domus? Servus tamen in tali peccato detectus, ut mundandæ cloacæ dignus habeatur, ornat eam etiam turpitudine sua; et utrumque horum, id est, turpitudo servi, et mundatio cloacæ, jam conjunctum et redactum in quamdam sui generis unitatem, ita dispositæ domui coaptatur atque subtexitur, ut ejus universitati ordinatissimo decore conveniat. Qui tamen servus si peccare noluisset, non defuisset domesticæ disciplinæ alia provisio, qua necessaria mundarentur. Quid itaque tam infimum in rebus quam corpus omne terrenum? Hanc tamen corruptibilem carnem etiam peccatrix anima sic ornat, ut ei speciem decentissimam præbeat, motumque vitalem. Habitationi ergo cœlesti talis anima non congruit per peccatum; terrestri autem congruit per supplicium : ut quodlibet elegerit, semper sit pulchra universitas decentissimis partibus ordinata, cujus est conditor et administrator

Deus. Namque optimæ animæ cum in infimis creaturis habitant, non eas ornant miseria sua quam non habent, sed usu earum bono. Si autem peccatrices animæ permittantur habitare in sublimibus locis, inhonestum est : quia non conveniunt illis, quibus nec bene uti possunt, nec ornamenti aliquid conferunt.

XXVIII. Ideo quanquam orbis iste terrenus rebus corruptibilibus deputatus sit, tamen servans quantum potest imaginem superiorum, exempla nobis et indicia quædam demonstrare non cessat. Si enim bonum et magnum aliquem virum hortante honestatis officio videamus ignibus, quantum ad corpus attinet, concremari, non hoc vocamus pœnam peccati, sed fortitudinis et patientiæ documentum, eumque magis diligimus, cum fœdissima corruptio corporea membra ejus absumat, quam si nihil hujusmodi pateretur : miramur quippe animi natura mutabilitate corporis non mutari. At vero crudelissimi latronis membra cum tali supplicio confici aspicimus, approbamus ordinem legum. Ornant ergo ambo illa tormenta, sed ille merito virtutis, iste peccati. At si post illos ignes, vel etiam ante illos, optimum virum illum commutatum ad congruentiam cœlestis habitationis ad sidera videremus attolli, utique lætaremur. Si autem sceleratum latronem, sive ante supplicium, sive post supplicium, cum eadem militia voluntatis ad sedem honoris sempiternam levari videremus in cœlum, quis non offenderetur? Ita fit ut inferiores creaturas ambo ornare potuerint, superiores autem unus illorum. Ex quo admonemur advertere, mortalitatem carnis hujus et primum hominem ornasse, ut peccato pœna congrueret, et Dominum nostrum, ut a peccato misericordia liberaret. Non autem sicut justus potuit in ipsa justitia permanens corpus habere mortale ; ita iniquus potest dum iniquus est, ad immortalitatem per-

venire sanctorum, scilicet sublimem et angelicam, non eorum Angelorum, de quibus Apostolus ait : « Nescitis » quia Angelos sumus judicaturi[1], » sed eorum de quibus Dominus ait : « Et erunt æquales Angelis Dei[2]. » Qui enim æqualitatem Angelorum desiderant propter inanem gloriam suam, non ideo volunt æquales esse Angelis, sed Angelos sibi. Itaque in tali voluntate perseverantes, æquabuntur supplicio prævaricatoribus Angelis, potestatem suam potius quam Dei omnipotentis diligentibus. Talibus enim ad sinistram constitutis, quia non quæsierunt Deum per humilitatis januam, quam in se ipso Dominus Jesus Christus ostendit, et immisericorditer superbeque vixerunt, dicetur : « Ite in ignem æternum, qui » præparatus est diabolo et angelis ejus[3]. »

XXIX. Cum enim duæ sint origines peccatorum, una spontanea cogitatione, alia persuasione alterius, quo pertinere arbitror quod Propheta dicit : « Ab occultis meis » munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo[4]. » Utrumque voluntarium est quidem; nam sicut propria cogitatione non peccat invitus, ita dum consentit male suadenti, non utique nisi voluntate consentit : sed tamen gravius est, non solum nullo suadente propria cogitatione peccare, sed etiam peccandum alteri per invidentiam dolumque suadere, quam ad peccandum alterius suasione traduci. Servata est ergo in utroque peccato justitia Domini punientis. Nam et illud appensum est æquitatis examine, ut nec ipsius diaboli potestati negaretur homo, quem sibi male suadendo subjecerat. Iniquum enim erat, ut ei quem cœperat, non dominaretur. Nec fieri ullo modo potest, ut Dei summi et veri perfecta justitia, quæ usquequaque pertenditur, deserat etiam ordinandas ruinas peccantium. Et tamen quia minus peccaverat homo quam

[1] 1 Cor. VI, 2. — [2] Luc. XX, 36. — [3] Matth. XXV, 41. — [4] Psal. XVIII, 14.

diabolus, idipsum ei valuit ad reparandam salutem, quod principi hujus mundi, patris rerum scilicet hujus mortalis atque infimæ, hoc est, principi omnium peccatorum, et præposito mortis, usque ad mortalitatem carnis addictus est. Ita enim conscientia mortalitatis timidus, et a vilissimis et abjectissimis bestiis vel etiam minutissimis molestias atque interitum reformidans, incertusque futurorum, et illicitas cohibere lætitias, et maxime superbiam, cujus persuasione dejectus est, et quo uno vitio misericordiæ medicina respuitur, frangere consuevit. Quid enim tam opus habens misericordia quam miser? Et quid tam indignum misericordia quam superbus miser?

XXX. Ex quo factum est, ut illud Dei Verbum per quod facta sunt omnia, et quo fruitur omnis angelica beatitudo, usque ad miseriam nostram clementiam suam porrigeret, et Verbum caro fieret, et habitaret in nobis. Sic enim posset panem Angelorum homo manducare, nondum Angelis adæquatus, si panis ipse Angelorum hominibus dignaretur æquari. Nec sic descendit ad nos, ut illos desereret; sed simul integer illis, integer nobis, illos intrinsecus pascens per id quod Deus est, nos forinsecus admonens per id quod nos sumus, idoneos facit per fidem, quos per speciem pascat æqualiter. Quia enim rationalis creatura Verbo illo tanquam optimo cibo suo pascitur: humana autem anima rationalis est, quæ mortalibus vinculis peccati pœna tenebatur, ad hoc diminutionis redacta, ut per conjecturas rerum visibilium ad intelligenda invisibilia niteretur; cibus rationalis creaturæ factus est visibilis, non commutatione naturæ suæ, sed habitu nostræ, ut visibilia sectantes, ad se invisibilem revocaret. Sic eum anima, quem superbiens intus reliquerat, foris humilem invenit, imitatura ejus humilitatem visibilem, et ad invisibilem altitudinem reditura.

XXXI. Atque Verbum Dei unicus Dei Filius, diabolum quem semper sub legibus suis habuit et habebit, homine indutus etiam homini subjugavit : nihil ei extorquens violento dominatu, sed superans eum lege justitiæ ; ut quoniam fœmina decepta, et dejecto per fœminam viro omnem prolem primi hominis tanquam peccatricem legibus mortis, malitiosa quidem nocendi cupiditate, sed tamen jure æquissimo vindicabat, tandiu potestas ejus valeret, donec interficeret Justum, in quo nihil dignum morte posset ostendere, non solum quia sine crimine occisus est, sed etiam quia sine libidine natus : cui subjugaverat ille quos ceperat, ut quidquid inde nasceretur, tanquam suæ arboris fructus, prava quidem habendi cupiditate, sed tamen non iniquo possidendi jure retineret. Justissime itaque dimittere cogitur credentes in eum, quem injustissime occidit, ut et quod temporaliter moriuntur, debitum exolvant, et quod semper vivunt, in illo vivant, qui pro eis quod non debebat exolvit : quibus autem infidelitatis perseverantiam persuasisset, juste secum haberet in perpetua damnatione consortes. Ita factum est, ut neque diabolo per vim eriperetur homo, quem nec ipse vi, sed persuasione ceperat : et qui juste plus humiliatus est, ut serviret cui ad malum consenserat, juste per eum cui ad bonum consensit liberaretur ; quia minus iste in consentiendo, quam ille in male suadendo peccaverat.

XXXII. Naturas igitur omnes Deus fecit, non solum in virtute atque justitia permansuras, sed etiam peccaturas, non ut peccarent, sed ut essent ornaturæ universum, sive peccare, sive non peccare voluissent. Si enim rebus deessent animæ quæ ipsum fastigium ordinis in universa creatura sic obtinerent, ut si peccare voluissent, infirmaretur et labefactaretur universitas, magnum quiddam deesset creaturæ : illud enim deesset, quo remoto stabilitas re-

rum atque connexio turbaretur. Tales sunt optimæ, et sanctæ, et sublimes creaturæ cœlestium vel supercœlestium Potestatum, quibus solus Deus imperat; universus autem mundus subjectus est. Sine istarum officiis justis atque perfectis esse universitas non potest. Item si deessent, quæ sive peccarent, sive non peccarent, nihil universitatis ordini minueretur, etiam sic plurimum deesset. Animæ sunt enim rationales, et illis superioribus officio quidem impares, sed natura pares : quibus adhuc inferiores sunt multi, et tamen laudabiles a summo Deo constitutarum rerum gradus.

XXXIII. Illa ergo natura sublimioris officii est, quæ non solum si non esset, sed etiam si peccaret, minueret ordinem universitatis. Inferioris officii est ista, quæ tantummodo si non esset, non autem si peccaret, aliquid minus haberet universitas. Illi data est potentia omnia continendi officio proprio, quod rerum ordini deesse non possit : nec ideo in bona voluntate permanet, quia hoc accepit officium ; sed ideo accepit, quoniam ab illo qui dedit permansura prævisa est. Nec tamen sua majestate continet omnia, sed inhærendo illius majestati, et ejus imperiis devotissime obtemperando, a quo et per quem et in quo facta sunt omnia. Huic autem datum est quidem non peccanti potentissimum officium continendi omnia; non tamen proprium, sed cum illa, tanquam ei quæ peccatura prænognita est. Habent sane spiritalia quæque inter se et conjunctionem sine cumulo, et sejunctionem sine diminutione : ut neque adjuvaretur illa in actionis suæ facilitate, cum hæc sibi conjungeretur, neque difficilior illi actio fieret, si hæc officium suum peccando desereret. Non enim locis et mole corporum, sed parilitate affectuum jungi, et disparitate sejungi possunt spiritales creaturæ, quamvis corpora sua quæque possideant.

XXXIV. In corporibus autem inferioribus atque mortalibus post peccatum anima ordinata, regit corpus suum, non omni modo pro arbitrio, sed sicut leges universitatis sinunt. Nec ideo tamen talis anima inferior est corpore cœlesti, cui corpori etiam corpora terrena subjecta sunt. Pannosa quippe vestis damnati servi multo est inferior veste bene meriti, et in honore magno apud dominum constituti : sed ipse servus melior est qualibet veste pretiosa, quia homo est. Illa ergo inhæret Deo, et in cœlesti corpore, angelica potestate, etiam terrestre corpus ornat et regit, sicut jubet ille cujus nutum intuetuer ineffabiliter. Ista vero mortalibus membris onerata, vix hoc ipsum quo premitur administrat intrinsecus, et tamen ornat quantum potest : cætera vero extrinsecus adjacentia, longe infirmiore operatione extrinsecus afficit sicut potest.

XXXV. Unde colligitur non defuturum fuisse ornatum congruentissimum infimæ corporeæ creaturæ, etiam si ista peccare noluisset. Quoniam quæ totum potest regere, etiam partem regit : quæ autem minus potest, non continuo potest ampliora. Perfectus enim medicus etiam scabiem sanat efficaciter : at non continuo qui scabioso utiliter consulit, universæ humanæ valetudini mederi potest. Et ratio quidem si certa conspicitur, qua manifestum fiat esse oportuisse creaturam, quæ nunquam peccaverit, nunquam peccatura sit, etiam illud eadem ratio renuntiat a peccato illam libera voluntate abstinere, neque coactam non peccare, sed sponte. Verumtamen etiamsi peccaret (quanquam non peccavit, sicut eam non peccaturam præscivit Deus); tamen si etiam ipsa peccaret, sufficeret Dei potestas ineffabilis potentiæ, ad regendam istam universitatem, ut omnibus congrua et condigna retribuens, nihil in toto imperio suo turpe atque indecorum esse per-

mitteret. Quia sive per nullas ad hoc ipsum conditas Potestates, si omnis angelica natura ab ejus præceptis peccando defecisset, majestate sua decentissime atque optime regeret omnia : nec sic invidens creaturæ spiritali ut esset; qui etiam corporalem peccantibus quoque spiritualibus longe inferiorem, tanta largitate bonitatis instituit, ut nullus sit cœlum terramque rationabiliter intuens, omnesque naturas visibiles in suis generibus moderatas, formatas, ordinatas, qui vel alium credat artificem omnium esse quam Deum vel non eum ineffabiliter laudandum esse fateatur. Sive nulla est melior rerum ordinatio, nisi potestas angelica naturæ excellentia et bonitate voluntatis in dispositione universitatis superemineat, etiamsi omnes peccassent Angeli, nullam inopiam facerent ad regendum imperium suum Creatori Angelorum. Non enim vel bonitas ejus quasi aliquo tædio, vel omnipotentia difficultate deficeret ad creandos alios quos in eis sedibus collocaret, quas peccando alii deseruissent; aut creatura spiritalis quantilibet numeri, si pro suis meritis damnaretur, angustare posset ordinem, qui convenienter et decenter excipit quoscumque damnandos. Quacumque se igitur consideratio nostra converterit, ineffabiliter laudandum invenit Deum naturarum omnium conditorem optimum, et administratorem justissimum.

XXXVI. Postremo ut relinquamus contemplationem pulchritudinis rerum iis qui eam divino munere videre possunt, nec eos qui non possunt ad ineffabilia contuenda verbis conemur adducere, et tamen propter loquaces aut infirmos aut insidiosos homines tantam quæstionem brevissima complexione peragamus; Omnis natura quæ minus bona fieri potest, bona est : et omnis natura dum corrumpitur, minus bona fit. Aut enim non ei nocet corruptio, et non corrumpitur, aut si corrumpitur, nocet

ei corruptio : et si nocet, minuit aliquid de bono ejus, et eam minus bonam facit. Nam si penitus eam privat omni bono, quidquid ejus remanebit, jam corrumpi non poterit : quia nullum erit bonum cujus ademptione possit nocere corruptio. Cui autem non potest nocere corruptio, non corrumpitur. Porro natura quæ non corrumpitur, incorruptibilis est. Erit ergo natura, quod absurdissimum est dicere, corruptione facta incorruptibilis. Quapropter quod verissime dicitur, omnis natura in quantum natura est, bona est : quia si incorruptibilis est, melior est quam corruptibilis : si autem corruptibilis est, quoniam dum corrumpitur minus bona fit, sine dubitatione bona est. Omnis autem natura aut corruptibilis est, aut incorruptibilis. Omnis ergo natura bona est : naturam voco quæ et substantia dici solet. Omnis igitur substantia aut Deus, aut ex Deo ; quia omne bonum aut Deus, aut ex Deo.

XXXVII. Quibus constitutis atque firmatis tanquam in capite ratiocinationis nostræ, attende quid dicam. Omnis natura rationalis, cum libero voluntatis arbitrio condita, si manet in fruendo summo atque incommutabili bono, procul dubio laudanda est ; et omnis quæ tendit ut maneat, etiam ipsa laudanda est : omnis autem quæ non in eo manet ; et non vult agere ut maneat, in quantum ibi non est, et in quantum non id agit ut ibi sit, vituperanda est. Si ergo laudatur rationalis natura quæ est facta, nemo dubitat laudandum esse qui fecit ; et si vituperatur, nemo dubitat ejus Conditorem in ipsa ejus vituperatione laudari. Cum enim propterea vituperamus hanc, quoniam summo et incommutabili bono, id est, Creatore suo frui non vult, illum sine ulla dubitatione laudamus. Quantum ergo bonum, et quam vel ineffabiliter linguis omnibus, vel ineffabiliter cogitationibus omnibus prædicandus et honoran-

dus est creator omnium Deus, sine cujus laude nec laudari possumus, nec vituperari ! Non enim vituperari passumus quia in eo non manemus, nisi quia magnum et summum et primum nostrum bonum est manere in illo : unde autem hoc, nisi quia ille ineffabile bonum est? Quid ergo inveniri potest in nostris peccatis unde ille vituperetur, quando vituperatio peccatorum nostrorum nulla est, nisi ille laudetur?

XXXVIII. Quid quod etiam in ipsis rebus, quæ vituperantur, nullius vituperatur nisi vitium? Nullius autem vituperatur vitium, nisi cujus natura laudatur. Aut enim secundum naturam est quod vituperas; et non est vitium, tuque magis emendandus es, ut recte vituperare noveris, quam illud quod non recte vituperas; aut si vitium est, ut recte vituperari possit, etiam contra naturam sit necesse est. Omne quippe vitium, eo ipso quo vitium est, contra naturam est. Si enim naturæ non nocet, nec vitium est : si autem quia nocet ideo vitium est, ideo vitium est quia contra naturam est. Quod si non suo, sed alieno vitio aliqua natura corrumpitur, injuste vituperatur, et quærendum est utrum illa natura non corrumpatur vitio suo, cujus vitio potuit aliena natura corrumpi. Sed quid est aliud vitiari, nisi vitio corrumpi? Porro natura quæ non vitiatur, caret vitio : cujus autem vitio aliena natura corrumpitur, habet utique vitium. Prior ergo vitiosa est, et prior corrumpitur vitio suo, cujus vitio alia quoque corrumpi potest. Ex quo colligitur, contra naturam esse omne vitium, etiam ejus rei cujus est vitium. Quapropter quoniam in quacumque re non vituperatur nisi vitium, ideo autem vitium est, quia contra naturam ejus rei est cujus est vitium, nullius rei recte vituperatur vitium, nisi cujus natura laudatur. Non enim tibi recte in vitio displicet, nisi quia vitiat quod in natura placet.

XXXIX. Videndum est etiam illud, utrum vere dicatur aliquam naturam naturæ alterius vitio corrumpi, nullo adjuncto vitio suo. Si enim natura quæ accedit cum vitio suo ad aliam corrumpendam, non in ea corruptibile aliquid invenit, non eam corrumpit. Si autem invenit, adjuncto ejus vitio corruptionem ejus operatur. Potentior enim ab infirmiore si corrumpi nolit, non corrumpitur : si autem velit, prius incipit suo vitio corrumpi quam alieno. Æqualis autem ab æquali nihilominus si corrumpi nolit, non potest. Nam quæcumque natura cum vitio ad eam quæ sine vitio est, ut corrumpat accedit, eo ipso non accedit æqualis, sed infirmior vitio suo. Si vero potentior invalidiorem corrumpit, aut utriusque vitio fit, si utriusque prava cupiditate fit; aut vitio potentioris, si naturæ tanta præstantia est, ut inferiorem quam corrumpit, etiam vitiosa præcedat. Quis enim recte vituperaverit fructus terræ, quod homines eis non utantur bene, corruptique vitio suo, corrumpant eos abutendo ad luxuriam : cum tamen dubitare dementis sit præstantiorem potentioremque esse hominis naturam etiam vitiosam, quam non vitiosas quasque fruges?

XL. Potest etiam fieri ut aliquam inferiorem potentior natura corrumpat, et hoc nullius earum vitio fiat : siquidem vitium dicimus, quod vituperatione dignum est. Quis autem vel frugalem hominem nihil aliud de frugibus, quam supplementa naturæ quæritantem vituperare audeat, aut easdem fruges quod usu ciborum ejus corrumpantur? Talis enim nec usitate corruptio dicitur, quia maxime vitii nomen solet esse corruptio. Nam et illud in rebus facile animadverti potest, quod plerumque in nullos usus explendæ indigentiæ suæ natura potentior inferiorem corrumpit, vel justitiæ ordine dum vindicat culpam, ex qua regula, illud dictum est ab Apostolo : « Si

» quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus[1]: » vel ordine mutabilium rerum sibi cedentium secundum leges congruentissimas pro valentia cujusque partis universitati datas. Neque enim si cujusquam oculos pro naturæ suæ modulo ferendæ lucis invalidos sol fulgore corrumpat, aut ad explendam indigentiam sui luminis eos commutare putandus est, aut id facere ullo vitio suo; aut saltem ipsi oculi vituperandi sunt, quia et domino suo cesserunt ut contra lucem aperirentur, et ipsi luci ut corrumperentur. Omnium igitur corruptionum sola quæ vitiosa est corruptio recte vituperatur: cæteræ autem, aut ne corruptiones quidem dicendæ sunt, aut certe quia vitiosæ non sunt, dignæ vituperatione esse non possunt. Nam et ipsa vituperatio, quod soli vitio parata, id est, apta et debita sit, inde traxisse vocabulum creditur, ut vituperatio diceretur.

XLI. Vitium autem, ut dicere cœperam, non aliunde malum est, nisi quia naturæ adversatur ejus ipsius rei cujus est vitium. Unde manifestum est hanc eamdem rem cujus vitium vituperatur, naturam esse laudabilem; ita ut omnino hanc ipsam vituperationem vitiorum, naturarum laudem esse fateamur, earum scilicet quarum vitia vituperantur. Quia enim vitium naturæ adversatur, tantum additur malitiæ vitiorum, quantum naturarum integritati minuitur. Cum ergo vituperas vitium, id profecto laudas cujus integritatem desideras: cujus autem nisi naturæ integritatem? Natura enim perfecta, non solum nulla vituperatione, sed etiam laude in suo genere digna est. Quod ergo perfectioni naturæ deesse perspexeris, id vocas vitium, satis tibi eam placere contestans, quam vituperatione imperfectionis ejus velles esse perfectam.

XLII. Si igitur vituperatio vitiorum, ipsarum etiam quarum sunt vitia, naturarum decus dignitatemque com-

[1] 1 Cor. III, 17.

mendat, quanto magis Deus conditor omnium naturarum etiam in earum vitiis laudandus est, cum et hoc ab illo habeant quod naturæ sunt, et in tantum vitiosæ sint, in quantum ab ejus qua factæ sunt arte discedunt, et in tantum recte vituperentur, in quantum earum vituperator artem qua factæ sunt videt, ut hoc in eis vituperet, quod ibi non videt. Et si ars ipsa per quam facta sunt omnia, hoc est, summa et incommutabilis Sapientia Dei, vere summeque est, sicuti est, respice quo tendat quidquid ab illa discedit. Qui tamen defectus non esset vituperatione dignus nisi esset voluntarius. Attende enim, quæso, utrum recte vituperes, quod ita est sicuti esse debuit : non opinor ; sed utique quod non ita est ut debuit. Nemo autem debet quod non accepit. Et quisquis debet, cui debet, nisi a quo accepit ut debeat? Nam et quæ redduntur translegando, ei redduntur qui translegaverat. Et quod creditorum justis successoribus redditur, ipsis utique redditur quibus isti jure succedunt. Aliter non redditio, sed cessio, vel admissio, vel si quid aliud hujusmodi nominanda est. Quapropter omnia temporalia, quæ in hoc rerum ordine ita locata sunt, ut nisi deficiant, non possint præteritis futura succedere, ut tota temporum in suo genere pulchritudo peragatur, absurdissime dicimus non debere deficere. Quantum enim acceperunt, tantum agunt, et tantum reddunt ei, cui debent quod sunt in quantumcumque sunt. Qui enim dolet ea deficere, sermonem suum oportet attendat, eum certe ipsum quod ista conqueritur, si justum et a prudentia profectum esse arbitratur, cujus sermonis quod ad sonum ejus attinet, si quis unam particulam diligat, nec eam velit cæteris deficiendo locum dare, quibus decedentibus et succedentibus totus ille ser[illegible]o contexitur, mirabilis dementiæ judicabitur.

XLIII. In iis igitur rebus quæ ideo deficiunt, quia non ultra esse acceperunt, ut suis temporibus omnia peragantur, nemo defectum recte vituperat; quia nemo potest dicere : Debuit permanere, cum acceptas metas transire non posset. In creaturis autem rationalibus, quibus sive peccantibus sive non peccantibus, universalis pulchritudo modis congruentissimis terminatur, aut nulla peccata sunt, quod absurdissimum est dicere; peccat enim saltem, qui vel damnat quasi peccata, quæ nulla sunt : aut non sunt vituperanda peccata, quod nihilominus absurdum est; incipient quippe nec recte facta laudari, et tota turbabitur humanæ mentis intentio, vitamque subvertet : aut vituperabitur factum, quod ita factum est ut debuit, et execrabilis insania, vel ut mitius loquar, error miserrimus orietur : aut si cogit verissima ratio, sicuti cogit, ut et vituperentur peccata, et quidquid recte vituperatur, ideo vituperetur quia non est ita ut esse debuit; quære quid debeat natura peccatrix, et invenies recte factum, quære cui debeat, et invenies Deum. A quo enim accepit posse recte facere cum velit, ab eo accepit ut sit etiam misera si non fecerit, et beata si fecerit.

XLIV. Quia enim nemo superat leges omnipotentis Creatoris, non sinitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit bene utendo quod accepit, aut reddit amittendo quo bene uti noluit. Itaque si non reddit faciendo justitiam, reddet patiendo miseriam : quia in utroque verbum illud debiti sonat. Hoc enim etiam modo dici potuit quod dictum est : Si non reddit faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet. Nullo autem temporis intervallo ista dividuntur, ut quasi alio tempore non faciat quod debet, et alio patiatur quod debet, ne vel puncto temporis universalis pulchritudo turpetur, ut sit in ea peccati dedecus sine decore vindictæ. Sed in futu-

rum judicium servatur ad manifestationem atque ad acerrimum sensum miseriæ, quidquid nunc occultissime vindicatur. Sicut enim qui non vigilat, dormit : sic quisquis non facit quod debet, sine intervallo patitur quod debet, quoniam tanta est beatitudo justitiæ, ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere. In omnibus ergo defectibus, aut non acceperunt ultra esse quæ deficiunt, et nulla culpa est ; sicut etiam cum sunt, quia non acceperunt amplius esse quam sunt, nihilominus nulla culpa est : aut nolunt esse, quod si vellent, esse acceperunt, et quia bonum est, reatus est si nolint.

XLV. Deus autem nulli debet aliquid, quia omnia gratuito præstat. Et si quisquam dicet ab illo aliquid deberi meritis suis, certe ut esset, non ei debebatur. Non enim erat cui deberetur. Et tamen, quod meritum est converti ad eum ex quo es, ut ex ipso etiam melior sis, ex quo habes ut sis ? Quid ergo ei prærogas, ut tanquam debitum poscas ; quando si nolles ad eum converti, nihil ei deesset, tibi autem ipse, sine quo nihil esses, et ex quo ita es aliquid, ut nisi convertendo te ad illum, reddideris ei quod ab ipso es, non quidem nihil, sed miser tamen eris? Omnia ergo illi debent, primo quidquid sunt, in quantum naturæ sunt : deinde quidquid melius possunt esse si velint, quæcumque acceperunt ut velint ; et quidquid oportet eas esse. Ex eo igitur quod non accepit, nullus reus est : ex eo vero quod non facit quod debet, juste reus est. Debet autem, si accepit et voluntatem liberam, et sufficientissimam facultatem.

XLVI. Usque adeo autem dum non facit quisque quod debet, nulla culpa est Conditoris, ut et laus sit, quoniam quod debet patitur, et in eo ipso quod vituperatur non faciendo quod debet[1], non nisi laudatur ille cui

[1] Vide I Retract. cap. IX, n. 3.

debet. Si enim tu laudaris videndo quid facere debeas, cum id non videas, nisi in illo qui est incommutabilis Veritas ; quanto magis ille qui et velle præcepit, et posse præbuit, et non impune nolle permisit? Si enim hoc debet quisque quod accepit, et sic homo factus est, ut necessario peccet, hoc debet ut peccet. Cum ergo peccat, quod debet facit. Quod si scelus est dicere, neminem natura sua cogit ut peccet. Sed nec aliena. Non enim quisquis dum id quod non vult patitur, peccat. Nam si juste patitur, non in eo peccat quod patitur invitus, sed in eo peccavit quod ita fecit volens, ut quod nollet jure pateretur. Si autem injuste patitur, quomodo peccat? Non enim injuste aliquid pati, sed injuste aliquid facere, peccatum est. Quod si neque sua neque aliena natura quis peccare cogitur, restat ut propria voluntate peccetur. Quod si tribuere volueris Conditori, peccantem purgabis, qui nihil præter sui Conditoris instituta commisit, qui si recte defenditur, non peccavit : non est ergo quod tribuas Conditori. Laudemus ergo Conditorem, si potest defendi peccator, laudemus, si non potest. Si enim juste defenditur, non est peccator : lauda ergo Creatorem. Si autem defendi non potest, in tantum peccator est in quantum se a Creatore avertit : lauda ergo Creatorem. Omnino igitur non invenio, nec inveniri posse et prorsus non esse confirmo, quomodo tribuantur peccata nostra Creatori nostro Deo ; quando et in ipsis eum laudabilem invenio, non solum quod ea punit, sed etiam quod tunc fiunt, cum ab ejus veritate recedituur. E. Accipio ista libentissime ac probo, et omnino verum esse consentio, nullo modo fieri posse, ut Creatori nostro recte peccata nostra tribuantur.

XLVII. Sed tamen scire vellem, si fieri posset, quare illa natura non peccet, quam non peccaturam præscivit

Deus, et quare ista peccet, quæ ab illo peccatura prævisa est. Non enim jam puto, ipsa Dei præscientia vel istam peccare, vel illam non peccare cogi. Sed tamen si nulla causa esset, non ita dispertiretur creatura rationalis, ut alia nunquam peccet, alia in peccando perseveret, alia quasi media inter utramque aliquando peccet, aliquando ad recte faciendum convertatur. Quæ causa in has tres partes eam distribuit? Sed nolo mihi respondeatur : Voluntas : ego enim causam quæro ipsius voluntatis. Non enim sine causa nunquam vult illa peccare, nunquam ista non vult, quædam vero aliquando vult, aliquando non vult, cum ejusdem generis omnes sint. Hoc solum enim mihi videre videor non sine causa esse istam tripartitam voluntatem rationalis creaturæ, sed quæ causa sit nescio.

XLVIII. A. Quoniam voluntas est causa peccati, tu autem causam ipsius voluntatis inquiris, si hanc invenire potuero, nonne causam etiam ejus causæ quæ inventa fuerit quæsiturus es? Et quis erit quærendi modus, quis finis percunctandi ac disserendi cum te ultra radicem quærere nihil oporteat? Cave enim putes quidquam potuisse dici verius quam id quod dictum est : « Radicem » omnium malorum esse avaritiam [1], » hoc est plus velle quam sat est. Tantum autem sat est, quantum sibi exigit naturæ in suo genere conservandæ modus. Avaritia enim, quæ græce φιλαργυρία dicitur, non in solo argento vel in nummis, unde magis nomen duxisse resonat; argento enim nummi vel mixto argento frequentius apud veteres fiebant : sed in omnibus rebus quæ immoderate cupiuntur intelligenda est, ubicumque omnino plus vult quisque quam sat est. Hæc autem avaritia cupiditas est; cupiditas porro improba voluntas est. Ergo improba voluntas,

[1] 1 Tim. VI, 10.

malorum omnium causa est. Quæ si secundum naturam esset, conservaret utique naturam, nec ei perniciosa esset, et ideo non esset improba. Unde colligitur radicem omnium malorum non esse secundum naturam; quod sufficit adversus omnes, qui volunt accusare naturas. Tu autem si hujus radicis causam requiris, quomodo erit ista radix omnium malorum? Illa enim erit, quæ causa hujus est : quam cum inveneris, ut dixi, etiam ipsius causam quæsiturus es, et quærendi nullum habebis modum.

XLIX. Sed quæ tandem esse poterit ante voluntatem causa voluntatis[1]? Aut enim et ipsa voluntas est, et a radice ista voluntatis non receditur : aut non est voluntas; et peccatum nullum habet. Aut igitur ipsa voluntas est prima causa peccandi, aut nullum peccatum est prima causa peccandi. Nec est cui recte imputetur peccatum, nisi peccanti; non est ergo cui recte imputetur, nisi volenti : sed nescio cur aliud te quærere libeat. Deinde quæcumque illa causa est voluntatis, aut justa profecto est, aut injusta. Si justa, quisquis ei obtemperaverit, non peccabit: si injusta, non ei obtemperet, et non peccabit.

L. An forte violenta est et cogit invitum? Num eadem toties replicaturi sumus? Reminiscere superiorum, quæ a nobis tam multa de peccato, et voluntate libera dicta sunt. Sed si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene. Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur : si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur. An forte fallit incautum[2]? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt : quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem. Caveri igitur potest.

LI. Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam

[1] Vide I Retract. cap. IX, n. 3. — [2] Ibid.

improbantur, et corrigenda judicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus; ait enim Apostolus : « Misericor-» diam consecutus sum, quia ignorans feci[1]; » ait et Pro-pheta : « Delicta juventutis et ignorantiæ meæ ne memi-» neris[2]. » Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere, et non potest : nam unde sunt illæ voces : « Non enim quod volo facio bonum, sed quod » nolo malum, hoc ago[3]. » Et illud, « Velle adjacet mihi, » perficere autem bonum non invenio[4]. » Et illud, « Caro » concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus » carnem; hæc enim invicem adversantur, ut non ea » quæ vultis faciatis[5]. » Sed hæc omnia hominum sunt, ex illa mortis damnatione venientium : nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus est, ita ut melius esse non possit, ea quæ debet, facit, cum hæc facit. Si autem bonus homo esset, si aliter esset; nunc autem quia ita est, non est bonus, nec habet in potestate ut bonus sit, sive non videndo qualis esse de-beat, sive videndo et non valendo esse, qualem debere esse se videt; pœnam istam esse quis dubitet? Omnis au-tem pœna si justa est, peccati pœna est, et supplicium nominatur : si autem injusta est pœna, quoniam pœnam esse nemo ambigit, injusto aliquo dominante homini im-posita est. Porro quia de omnipotentia Dei et justitia du-bitare dementis est, justa hæc pœna est, et pro peccato aliquo penditur. Non enim quisquam injustus dominator aut subripere hominem potuit, velut ignoranti Deo : aut extorquere invito, tanquam invalidiori, vel terrendo vel confligendo, ut hominem injusta pœna cruciaret. Relinqui-tur ergo, ut hæc justa pœna de damnatione hominis veniat.

[1] 1 Tim. 1, 13. — [2] Psal. xxiv, 7. — [3] Rom. vii, 19. — [4] Ibid. 18. — [5] Gal. v, 17.

LII. Nec mirandum est quod vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid recte faciat : vel resistente carnali consuetudine, quæ violentia mortalis successionis quodam modo naturaliter inolevit, videat quid recte faciendum sit, et velit, nec possit implere. Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat quisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet. Id est autem ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit : et qui recte facere cum posset noluit, amittat posse cum velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia et difficultas [1]. » Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, et resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Cum autem de libera voluntate recte faciendi loquimur, de illa scilicet, in qua homo factus est, loquimur.

LIII. Hic occurrit illa quæstio, quam inter se murmurantes homines rodere consueverunt, qui quodlibet aliud in peccando quam se accusare parati sunt. Dicunt enim : Si Adam et Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate et difficultatis cruciatibus nasceremur, et primo erraremus nescientes quid nobis esset faciendum ; deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta justitiæ, vellemus ea facere, et renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate non valeremus? Quibus breviter respondetur ut quiescant, et adversus Deum murmurare desistant. Recte enim fortasse quæreretur, si erroris et libidinis nullus hominum victor existeret, cum vero ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat creden-

[1] Vide I Retract. cap. IX, n. 3.

tem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem ; non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras ; neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis : ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini oblatum est scire utiliter quæri, quod inutiliter ignoratur, et humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti et confitenti ille subveniat, qui nec errat dum subvenit, nec laborat.

LIV. Nam illud quod ignorans quisque non recte facit, et quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt, illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod movemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod hujus membri motum consequitur, id est, formam tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina : sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate et ab sciente committitur ; sed etiam illud quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est. Sic etiam ipsam naturam aliter dicimus, cum proprie loquimur, naturam hominis, in qua primum in suo genere inculpabilis factus est : aliter istam, in qua ex illius damnati pœna, et mortales et ignari et carni subditi nascimur ; juxta quem modum dicit Apostolus : « Fuimus enim et nos naturaliter » filii iræ, sicut et cæteri[1]. »

LV. Ut autem de illo primo conjugio, et cum ignorantia, et cum difficultate, et cum mortalitate nascamur, quoniam illi cum peccavissent, et in errorem, et in ærumnam, et in mortem præcipitati sunt, rerum moderatori

[1] Ephes. II, 3.

summo Deo justissime placuit; ut et in ortu hominis originaliter appareret justitia punientis, et in provectu misericordia liberantis. Non enim damnato primo homini sic adempta est beatitudo, ut etiam fœcunditas adimeretur. Poterat enim et de prole ejus, quamvis carnali et mortali, aliquod in suo genere fieri decus ornamentumque terrarum. Jamvero ut meliores gigneret quam ipse esset, non erat æquitatis : sed ex conversione ad Deum, ut vinceret quisque supplicium, quod origo ejus ex aversione meruerat, non solum volentem non prohiberi, sed etiam adjuvari oportebat : etiam sic enim rerum Creator ostendit, quanta facilitate potuisset homo, si voluisset, retinere quod factus est, cum proles ejus potuit etiam superare quod nata est.

LVI. Deinde si una anima facta est, ex qua omnium hominum animæ trahuntur nascentium, quis potest dicere non se peccasse, cum primus ille peccavit? Si autem singillatim fiunt in unoquoque nascentium, non est perversum, imo convenientissimum et ordinatissimum apparet, ut malum meritum prioris, natura sequentis sit; et bonum meritum sequentis, natura prioris sit. Quid enim indignum, si etiam sic voluit Creator ostendere, usque adeo excellere creaturis corporeis animæ dignitatem, ut ab eo gradu possit esse ortus alterius, ad quem alterius perductus est occasus? Nam cum ad ignorantiam difficultatemque pervenerit illa peccatrix, ideo pœna recte dicitur, quia melior ante hanc pœnam fuit. Si ergo altera talis esse cœpit, non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde Conditori suo gratias agat; quia ipse ortus ejus et inchoatio quovis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, qua natura jam omne corpus præcedit, sed etiam

quod facultatem habet, ut adjuvante Creatore se ipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere et capere virtutes, per quas et a difficultate cruciante, et ab ignorantia cæcante liberetur. Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia et difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio, et perfectionis exordium. Non enim ante omne meritum boni operis parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat terrori, et quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat. Quod si agere noluerit, peccati rea jure tenebitur, tanquam quæ non bene usa sit ea facultate, quam accepit. Quanquam enim in ignorantia et difficultate nata sit, non tamen ad permanendum in eo quod nata est, aliqua necessitate comprimitur : neque omnino potuit nisi Deus omnipotens esse etiam talium creator animarum, quas et non dilectus ipse faciat, et diligens eas reficiat, et dilectus ipse perficiat : qui et non existentibus præstat ut sint, et amantibus eum a quo sunt præstat ut beatæ sint.

LVII. Si vero in Dei aliquo secreto jam existentes animæ mittuntur ad inspiranda et regenda corpora singulorum quorumque nascentium, ad hoc utique mittuntur officium, ut corpus quod de pœna peccati, hoc est mortalitate primi hominis nascitur, bene administrando, id est, castigando per virtutes, et ordinatissimæ atque legitimæ servituti subjiciendo, etiam ipsi comparent ordine atque tempore opportuno cœlestis incorruptionis locum. Quæ cum introeunt in hanc vitam, subeuntque gestanda membra mortalia, subeant etiam necesse est et oblivionem vitæ prioris, et præsentis laborem; unde illa ignorantia et difficultas consequitur, quod in primo homine supplicium mortalitatis fuit, ad animi expendendam miseriam; in istis autem janua ministerii ad reparandam corporis

incorruptionem. Nam hoc quoque modo non dicuntur ista peccata, nisi quia caro de propagine veniens peccatoris, venientibus ad se animis hanc ignorantiam et difficultatem facit; quæ neque his, neque Creatori tanquam culpanda tribuatur. Dedit enim ille et facultatem bene operandi in laboriosis officiis, et viam fidei in oblivionis cæcitate : judicium illud vel maxime, quod anima omnis et quærendum esse concedit quod inutiliter nescit, et perseveranter in officiosis laboribus enitendum ad evincendam recte faciendi difficultatem, et opem a Creatore implorandam, ut conantem adjuvet; qui vel extrinsecus lege, vel in intimis cordis allocutione conandum esse præcepit, et præparat civitatis beatissimæ gloriam triumphantibus de illo qui primum hominem ad istam miseriam perduxit victum pessima suasione; quam miseriam isti suscipiunt ad eum vincendum optima fide. Non enim parvæ gloriæ militia est diabolum vincere eodem suscepto supplicio, quo se ille hominem victum perduxisse gloriatur. Quisquis autem hoc istius vitæ captus amore neglexerit, nullo pacto juste flagitium desertionis suæ regis imperio deputabit : sed erit potius sub omnium domino in ejus partibus ordinatus, cujus turpe stipendium ut castra sua desereret, adamavit.

LVIII. Si autem alibi animæ constitutæ non mittuntur a Domino Deo, sed sua sponte ad inhabitanda corpora veniunt; facile est jam hoc videre, quidquid ignorantiæ difficultatisque secutum fuerit earum propriam voluntatem, nullo modo Creatorem hinc esse culpandum : quandoquidem etiamsi eas ipse misisset, quibus etiam in ipsa ignorantia et difficultate liberam voluntatem petendi et quærendi et conandi non abstulit, daturus petentibus, demonstraturus quærentibus, pulsantibus aperturus, omnino extra culpam esset. Hanc enim ignorantiam et diffi-

cultatem studiosis et benevolis evincendam, ad coronam gloriæ valere præstaret : negligentibus autem et peccata sua de infirmitate defendere volentibus, non ipsam ignorantiam difficultatemque pro crimine objiceret ; sed quia in eis potius permanere, quam studio quærendi atque discendi, et humilitate confitendi atque orandi, ad veritatem ac facilitatem pervenire voluerunt, justo supplicio vindicaret.

LIX. Harum autem quatuor de anima sententiarum, utrum de propagine veniant, an in singulis quibusque nascentibus novæ fiant, an in corpora nascentium jam alicubi existentes vel mittantur divinitus, vel sua sponte labantur, nullam temere affirmare oportebit. Aut enim nondum ista quæstio a divinorum Librorum catholicis tractatoribus pro merito suæ obscuritatis et perplexitatis evoluta atque illustrata est : aut si jam factum est, nondum in manus nostras hujuscemodi Litteræ pervenerunt. Tantum adsit fides nihil de substantia Creatoris falsum indignumque sentiendi. Ad illum enim tendimus itinere pietatis. Si ergo aliud de illo senserimus quam est, intentio nostra non in beatitatem, sed in vanitatem nos ire compellet. De creatura vero si quid aliter quam sese habet senserimus, dummodo non id pro cognito perceptoque teneamus, nullum periculum est. Non enim ad creaturam jubemur tendere ut efficiamur beati, sed ad ipsum Creatorem : de quo si aliud quam oportet ac sese res habet, nobis persuadetur, perniciosissimo errore decipimur. Ad hoc enim pergendo, quod aut non est, aut si est non facit beatos, ad beatam vitam nullus pervenire potest.

LX. Sed ad contemplandam veritatis æternitatem, ut ea perfrui eique inhærere valeamus, infirmitati nostræ via de temporalibus procurata est, ut quantum itineri sufficit ad æterna tendentium, præterita et futura credamus.

Quæ fidei disciplina, ut auctoritate præpolleat, divina misericordia gubernatur. Præsentia vero, quantum ad creaturam pertinet, in corporis et animi mobilitate et mutabilitate, quasi transeuntia sentiuntur. In quibus quidquid non experimur, cognitione qualicumque tenere non possumus. Quæcumque ergo nobis de quibuscumque creaturis vel præterita vel futura divina auctoritate credenda narrantur, quamvis partim prius quam ea sentire potuerimus præterierint, partim nondum in nostros sensus pervenerint, tamen quia plurimum valent ad roborandam spem nostram, et exhortandam dilectionem, dum nobis commendant per ordinatissimam seriem temporum quam non negligat liberationem nostram Deus, sine ulla dubitatione credenda sunt. Sed quisquis error personam sibi divinæ autoritatis assumit, ea maxime ratione refellitur, si aut aliquam vel mutabilem speciem præter creaturam Dei, aut aliquam mutabilem speciem in substantia Dei credere aut affirmare convincitur, eamque substantiam Dei vel plus vel minus quam Trinitatem esse contendit : cui Trinitati pie sobrieque intelligendæ omnis excubat vigilantia christiana, et omnis ejus provectus intenditur. De cujus Trinitatis unitate et æqualitate, et singularum in ea personarum quadam proprietate, non hic locus est disserendi. Nam commemorare quædam de Domino Deo auctore et formatore et ordinatore rerum omnium, quæ ad saluberrimam fidem pertineant, et quibus lactens atque a terrenis in cœlestia sese attollere incipiens, utiliter adminiculetur intentio, et factu facillimum et a plerisque jam factitatum est : pertractare autem istam totam, atque ita versare quæstionem, ut perspicuæ rationi, quantum in hac vita datur, omnis humana intelligentia subjugetur, non modo eloquio, sed ne cogitatione quidem vel cuiquam hominum, vel certe nobis satis expedi-

tum et facile aggrediendum videri potest. Nunc ergo ut quod instituimus, quantum adjuvamur, et quantum sinimur peragamus, quæcumque nobis, quantum ad creaturam pertinet, vel narrantur præterita, vel prænuntiantur futura quæ ad commendandam valeant integram religionem, excitando nos ad sincerissimam dilectionem Dei et proximi, sine dubitatione credenda sunt : adversus incredulos autem hactenus defendenda, ut vel mole auctoritatis infidelitas eorum obteratur, vel eis ostendatur, quantum potest, primo quam non sit stultum talia credere, deinde quam sit stultum talia non credere. Verumtamen falsam doctrinam non tam de præteritis et futuris, quam de præsentibus et maxime de incommutabilibus oportet refellere, et quantum datur, perspicua ratione convincere.

LXI. Sane in serie temporalium, inquisitioni præteritorum futurorum expectatio præferenda est. Quandoquidem etiam in divinis Libris ea quæ præterita narrantur, vel præfigurationem futurorum, vel pollicitationem, vel testificationem præ se gerunt. Et revera in iis etiam, quæ ad hanc vitam pertinent, prosperis adversisque rebus, quid quisque fuerit non satis curat : in id vero quod futurum speratur, sese omnis curarum æstus agglomerat, Nescio quo quippe intimo naturalique sensu, ea quæ nobis acciderunt, quoniam transacta sunt, sic habentur ad momentum felicitatis et miseriæ, quasi nunquam accidissent. Quid igitur mihi obest, si esse quando cœperim nescio, cum esse me noverim, nec futurum esse desperem? Non enim in præterita me attendo, ut tanquam errorem perniciosissimum verear, si aliter de iis sensero quam fuerunt : sed in id quod futurus sum, cursum dirigo duce misericordia Conditoris mei. De hoc igitur quod futurus sum, et de illo apud quem futurus sum, si aliter

quam veritas sese habet credidero aut sensero, vehementer cavendus est error : ne mihi aut necessaria non præparem, aut ad eum ipsum finem propositi mei, dum aliud pro alio mihi videtur, pervenire non possim. Quamobrem sicut ad comparandam vestem nihil mihi obesset, si præteritæ hyemis oblitus essem, obesset autem si futurum frigus imminere non crederem; ita nihil oberit animæ meæ, si oblita est quid forte pertulerit, si modo diligenter advertat et teneat quo se deinceps parare moneatur. Et sicut, verbi gratia, Romam naviganti nihil noceret si excidisset animo, a quo littore navem solverit, dum tamen ab eo loco ubi esset non ignoraret quo proram dirigeret; nihil autem prodesset meminisse littoris, unde iter exorsus sit, si de Romano portu falsum aliquid existimans, in saxa incidisset : ita neque si non tenuero initium temporis vitæ meæ, quidquam mihi oberit scienti quo fine requiescam; nec prodesset aliquid illa sive memoria sive conjectura inchoatæ vitæ, si de ipso Deo, qui unus laborum animæ finis est, aliter quam dignum est opinatus, in scopulos erroris irruerem.

LXII. Nec iste sermo ad id valuerit, ut quisquam nos prohibere arbitretur, ut quærant qui potuerint secundum Scripturas divinitus inspiratas, utrum anima de anima propagetur, an suo cuique animanti singulæ in ipso fiant, an ad regendum animandumque corpus divino nutu alicunde mittantur, vel propria voluntate se insinuent; si vel alicujus expediendæ necessariæ quæstionis ratio flagitat ista considerare atque discutere, vel a rebus magis necessariis otium ad hæc quærenda et disserenda conceditur. Verum ad id potius ista dixerim, ne quis in re tali vel temere succenseat ei, qui suæ opinioni humaniore fortasse dubitatione non cedit : aut etiam si quid hinc certi quisquam et liquidi comprehenderit, ideo putet alium spem

perdidisse futurorum, quia præterita exorsa non recolit.

LXIII. Quoquo modo autem se istud habeat, sive omnino omittendum, sive nunc differendum et alias considerandum sit, præsens tamen quæstio non impeditur, quominus appareat integerrima et justissima et inconcussa atque incommutabili majestate et substantia Creatoris, supplicia peccatorum suorum animas lucre : quæ peccata, ut jam diu disseruimus, nonnisi propriæ voluntati earum tribuenda sunt, nec ulla ulterior peccatorum causa quærenda.

LXIV. Ignorantia vero et difficultas si naturalis est, inde incipit anima proficere, et ad cognitionem et requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promoveri. Quem profectum in studiis optimis atque pietate, quorum facultas ei non negata est, si propria voluntate neglexerit, juste in graviorem, quæ jam pœnalis est, ignorantiam difficultatemque præcipitatur, decentissimo et convenientissimo rerum moderamine in inferioribus ordinata. Non enim quod naturaliter nescit, et naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatum : sed quod scire non studuit, et quod dignam facilitati comparandæ ad recte faciendum operam non dedit. Loqui enim non nosse atque non posse, infanti naturale est : quæ ignorantia difficultatesque sermonis non modo inculpabilis sub grammaticorum legibus, sed etiam humanis affectibus blanda et grata est; non enim ullo vitio illam facultatem comparare neglexit, aut ullo vitio quam compararat amisit. Itaque si nobis in eloquentia esset beatitudo constituta, atque ita crimini duceretur cum peccatur in linguæ sonis, quemadmodum cum peccatur in actibus vitæ, nullus utique argueretur infantiæ, quod ab ea esset exorsus ad consequendam eloquentiam : sed plane merito damnaretur, si suæ voluntatis perversitate vel ad eam recidisset, vel in

ea remansisset. Sic etiam nunc, si ignorantia veri et difficultas recti naturalis est homini, unde incipiat in sapientiæ quietisque beatitudinem surgere, nullus hanc ex initio naturali recte arguit. Sed si proficere noluerit, aut a profectu retrorsum relabi voluerit, jure meritoque pœnas luet.

LXV. Creator vero ejus ubique laudatur, vel quod eam ab ipsis exordiis ad summi boni capacitatem inchoaverit, vel quod ejus profectum adjuvet, vel quod impleat proficientem atque perficiat, vel quod peccantem, id est, aut ab initiis suis sese ad perfectionem attollere recusantem, aut jam ex profectu aliquo relabentem, justissima damnatione pro meritis ordinat. Non enim propterea malam creavit, quia nondum tanta est, quanta ut proficiendo esse posset accepit; cum ejus exordio perfectiones omnes corporum longe inferiores sint, quas tamen in suo genere laudabiles esse judicat, quisquis de rebus sanissime judicat. Quod ergo ignorat quid sibi agendum sit, ex eo est quod nondum accepit : sed hoc quoque accipiet, si hoc quod accepit, bene usa fuerit. Accepit autem ut pie et diligenter quærat, si volet. Et quod agnoscens quid sibi agendum sit, non continuo valet implere, hoc quoque nondum accepit : præcessit enim quædam pars ejus sublimior ad sentiendum quod recte faciat bonum : sed quædam tardior atque carnalis non consequenter in sententiam ducitur; ut ex ipsa difficultate admoneatur eumdem implorare adjutorem perfectionis suæ, quem inchoationis sentit auctorem, ut ex hoc ei fiat charior, dum non suis viribus, sed cujus bonitate habet ut sit, ejus misericordia sublevatur ut beata sit. Quanto autem charior illi est a quo est, tanto in eo firmius acquiescit, et tanto uberius æternitate ejus perfruitur. Si enim arboris novellum et rude virgultum nullo modo recte sterile dicimus,

quamvis aliquot æstates sine fructibus trajiciat, donec opportuno tempore expromat feracitatem suam; cur non auctor animæ debita pietate laudetur, si ei tale tribuit exordium, ut studendo ac proficiendo ad frugem sapientiæ justitiæque perveniat, tantumque illi præstitit dignitatis, ut in ejus etiam potestate poneret, si vellet ad beatitudinem tendere?

LXVI. Huic autem disputationi objici ab imperitis solet quædam calumnia de mortibus parvulorum, et de quibusdam cruciatibus corporis, quibus eos sæpe videmus affligi. Dicunt enim : Quid opus erat ut nasceretur, qui antequam iniret ullum vitæ meritum excessit e vita? aut qualis in futuro judicio deputabitur, cui neque inter justos locus est, quoniam nihil recte fecit, neque inter malos, quoniam nihil peccavit? Quibus respondetur : Ad universitatis complexum, et totius creaturæ vel per locos vel per tempora ordinatissimam connexionem, non posse superfluo creari qualemcumque hominem, ubi folium arboris nullum superfluo creatur : sed sane superfluo quæri de meritis ejus, qui nihil meruerit. Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quædam inter recte factum atque peccatum, et sententia judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium.

LXVII. Quo loco etiam illud perscrutari homines solent, sacramentum baptismi Christi quid parvulis prosit, cum eo accepto plerumque moriuntur, prius quam ex eo quidquam cognoscere potuerint. Qua in re satis pie rectequе creditur, prodesse parvulo eorum fidem a quibus consecrandus offertur. Et hoc Ecclesiæ commendat saluberrima auctoritas, ut ex eo quisque sentiat quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondum habent, potest aliena commodari. Quid enim illo viduæ profuit fides sua,

quam utique mortuus non habebat; cui tamen profuit matris ut resurgeret? Quanto ergo potius fides aliena potest consulere parvulo, cui sua perfidia non potest imputari?

LXVIII. De cruciatibus autem corporis, quibus affliguntur parvuli, quorum per ætatem nulla peccata sunt, si animæ quibus animantur, non prius quam ipsi homines, esse cœperunt, major querela et quasi misericors deponi solet, cum dicitur: Quid mali fecerunt ut ista paterentur? Quasi possit esse innocentiæ meritum, antequam quisque aliquid nocere possit. Cum autem boni aliquid operatur Deus in emendatione majorum, cum parvulorum suorum qui eis chari sunt, doloribus ac mortibus flagellantur; cur ista non fiant, quando cum transierint pro non factis erunt in quibus facta sunt: propter quos autem facta sunt, aut meliores erunt, si temporalibus incommodis emendati, rectius elegerint vivere; aut excusationem in futuri judicii supplicio non habebunt, si vitæ hujus angoribus ad æternam vitam desiderium convertere noluerint? Quis autem novit quid parvulis[1], de quorum cruciatibus duritia majorum contunditur aut exercetur fides, aut misericordia probatur; quis ergo novit quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonæ compensationis reservet Deus, qui quanquam nihil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt? Non enim frustra etiam infantes illos, qui cum Dominus Jesus Christus necandus ab Herode quæreretur[2], occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia.

LXIX. Quanquam isti calumniosi, et talium quæstionum non studiosissimi examinatores, sed loquacissimi ventilatores, etiam de pecorum doloribus et laboribus solent mi-

[1] Vide Epist. XXVIII ad Hieronym. — [2] Matth. II, 16.

nus eruditorum sollicitare fidem, cum dicunt : Quid etiam pecora vel meruerunt mali, ut tanta patiantur incommoda, vel sperant boni, quia tantis exercentur incommodis? Sed hæc dicunt vel sentiunt, quia iniquissime de rebus existimant, qui cum summum bonum quod et quantum sit aspicere nequeant, talia volunt esse omnia, quale putant esse summum bonum : præter enim summa corpora quæ cœlestia sunt, minusque corruptioni subjacent, summum bonum cogitare non possunt : ideoque inordinatissime flagitant, ut nec mortem nec ullam corruptionem patiantur corpora bestiarum, quasi non sint mortalia, cum sint infima; aut ideo mala sint, quia sunt cœlestia meliora. Dolor autem quem bestiæ sentiunt, animarum etiam bestialium vim quamdam in suo genere mirabilem laudabilemque commendat. Hoc ipso enim satis apparet in regendis animandisque suis corporibus, quam sint appetentes unitatis. Quid est enim aliud dolor, nisi quidam sensus divisionis vel corruptionis impatiens? Unde luce clarius apparet quam sit illa anima in sui corporis universitate avida unitatis et tenax, quæ nec libenter, nec indifferenter, sed potius renitenter et reluctanter intenditur in eam passionem corporis sui, qua ejus unitatem atque integritatem labefactari moleste accipit. Non ergo appareret quantus inferioribus creaturis animalibus esset appetitus unitatis, nisi dolore bestiarum. Quod si non appareret, minus quam opus esset admoneremur ab illa summa et sublimi et ineffabili unitate Creatoris esse omnia ista constituta.

LXX. Et revera si pie ac diligenter attendas, omnis creaturæ species et motus, qui in animi humani considerationem cadit, eruditionem nostram loquitur, diversis motibus et affectionibus, quasi quadam varietate linguarum, undique clamans atque increpans cognoscendum esse

Creatorem. Nulla enim res est earum, quæ nec dolorem, nec voluptatem sentiunt, quæ non aliqua unitate decus proprii generis assequatur, vel omnino naturæ suæ qualemcumque stabilitatem. Nulla item res est earum quæ vel doloris molestias, vel blanditias sentiunt voluptatis, quæ non eo ipso quo dolorem fugit, voluptatemque appetit, diremptionem se fugere, unitatemque appetere, fateatur. Inque ipsis rationalibus animis omnis appetitus cognitionis qua illa natura lætatur, et ad unitatem refert omne quod percipit, et in errore nihil fugit aliud quam incomprehensibili ambiguitate confundi. Omne autem ambiguum unde molestum est, nisi quia certam non habet unitatem? Ex quo apparet omnia, sive cum offendunt vel offenduntur, sive cum delectant vel delectantur, unitatem insinuare atque prædicare Creatoris. Si autem ignorantia et difficultas, a quibus istam vitam necesse est incipere, non sunt animis naturales, restat ut aut officio susceptæ sint aut irrogatæ supplicio. De quibus jam satis esse arbitror disputatum.

LXXI. Quapropter ipse primus homo qualis factus sit, magis quærendum est, quam quomodo ejus posteritas propagata sit. Multum enim sibi videntur acute proponere quæstionem qui dicunt : Si sapiens factus est primus homo, cur seductus est? si autem stultus factus est, quomodo non est Deus auctor vitiorum, cum sit stultitia maximum vitium [1]? Quasi vero natura humana præter stultitiam et sapientiam nullam mediam recipiat affectionem quæ nec stultitia, nec sapientia dici possit. Tunc enim homo incipit aut stultus esse, aut sapiens, ut alterum horum necessario appelletur, cum jam posset, nisi negligeret, habere sapientiam, ut vitiosæ stultitiæ sit voluntas rea. Non enim quisquam ita desipit, ut stultum appellet in-

[1] Vide I Retract. cap. XIV, n. 4.

fantem, quamvis sit absurdior si velit appellare sapientem. Ut ergo infans nec stultus nec sapiens dici potest, quamvis jam homo sit; ex quo apparet naturam hominis recipere aliquid medium, quod neque stultitiam, neque sapientiam recte vocaveris : ita etiam si quisquam tali affectione animatus esset, qualem habent illi qui per negligentiam sapientia carent, nemo eum stultum recte diceret quem non vitio, sed natura talem videret. Est enim stultitia rerum appetendarum et vitandarum non quælibet, sed vitiosa ignorantia. Unde neque animal irrationale stultum dicimus, quia non accepit ut sapiens esse posset. Appellamus tamen plerumque ex similitudine aliquid non proprie. Nam et cæcitas cum maximum vitium sit oculorum, non tamen in catulis nascentibus vitium est, nec proprie cæcitas dici potest.

LXXII. Si ergo ita factus est homo, ut quamvis sapiens nondum esset, præceptum tamen posset accipere, qui utique obtemperare deberet, nec illud jam mirum est, quod seduci potuit; nec illud injustum, quod præcepto non obtemperans pœnas luit; nec Creator ejus auctor vitiorum est, quia non habere sapientiam, nondum erat vitium hominis, si nondum ut habere posset, acceperat. Sed tamen habebat aliquid; quo si bene uti vellet, ad id quod non habebat ascenderet. Aliud est enim esse rationalem, aliud esse sapientem. Ratione fit quisque præcepti capax, cui fidem debet, ut quod præcipitur, faciat. Sicut autem natura rationis præceptum capit, sic præcepti observatio sapientiam. Quod est autem natura ad capiendum præceptum, hoc est voluntas ad observandum. Et sicut rationalis natura tanquam meritum est præcepti accipiendi, sic præcepti observatio meritum est accipiendæ sapientiæ. Ex quo autem incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Duobus autem modis

peccat antequam fiat sapiens ; si aut se non accommodet ad accipiendum præceptum, aut cum acceperit non observet. Sapiens autem peccat, si se averterit a sapientia. Sicut enim præceptum non est ab illo cui præcipitur, sed ab illo qui præcipit : sic et sapientia non est ab illo qui illuminatur, sed ab illo qui illuminat. Quid ergo est unde non laudandus sit hominis Creator ? Bonum est enim aliquod homo, et melius quam pecus, ex eo quod præcepti capax. Et hoc melius, cum præceptum jam cepit. Rursus hoc melius, cum præcepto paruit. Et his omnibus melius, cum æterno lumine sapientiæ beatus est. Peccatum autem malum est in negligentia vel ad capiendum præceptum, vel ad observandum, vel ad custodiendam contemplationem sapientiæ. Ex quo intelligitur, etiamsi sapiens primus homo factus est, potuisse tamen seduci. Quod peccatum cum esset in libero arbitrio, justa, divina lege, pœna consecuta est. Ita dicit etiam apostolus Paulus : « Di» centes se esse sapientes, stulti facti sunt[1]. » Superbia enim avertit a sapientia : aversionem autem stultitia consequitur. Stultitia quippe cæcitas quædam est ; sicut idem dicit : « Et obscuratum est insipiens cor eorum. » Unde autem hæc obscuratio, nisi ex aversione a lumine sapientiæ? Unde autem hæc aversio, nisi dum ille cui bonum est Deus, sibi ipse vult esse bonum suum, sicuti sibi est Deus ? « Itaque ad me ipsum, inquit, con» turbata est anima mea[2]. » Et, « Gustate, et eritis sicut » dii[3]. »

LXXIII. Turbat autem considerantes, quod ita quærunt : Stultitia-ne primus homo recessit a Deo, an recedendo stultus factus est ? Quia si responderis eum stultitia recessisse a sapientia, videbitur stultus fuisse antequam recederet a sapientia, ut stultitia illi causa esset rece-

[1] Rom. I 22. — [2] Psal. XLI, 7. — [3] Gen. III, 5.

dendi. Item si responderis eum recedendo stultum esse factum, quærunt utrum stulte, an sapienter fecerit quod recessit. Si enim sapienter fecit, recte fecit, nihilque peccavit : si stulte, jam erat, inquiunt, in eo stultitia, qua factum est ut recederet. Non enim stulte aliquid sine stultitia facere poterat. Ex quo apparet esse quiddam medium, quo ad stultitiam a sapientia transitur, quod neque stulte, neque sapienter factum dici potest, quod ab hominibus in hac vita constitutis nonnisi ex contrario datur intelligi. Sicut enim nullus mortalium fit sapiens, nisi ab stultitia in sapientiam transeat; ipse autem transitus si stulte fit, non utique bene fit, quod dementissimum est dicere; si autem sapienter fit, jam erat sapientia in homine antequam transisset ad sapientiam, quod nihilominus absurdum est; ex quo intelligitur esse medium, quod neutrum dici possit : ita et ex arce sapientiæ, ut ad stultitiam primus homo transiret, nec stultus, nec sapiens, transitus ille fuit. Velut in somno et vigiliis, neque id est dormire quod obdormiscere, neque id est vigilare quod expergisci, sed transitus quidam ex altero in alterum. Verum hoc interest, quod sine voluntate plerumque ista fiunt : illa autem nunquam nisi per voluntatem : unde justissimæ retributiones consequuntur.

LXXIV. Sed quia voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquod visum; quid autem quisque vel sumat vel respuat, est in potestate, sed quo viso tangatur, nulla potestas est : fatendum est et ex superioribus et ex inferioribus visis animum tangi, ut rationalis substantia ex utroque sumat quod voluerit et ex merito sumendi vel miseria vel beatitas subsequatur. Velut in paradiso visum ex seperioribus, præceptum Dei; visum ex inferioribus, suggestio serpentis. Nam neque quid sibi præciperetur a Domino, neque quid a serpente suggereretur, fuit in hominis

potestate. Quam sit autem liberum et ab omnibus difficultatis vinculis expeditum, in ipsa sapientiæ sanitate constituto, non cedere visis inferioris illecebræ, vel hinc intelligi potest, quod etiam stulti ea superant ad sapientiam transituri, etiam cum molestia carendi perniciosarum consuetudinum pestilentiosa dulcedine.

LXXV. Quæri autem hoc loco potest, si homini præsto fuerunt ex utraque parte visa, unum ex præcepto Dei, alterum ex suggestione serpentis, unde ipsi diabolo suggestum sit appetendæ impietatis consilium, quo de sublimibus sedibus laberetur. Si enim nullo viso tangeretur, non eligeret facere quod fecit : nam si non ei aliquid venisset in mentem, nullo modo intentionem convertisset in nefas. Unde igitur venit in mentem, quidquid illud est quod venit in mentem, ut ea moliretur quibus ex bono Angelo diabolus fieret? Qui enim vult, profecto aliquid vult : quod nisi aut extrinsecus per sensum corporis admoneatur, aut occultis modis in mentem veniat, velle non potest. Discernenda igitur sunt genera visorum, quorum unum est quod proficiscitur a voluntate suadentis, quale illud est diaboli, cui homo consentiendo peccavit : alterum a subjacentibus rebus vel intentioni animi, vel sensibus corporis. Intentioni animi subjacet, excepta incommutabilitate Trinitatis, quæ quidem non subjacet, sed eminet potius ; subjacet ergo intentioni animi prius ipse animus, unde nos etiam vivere sentimus : deinde corpus quod administrat, unde ad quodlibet operandum membrum quod opus est, cum opus est movet. Subjacent autem sensibus corporis quæcumque corporea.

LXXVI. Ut autem in contemplatione summæ Sapientiæ, quæ utique animus non est, nam incommutabilis est, etiam se ipsum qui est commutabilis animus intuea-

tur, et sibi ipse quodam modo veniat in mentem, non fit nisi differentia, qua non est quod Deus, et tamen aliquid est quod possit placere post Deum. Melior est autem cum obliviscitur sui præ charitate incommutabilis Dei, vel se ipsum penitus in illius comparatione contemnit. Si autem tanquam obvius placet sibi ad perverse imitandum Deum, ut potestate sua frui velit, tanto fit minor, quanto sé cupit esse majorem. « Et hoc est initium omnis peccati superbia,» et, « Initium superbiæ hominis apostatare a Deo[1].» Superbiæ autem diaboli accessit malevolentissima invidia, ut hanc superbiam homini persuaderet, per quam sentiebat se esse damnatum. Unde factum est, ut pœna hominem susciperet emendatoria potius quam interfectoria, ut cui se diabolus ad imitationem superbiæ præbuerat, ei se Dominus ad imitationem humilitatis præberet, per quem nobis æterna vita promittitur : ut prærogato nobis Christi sanguine, post labores miseriasque ineffabiles tanta charitate Liberatori nostro adhæreamus, et tanta ejus in eum claritate rapiamur, ut nulla nos visa ex inferioribus a conspectu superiore detorqueant : quanquam et si aliquid huic intentioni nostræ suggereretur ab appetitu inferiorum, sempiterna nos diaboli damnatio cruciatusque revocarent.

LXXVII. Tanta est autem pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis Veritatis atque Sapientiæ, ut etiamsi non liceret amplius in ea manere quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et circumfluentia temporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. Non enim falso aut parvo affectu dictum est : « Quoniam » melior est dies unus in atriis tuis super millia[2].» Quanquam et alio sensu possit intelligi, ut millia dierum in

[1] Eccli. x, 14. — [2] Psal. xxxiii, 11.

temporis mutabilitate intelligantur : unius autem diei nomine incommutabilitas æternitatis vocetur. Nescio me aliquid prætermisisse, quod ex nostra responsione quantum Dominus præbere dignatus est, tuis interrogationibus desit : quanquam et si tibi aliquid occurrit, modus libri nos jam finem facere, et ab hac disputatione requiescere aliquando compellit.

S. AUR AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE GENESI

CONTRA MANICHÆOS

LIBRI II[1].

LIBER I.

In quo a Manichæorum calumniis vindicatur initium Geneseos, scilicet ab hocce versiculo, *In principio creavit Deus cœlum et terram*, usque ad illum quo Deus septimo die requievisse dicitur.

1. Si eligerent Manichæi quos deciperent, eligeremus et nos verba quibus eis responderemus : cum vero illi et doctos litteris, et indoctos errore suo persequantur, et cum promittunt veritatem, a veritate conentur avertere ; non ornato politoque sermone, sed rebus manifestis convincenda est vanitas eorum. Placuit enim mihi quorum-

[1] Scripti circiter annum Christi 389. — Vide Retract. lib. I, cap. 10.

dam vere Christianorum sententia, qui cum sint eruditi liberalibus litteris, tamen alios libros nostros, quos adversus Manichæos edidimus, cum legissent, viderunt eos ab imperitioribus, aut non, aut difficile intelligi, et me benevolentissime monuerunt, ut communem loquendi consuetudinem non desererem, si errores illos tam perniciosos ab animis etiam imperitorum expellere cogitarem. Hunc enim sermonem usitatum et simplicem etiam docti intelligunt, illum autem indocti non intelligunt.

II. Solent ergo Manichæi Scripturas Veteris Testamenti, quas non noverunt, vituperare, et ea vituperatione infirmos et parvulos nostros, non invenientes quomodo sibi respondeant, irridere atque decipere. Quia nulla Scriptura est quæ non apud eos qui illam non intelligunt, facile possit reprehendi. Sed ideo divina providentia multos diversi erroris hæreticos esse permittit, ut cum insultant nobis, et interrogant nos ea quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, et divinas Scripturas nosse cupiamus. Propterea et Apostolus dicit : « Oportet hæreses esse, ut » probati manifesti fiant inter vos[1]. » Illi enim Deo probati sunt, qui bene possunt docere : sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cum docent : docere autem nolunt, nisi eos qui doceri quærunt. Sed multi ad quærendum pigri sunt, nisi per molestias et insultationes hæreticorum quasi de somno excitentur, et de imperitia sua erubescant sibi, et de illa imperitia sua periclitari se sentiant. Qui homines, si bonæ sunt fidei, non cedunt hæreticis, sed quid eis respondeant diligenter inquirunt. Nec eos deserit Deus ut petentes accipiant, et quærentes inveniant, et pulsantibus aperiatur. Qui autem desperant se posse in catholica disciplina invenire quod quærunt, atteruntur erroribus ; et si perseveranter inquirunt, ad ipsos

[1] 1 Cor. xi, 19.

fontes a quibus aberraverant, post magnos labores fatigati atque sitientes et pene mortui revertuntur.

III. Primum ergo librum Veteris Testamenti, qui inscribitur Genesis, sic solent Manichæi reprehendere. Quod scriptum est : « In principio fecit Deus cœlum et terram, » quærunt, in quo principio, et dicunt : Si in principio aliquo temporis fecit Deus cœlum et terram, quid agebat antequam faceret cœlum et terram ? Et quid ei subito placuit facere, quod nunquam antea fecerat per tempora æterna ? His respondemus, Deum in principio fecisse cœlum et terram, non in principio temporis, sed in Christo, cum Verbum esset apud Patrem, per quod facta et in quo facta sunt omnia. Dominus enim noster Jesus Christus cum eum Judæi interrogassent quis esset, respondit : « Principium, quia et loquor vobis[1]. » Sed etsi in principio temporis Deum fecisse cœlum et terram credamus, debemus utique intelligere, quod ante principium temporis non erat tempus. Deus enim fecit et tempora. Et ideo antequam faceret tempora, non erant tempora. Non ergo possumus dicere fuisse aliquod tempus quando Deus nondum aliquid fecerat. Quomodo enim erat tempus quod Deus non fecerat, cum omnium temporum ipse sit fabricator ? Et si tempus cum cœlo et terra esse cœpit, non potest inveniri tempus quo Deus nondum fecerat cœlum et terram. Cum autem dicitur : Quid ei placuit subito ? sic dicitur, quasi aliqua tempora transierint, quibus Deus nil operatus est. Non enim transire poterat tempus, quod nondum fecerat Deus ; quia non potest esse operator temporum, nisi qui est ante tempora. Certe et ipsi Manichæi legunt apostolum Paulum, et laudant et honorant : et ejus Epistolas male interpretando multos decipiunt. Dicant ergo nobis quid dixerit apostolus Paulus :

[1] Joan. VIII, 25.

« Agnitionem veritatis quæ est secundum pietatem Dei in » spem vitæ æternæ, quam promisit non mendax Deus » ante tempora æterna : æterna enim tempora quid ante » se habere potuerunt? » Hoc ergo cogantur exponere, ut intelligant se non intelligere, cum temere volunt reprehendere, quod diligenter quærere debuerunt.

IV. Si autem non dicunt : Quid placuit Deo subito facere cœlum et terram, sed tollunt inde, subito : et hoc tantum dicunt : Quid placuit Deo facere cœlum et terram? Non enim coævum Deo mundum istum dicimus, quia non ejus æternitatis est hic mundus, cujus æternitatis est Deus : mundum quippe fecit Deus, et sic cum ipsa creatura quam Deus fecit, tempora esse cœperunt; et ideo dicuntur tempora æterna. Non tamen sic sunt æterna tempora quomodo æternus est Deus, quia Deus est ante tempora, qui fabricator est temporum : sicut omnia quæ fecit Deus bona sunt valde, sed non sic bona sunt, quomodo bonus est Deus, quia ille fecit, hæc autem facta sunt : nec ea genuit de se ipso, ut hoc essent quod ipse est; sed ea fecit de nihilo, ut non essent æqualia, nec ei a quo facta sunt, nec Filio ejus per quem facta sunt, justum est enim. Si ergo isti dixerint : Quid placuit Deo facere cœlum et terram? Respondendum est eis, ut prius discant vim voluntatis humanæ, qui voluntatem Dei nosse desiderant. Causas enim voluntatis Dei scire quærunt, cum voluntas Dei omnium quæ sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas Dei, est aliquid quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit : Quare fecit Deus cœlum et terram? Respondendum est ei : Quia voluit. Voluntas enim Dei causa est cœli et terræ, et ideo major est voluntas Dei quam cœlum et terra. Qui autem dicit : Quare voluit facere

[1] Tit. 1, 1 et 2.

cœlum et terram? majus aliquid quærit quam est voluntas Dei : nihil autem majus inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, et id quod non est non quærat, ne id quod est non inveniat. Et si voluntatem Dei nosse quisquam desiderat, fiat amicus Deo : quia si voluntatem hominis nosse quisquam vellet, cujus amicus non esset, omnes ejus impudentiam ac stultitiam deriderent. Non autem quisquam efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus, et illo fine præcepti de quo Apostolus dicit : « Finis autem præcepti est charitas de corde puro, » et conscientia bona, et fide non ficta[1] : » quod isti si haberent, non essent hæretici.

V. Quod autem sequitur in libro Geneseos : « Terra » autem erat invisibilis et incomposita, » sic reprehendunt Manichæi, ut dicant : Quomodo fecit Deus in principio cœlum et terram, si jam et terra erat invisibilis et incomposita? Ita cum volunt Scripturas divinas prius vituperare quam nosse, etiam res apertissimas non intelligunt. Quid enim manifestius dici potuit, quam hoc dictum est : « In » principio fecit Deus cœlum et terram, terra autem erat » invisibilis et incomposita[2],» id est, in principio fecit Deus cœlum et terram, terra autem ipsa quam fecit Deus, invisibilis erat et incomposita, antequam Deus omnium rerum formas locis et sedibus suis ordinata distinctione disponeret, antequam dicere : « Fiat lux, et, Fiat firmamentum, et, Congregentur aquæ, et Appareat ari» da[3], » et cætera quæ in eodem libro sic exponuntur per ordinem, quemadmodum possint ea parvuli capere? Quæ omnia continent tam magna mysteria, ut quisquis ea didicerit, omnium hæreticorum vanitatem vel doleat quia homines sunt, vel derideat quia superbi sunt.

VI. Sequitur in eodem libro : « Et tenebræ erant super

[1] 1 Tim. 1, 5. — [2] Gen. 1, 1 et 2. — [3] Ibid.

» abyssum [1]. » Quod Manichæi reprehendunt dicentes : In tenebris ergo erat Deus, antequam faceret lucem ? Vere ipsi sunt in tenebris ignorantiæ, et ideo non intelligunt lucem, in qua Deus erat antequam faceret istam lucem. Non enim norunt isti lucem, nisi quam carneis oculis vident. Et ideo istum solem, quem pariter non solum cum bestiis majoribus, sed etiam cum muscis et vermiculis cernimus, illi sic colunt ut particulam dicant esse lucis illius in qua habitat Deus. Sed nos intelligamus aliam lucem esse in qua Deus habitat, unde est illud lumen de quo in Evangelio legitur : « Erat lumen verum, quod illuminat » omnem hominem venientem in hunc mundum [2]. » Nam solis istius lumen non illuminat omnem hominem, sed corpus hominis et mortales oculos, in quibus nos vincunt aquilarum oculi, qui solem istum multo melius quam nos dicuntur aspicere. Illud autem lumen non irrationabilium avium oculos pascit [3], sed pura corda eorum qui Deo credunt, et ab amore visibilium rerum et temporalium se ad ejus præcepta implenda convertunt. Quod omnes homines possunt si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum. Ergo tenebræ erant super abyssum antequam lux ista fieret : de qua consequenter hoc loco dicitur.

VII. « Et dixit Deus : Fiat lux. » Quia ubi lux non est, tenebræ sunt : non quia aliquid sunt tenebræ, sed ipsa lucis absentia tenebræ dicuntur. Sicut silentium non aliqua res est, sed ubi sonus non est, silentium dicitur. Et nuditas aliqua res non est, sed in corpore ubi tegumentum non est, nuditas dicitur. Et inanitas non est aliquid, sed locus ubi corpus non est, inanis dicitur. Sic tenebræ non aliquid sunt, sed ubi lux non est, tenebræ dicuntur. Hoc ideo dicimus, quia solent dicere : Unde erant

[1] Gen. 1, 6. — [2] Joan. 1, 9. — [3] Vide 1 Retract. cap. x, n. 2.

ipsæ tenebræ super abyssum, antequam faceret Deus lucem? Quis illas fecerat vel genuerat? aut si nemo fecerat vel genuerat eas, æternæ erant tenebræ. Quasi aliquid sint tenebræ : sed ut dictum est, lucis absentia hoc nomen accepit. Sed quia ipsi fabulis suis decepti crediderunt gentem esse tenebrarum, in qua et corpora et formas et animas in illis corporibus fuisse arbitrantur, ideo putant quod tenebræ aliquid sint : et non intelligunt non sentiri tenebras, nisi quando non videmus, sicut non sentitur silentium, nisi quando non audimus. Sicut autem silentium nihil est, sic et tenebræ nihil sunt. Sicut autem isti dicunt gentem tenebrarum contra lucem Dei pugnasse, sic potest et alius similiter vanus dicere, gentem silentiorum contra vocem Dei pugnasse. Sed illas vanitates modo non suscepimus refellere atque convincere. Nunc enim ea quæ reprehendunt in Veteri Testamento, statuimus defendere quantum vires Dominus præstare dignatur, et in eis ostendere contra veritatem Dei nihil valere hominum cæcitatem.

VIII. Quod autem scriptum est : « Et spiritus Dei su- » perferebatur super aquam, » sic solent Manichæi reprehendere, ut dicant : Aqua ergo erat habitaculum Spiritus Dei, et ipsa continebat Spiritum Dei? Totum conantur perversa mente pervertere, et excæcantur malitia sua. Cum enim dicimus : Sol superfertur super terram, numquid hoc intelligi volumus, quod in terra habitet sol, et terra solem contineat? Et tamen non sic Spiritus Dei superferebatur super aquam, sicut superfertur sol super terram ; sed alio modo quem pauci intelligunt. Non enim per spatia locorum superferebatur aquæ ille Spiritus, sicut sol terræ superfertur, sed per potentiam invisibilis sublimitatis suæ. Dicant autem nobis isti, quomodo iis rebus, quæ fabricandæ sunt, superferatur voluntas

fabri. Quod si hæc humana et quotidiana non comprehendunt, timeant Deum, et simplici corde quod non intelligunt quærant, ne cum volunt verbis sacrilegis concidere veritatem quam videre non possunt, redeat illis securis in crura. Nam illa concidi non potest quæ incommutabilis manet, sed quæcumque plagæ in illam emissæ fuerint repercutiuntur, et majore ictu redeunt in eos qui cædere audent, quod credere deberent, ut intelligere mœrerentur.

IX. Deinde quærunt, et insultando interrogant: Unde erat ipsa aqua super quam ferebatur Spiritus Dei? numquid enim superius scriptum est, quod Deus aquam fecerit? Hoc si pie quærerent, invenirent quemadmodum intelligendum esset. Non enim aqua sic appellata est hoc loco, ut hæc a nobis intelligatur quam videre jam possumus et tangere: quomodo nec terra quæ incomposita et invisibilis dicta est, talis erat qualis ista quæ jam videri et tractari potest. Sed illud quod dictum est: « In principio fecit » Deus cœlum et terram, » cœli et terræ nomine universa creatura significata est, quam fecit et condidit Deus. Ideo autem nominibus visibilium rerum hæc appellata sunt, propter parvulorum infirmitatem, qui minus idonei sunt invisibilia comprehendere. Primo ergo materia facta est confusa et informis, unde omnia fierent quæ distincta atque formata sunt, quod credo a Græcis Chaos appellari. Sic enim et alio loco legimus dictum in laudibus Dei: « Qui fecisti mundum de materia informi [1]. » Quod aliqui codices habent, de materia invisa.

X. Et ideo Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est. Non enim debemus esse similes istis qui omnipotentem

[1] Sap. xi, 18.

Deum non credunt aliquid de nihilo facere potuisse, cum considerant fabros et quoslibet opifices non posse aliquid fabricare, nisi habuerint unde fabricent. Et ligna enim adjuvant fabrum, et argentum adjuvat argentarium, et aurum aurificem, et terra figulum adjuvat ut possit perficere opera sua. Si enim non adjuventur ea materia unde aliquid faciunt, nihil possunt facere, cum materiam ipsam ipsi non faciant. Non enim faber lignum facit, sed de ligno facit aliquid : sic et cæteri omnes hujusmodi opifices. Omnipotens autem Deus nulla re adjuvandus erat, quam ipse non fecerat, ut quod volebat efficeret. Si enim ad eas res quas facere volebat, adjuvabat eum aliqua res quam ipse non fecerat, non erat omnipotens : quod sacrilegum est credere.

XI. Informis ergo illa materia quam de nihilo Deus fecit, appellata est primo cœlum et terra, et dictum est : « In principio fecit Deus cœlum et terram ; » non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat : nam et cœlum scribitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices, et robur, et ramos, et fructus, et folia, non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt : sic dictum est : « In principio fecit Deus cœ- » lum et terram, » quasi semen cœli et terræ, cum in confuso adhuc esset cœli et terræ materia : sed quia certum erat inde futurum esse cœlum et terram, jam et ipsa materia cœlum et terra appellata est. Isto genere locutionis etiam Dominus loquitur, cum dicit : « Jam non dicam vos » servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos » autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo » nota feci vobis [1] ; » non quia jam factum erat, sed quia certissime futurum erat. Nam post paululum dicit illis : « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis por-

[1] Joan. xv, 6.

» tare modo [1]. » Ut quid ergo dixerat : « Omnia quæ au- » divi a Patre meo nota feci vobis : » nisi quia se sciebat hoc esse facturum? Sic etiam cœlum et terra potuit dici materia unde nondum erat factum cœlum et terra sed tamen non erat aliunde faciendum. Innumerabiles tales locutiones in Scripturis divinis inveniuntur. Sicut in consuetudine sermonis nostri, cum id quod certissime speramus futurum, dicimus : Jam factum puta.

XII. Hanc autem adhuc informem materiam, etiam terram invisibilem atque incompositam voluit appellare, quia inter omnia elementa mundi terra videtur minus speciosa quam cætera. Invisibilem autem dixit, propter obscuritatem; et incompositam, propter informitatem. Eamdem ipsam materiam etiam aquam appellavit, super quam ferebatur Spiritus Dei, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis. Quod etsi paucorum intelligentia potest attingere, humanis tamen verbis nescio utrum vel a paucis hominibus possit exponi. Propterea vero non absurde etiam aqua dicta est ista materia, quia omnia quæ in terra nascuntur, sive animalia, sive arbores vel herbæ, et si qua similia, ab humore incipiunt formari atque nutriri. Hæc ergo nomina omnia, sive cœlum et terra, sive terra invisibilis et incomposita et abyssus cum tenebris, sive aqua super quam Spiritus ferebatur, nomina sunt informis materiæ : ut res ignota notis vocabulis insinuaretur imperitioribus; et non uno vocabulo, sed multis, ne si unum esset, hoc putaretur esse quod consueverant homines in illo vocabulo intelligere. Dictum est ergo cœlum et terra, quia inde futurum erat cœlum et terra. Dicta est terra invisibilis et incomposita et tenebræ super abyssum, quia informis erat, et nulla specie cerni aut tractari poterat, etiam si esset homo qui videret atque tractaret.

[1] Joan. XVI, 12.

Dicta est aqua, quia facilis et ductilis subjacebat operanti, ut de illa omnia formarentur. Sed sub his omnibus nominibus materia erat invisa et informis, de qua Deus condidit mundum.

XIII. « Et dixit Deus : Fiat lux ; et facta est lux. » Hoc non solent reprehendere Manichæi, sed illud quod sequitur : « Et vidit Deus lucem quia bona est [1]. » Dicunt enim : Ergo non noverat Deus lucem, aut non noverat bonum. Miseri homines, quibus displicet quod Deo placuerunt opera sua, cum videant etiam hominem artificem, verbi gratia, lignarium fabrum, quamvis in comparatione sapientiæ et potentiæ Dei pene nullus sit, tamen tandiu lignum cædere atque tractare dolando, asciando, planando, vel tornando atque poliendo, quousque ad artis regulas perducatur quantum potest, et placeat artifici suo. Numquid ergo quia placet ei quod fecit, ideo non noverat bonum? Prorsus noverat intus in animo, ubi ars ipsa pulchrior est, quam illa quæ arte fabricantur. Sed quod videt artifex intus in arte, hoc foris probat in opere, et hoc est perfectum quod artifici suo placet. « Vidit ergo Deus lucem quia bona est : » quibus verbis non ostenditur eluxisse Deo insolitum bonum, sed placuisse perfectum.

XIV. Quid si dictum esset : Miratus est Deus lucem quia bona est? quantum clamarent? quantum litigarent? Admiratio enim revera de rebus insperatis nasci solet, et tamen legunt isti, et laudant Dominum nostrum Jesum Christum in Evangelio admiratum esse fidem credentium [2]. Quis autem in illis fecerat ipsam fidem, nisi ipse qui eam mirabatur? Quod si et alius eam fecisset, ut quid miraretur qui præscius erat? Si solvunt Manichæi quæstionem istam, videant quia et illa solvi potest. Si autem non sol-

[1] Gen. I, 4. — [2] Matth. VIII, 10.

vunt, quid ista reprehendunt quæ ad se nolunt pertinere, cum illa quæ ad se pertinere dicunt, non noverint? Quod enim miratur Dominus noster, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc est opus sic moveri. Omnes ergo tales motus ejus non perturbati animi sunt signa, sed docentis magistri. Sic sunt et verba Veteris Testamenti, quæ non Deum infirmum docent, sed nostræ infirmitati blandiuntur. Nihil enim de Deo digne dici potest. Nobis tamen ut nutriamur, et ad ea perveniamus quæ nullo humano sermone dici possunt, ea dicuntur quæ capere possumus.

XV. « Et divisit Deus inter lucem et tenebras, et vo»cavit Deus diem, Lucem, et tenebras vocavit, Noctem[1]. » Hic non dictum est : Fecit Deus tenebras ; quia tenebræ, sicut superius dictum est, lucis absentia est : distinctio tamen facta est inter lucem et tenebras. Quemadmodum nos clamando vocem facimus ; silentium autem non sonando facimus, quia cessatio vocis silentium est : distinguimus tamen sensu quodam inter vocem et silentium, et illud vocamus vocem, illud silentium. Quemadmodum ergo recte dicimur facere silentium, sic recte multis divinarum Scripturarum locis Deus dicitur facere tenebras, quia lucem quibus vult temporibus et locis vel non dat, vel detrahit. Hoc autem totum ad intellectum nostrum dictum est. Qua enim lingua vocavit Deus diem lucem, et tenebras noctem, utrum hebræa, an græca, an latina, an aliqua alia? et sic omnia quæ vocavit, quæri potest qua lingua vocaverit. Sed apud Deum purus intellectus est, sine strepitu et diversitate linguarum. « Vocavit » autem dictum est, vocari fecit : quia sic distinxit omnia, et ordinavit, ut et discerni possent, et nomina accipere. Sed postea suo loco requiremus, utrum vere sic est

[1] Gen. 1, 5.

accipiendum, quia vocavit Deus : quoniam quantum accedimus in Scripturis et in eis assuescimus, tantum nobis locutiones earum innotescunt. Sic enim dicimus : Ille paterfamilias ædificavit domum istam, id est, ædificari fecit, et multa talia per omnes libros divinarum Scripturarum inveniuntur.

XVI. « Et facta est vespera, et factum est mane dies » unus[1]. » Et hinc calumniantur Manichæi, dum putant ita dictum esse, quasi a vespera dies cœperit. Non intelligunt operationem illam qua lux facta est, et divisum est inter lucem et tenebras, et vocata est lux dies, et tenebræ nox ; hanc ergo totam operationem non intelligunt ad diem pertinere : post hanc autem operationem tanquam finito die facta est vespera. Sed quia etiam nox ad diem suum pertinet, non dicitur transisse dies unus, nisi etiam nocte transacta cum factum est mane : sic deinceps reliqui dies computantur a mane usque in mane. Nunc enim cum factum est mane, et transactus est unus dies, incipit operatio, quæ sequitur ab ipso mane quod jam factum est, et post ipsam operationem fit vespera, deinde mane, et transit alter dies : atque ita deinceps cæteri dies transeunt.

XVII. « Et dixit Deus : Fiat firmamentum in medio » aquæ, et sit divisio inter aquam et aquam ; et sic fac» tum est. Et fecit Deus firmamentum, et divisit Deus » inter aquam quæ est super firmamentum, et inter aquam » quæ est sub firmamento, et vocavit Deus firmamentum, » Cœlum : et vidit Deus quia bonum est[2]. » Hæc non memini Manichæos reprehendere solere : tamen quod divisæ sunt aquæ ut aliæ essent super firmamentum, et aliæ sub firmamento, quoniam materiam illam dicebamus nomine aquæ appellatam, credo firmamento cœli materiam cor-

[1] Gen. 1, 5. — [2] Ibid. 6-8.

poralem rerum visibilium ab illa incorporali rerum invisibilium fuisse discretam. Cum enim cœlum sit corpus pulcherrimum, omnis invisibilis creatura excedit etiam pulchritudinem cœli : et ideo fortasse super cœlum esse dicuntur aquæ invisibiles, quæ a paucis intelliguntur non locorum sedibus, sed dignitate naturæ superare cœlum : quanquam de hac re nihil temere affirmandum est ; obscura est enim, et remota a sensibus hominum : sed quoquo modo se habeat, antequam intelligatur, credenda est. « Et facta est vespera, et factum est mane dies se» cundus. » Jam omnia hæc quæ repetuntur, sicut superius intelligenda atque tractanda sunt.

XVIII. « Et dixit Deus : Congregetur aqua quæ est » sub cœlo in congregationem unam et appareat arida, et » sic factum est. Et congregata est aqua quæ erat sub cœlo » in congregationem unam, et apparuit arida. Et vocavit » Deus aridam, Terram : et congregationem aquæ vocavit » Mare. Et vidit Deus quia bonum est [1]. » In isto loco Manichæi dicunt : Si totum aquis plenum erat, quomodo poterant aquæ congregari in unum ? Sed jam superius dictum est, nomine aquarum materiam illam appellatam super quam ferebatur Spiritus Dei, unde erat Deus omnia formaturus. Nunc vero cum dicitur : « Congregetur » aqua quæ est sub cœlo in congregationem unam : » hoc dicitur ut illa materia corporalis formetur in eam speciem quam habent aquæ istæ visibiles. Ipsa enim congregatio in unum, ipsa est aquarum istarum formatio quas videmus et tangimus. Omnis enim forma ad unitatis regulam cogitur. Et quod dicitur : « Appareat arida, » quid aliud dici intelligendum est, nisi ut illa materies accipiat visibilem formam, quam nunc habet terra ista quam videmus et tangimus ? Superius ergo quod nominabatur terra in-

[1] Gen. 1, 9 et 10.

visibilis et incomposita, materiæ confusio et obscuritas nominabatur : et quod nominabatur aqua super quam ferebatur Spiritus Dei, eadem rursus materia nominabatur. Nunc vero aqua ista et terra formantur ex illa materia, quæ ipsis nominibus appellabatur, antequam formas istas quas nunc videmus acciperet. Sane dicitur, in hebræa locutione omnem aquarum congregationem, sive salsarum sive dulcium, mare appellari.

XIX. « Et dixit Deus : Germinet terra herbam pabuli » ferentem semen secundum suum genus et similitudi- » nem, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus se- » men sit in se secundum suam similitudinem : et sic est » factum. Et ejecit terra herbam pabuli, ferentem semen » secundum suum genus, et lignum fructiferum faciens » fructum, cujus semen est in se secundum suam simili- » tudinem, secundum suum genus super terram. Et vi- » dit Deus quia bonum est, et facta est vespera, et fac- » tum est mane dies tertius [1]. » Hic solent dicere : Si Deus jussit nasci de terra herbam pabuli, et lignum fructiferum, quis jussit nasci tantas herbas vel spinosas vel venenosas, quæ ad pabulum non proficiunt, et tam multa ligna quæ nullum fructum ferunt? Quibus sic respondendum est, ut nulla indignis aperiantur mysteria, neque ostendatur in qua figura futurorum ista sic dicta sint. Ergo dicendum est, quod per peccatum hominis terra maledicta sit, ut spinas pareret : non ut ipsa pœnas sentiret, quæ sine sensu est, sed ut peccati humani crimen semper hominibus ante oculos poneret, quo admonerentur aliquando averti a peccatis, et ad Dei præcepta converti. Herbæ autem venenosæ ad pœnam vel ad exercitationem mortalium creatæ sunt : et hoc totum propter peccatum, quia mortales post peccatum facti sumus. Per infructuo-

[1] Gen. 1, 20-23.

sas vero arbores insultatur hominibus, ut intelligant quam sit erubescendum sine fructu bonorum operum esse in agro Dei, hoc est, in Ecclesia; et timeant ne deserat eos Deus, quia et ipsi in agris suis infructuosas arbores deserunt, nec aliquam culturam eis adhibent. Ante peccatum ergo hominis non est scriptum, quod terra aliud protulerit uisi herbam pabuli et ligna fructuosa : post peccatum autem videmus multa horrida et infructuosa de terra nasci, credo propter eam causam quam diximus. Sic enim dicitur ad primum hominem posteaquam peccavit : « Maledicta erit terra tibi in omnibus operibus tuis : in » tristitia et gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ : » spinas et tribulos ejiciet tibi, et edes pabulum agri tui : » in sudore vultus tui edes panem tuum, donec reverta- » ris in terram de qua sumptus es; quia terra es, et in » terram ibis [1]. »

XX. « Et dixit Deus : Fiant sidera in firmamento cœli, » sic ut luceant super terram, et dividant inter diem et » noctem, et sint in signa, et in tempora, et in dies, et » in annos, et sint in splendorem in firmamento cœli, » sic ut luceant super terram. Et sic est factum. Et fecit » Deus duo luminaria, majus et minus : luminare majus » in inchoationem diei, et luminare minus in inchoatio- » nem noctis, et stellas. Et posuit illas Deus in firma- » mento cœli, sic ut luceant super terram, et præsint » diei et nocti, et dividant inter diem et noctem. Et vidit » Deus quia bonum est. Et facta est vespera, et factum » est mane dies quartus [2]. » Hic primo quærunt, quomodo quarto die facta sint sidera, id est, sol et luna et stellæ. Tres enim dies superiores quomodo esse sine sole potuerunt, cum videamus nunc solis ortu et occasu diem transigi, noctem vero nobis fieri solis absentia, cum ab

[1] Gen. III, 17-19. — [2] Id. I, 14-19.

alia parte mundi ad Orientem redit? Quibus respondemus, potuisse fieri, ut tres superiores dies singuli per tantam moram temporis computarentur, per quantam moram circumit sol, ex quo procedit ab Oriente quousque rursus ad Orientem revertitur. Hanc enim moram et longitudinem temporis possent sentire homines etiamsi in speluncis habitarent, ubi orientem et occidentem solem videre non possent. Atque ita sentitur potuisse istam moram fieri etiam sine sole antequam sol factus esset, atque ipsam moram in illo triduo per dies singulos computatam. Hoc ergo responderemus, nisi nos revocaret quod ibi dicitur : « Et facta est vespera, et factum est mane, » quod nunc sine solis cursu videmus fieri non posse. Restat ergo ut intelligamus, in ipsa quidem mora temporis ipsas distinctiones operum sic appellatas, vesperam propter transactionem consummati operis, et mane propter inchoationem futuri operis, de similitudine scilicet humanorum operum, quia plerumque a mane incipiunt, et ad vesperam desinunt. Habent enim consuetudinem divinæ Scripturæ de rebus humanis ad divinas res verba transferre.

XXI. Deinde quærunt ut quid dictum sit de sideribus : « Et sint in signa et in tempora. » Numquid enim, aiunt, tres illi dies sine temporibus esse potuerunt, aut ad temporis spatia non pertinent? Sed « In signa et tempora » dictum est, ut per hæc sidera tempora distinguantur, et ab hominibus dignoscantur : quia si currant tempora, et nullis distinguantur articulis, qui articuli per siderum cursus notantur, possunt quidem currere tempora atque præterire ; sed intelligi et discerni ab hominibus non possunt. Sicut horæ quando nubilus dies est, transeunt quidem, et sua spatia peragunt ; sed distingui a nobis et notari non possunt.

XXII. Quod autem dictum est : « Et fecit Deus duo lu-
» minaria, luminare majus in inchoationem diei, et lu-
» minare minus in inchoationem noctis, » pro eo dictum est ac si diceretur, in principatum diei et in principatum noctis. Non enim sol tantummodo inchoat diem, et non etiam peragit et finit : luna vero aliquando media nocte vel in fine noctis ad nos procedit : si ergo illæ noctes, quibus hoc facit, non ab ista inchoantur, quomodo in inchoationem noctis facta est? Si autem per inchoationem principium intelligas, et per principium principatum, manifestum est, quia per diem sol principatum tenet, luna vero per noctem; quia etsi cætera sidera tunc apparent, illa tamen suo fulgore superat omnia, et ideo princeps eorum rectissime dicitur.

XXIII. Quod autem dictum est : « Et dividant inter
» diem et noctem : » potest hic fieri calumnia, ut dicatur : Quomodo jam Deus diviserat superius inter diem et noctem, si hoc, quarto die, sidera faciunt? Sic igitur hic dictum est : « Dividant inter diem et noctem, » tanquam si diceretur, Sic inter se diem dividant et noctem, ut soli dies detur, nox autem lunæ et sideribus cæteris. Quæ duo jam divisa erant, sed nondum inter sidera, ut jam certum esset de siderum numero, quid per diem, et quid per noctem appareret hominibus.

XXIV. « Et dixit Deus : Ejiciant aquæ reptilia anima-
» rum vivarum, et volatilia volantia super terram sub
» firmamento cœli. Et sic factum est. Et fecit Deus cetos
» magnos, et omnem animam animalium et repentium
» quæ ejecerunt aquæ secundum uniuscujusque genus, et
» omne genus volatile pennatum secundum genus. Et vi-
» dit Deus quia bona sunt, et benedixit illa Deus dicens :
» Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris, et
» volatilia multiplicentur super terram. Et facta est ves-

» pera, et factum est mane dies quintus[1]. » Hic solent reprehendere, quærentes vel potius calumniantes, quare animalia non solum ea quæ in aquis vivunt, sed etiam ea quæ in aëre volitant, et omnia pennata de aquis nata scriptum sit. Sed sciant omnes quos hæc movent, istum aërem nebulosum et humidum, in quo aves volant, a doctissimis hominibus qui hæc diligenter inquirunt, cum aquis solere deputari. Concrescit enim et crassus efficitur exhalationibus et quasi vaporibus maris et terræ, et de ipso humore pinguescit quodam modo, ut volatus avium portare possit. Ideo per noctes serenas etiam rorat, cujus roris guttæ mane in herbis inveniuntur. Nam mons ille Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis esse dicitur, ut in ejus cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant, quia excedit altitudine sua totum istum aërem humidum in quo aves volant, et ideo nec aves ibi volare asseverantur. Quod ab eis proditum dicitur, qui per singulos annos solebant, nescio quorum sacrificiorum causa, memorati montis cacumen ascendere, et aliquas notas in pulvere scribere, quas alio anno integras inveniebant : quod fieri non posset, si ventum aut pluviam locus ille pateretur. Deinde quia tenuitas aëris illius qui ibi est, non eos inspirabat, durare ibi non poterant, nisi spongias humectas naribus applicarent, unde crassiorem et consuetum spiritum ducerent : hi ergo indicaverunt se etiam nullam avem in eo loco aliquando vidisse. Non itaque immerito non solum pisces et cætera quæ in aquis sunt animalia, sed etiam aves de aquis natas esse, fidelissima Scriptura commemorat ; quia per istum aërem volare possunt, qui de maris et terræ humoribus surgit.

XXV. « Et dixit Deus : Ejiciat terra animam vivam se» cundum unumquodque genus quadrupedum et serpen-

[1] Gen. 1, 20-23.

» tium et bestiarum terræ : et sic est factum. Et fecit » Deus bestias terræ secundum genus, et pecora secun- » dum genus, et omnia repentia terræ secundum genus. » Et vidit Deus quia bona sunt[1]. » Solent etiam istam Manichæi movere quæstionem ut dicant : Quid opus erat, ut tam multa animalia Deus faceret, sive in aquis, sive in terra, quæ hominibus non sunt necessaria? multa etiam perniciosa sunt et timenda. Sed cum ista dicunt, non intelligunt quemadmodum omnia pulchra sunt conditori et artifici suo, qui omnibus utitur ad gubernationem universitatis, cui summa lege dominatur. Si enim in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta quorum causas ignorat, et si multum est insipiens, superflua putat. Jamvero si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, se ipsum vulneraverit, etiam perniciosa et noxia existimat ibi esse multa. Quorum tamen usum quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, et verba inepta non curans, officinam suam instanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quæ ignorant, sed cum ea viderint credant esse necessaria, et propter usus aliquos instituta : in hoc autem mundo cujus conditor et administrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere quorum causas non vident, et in operibus atque instrumentis omnipotentis Artificis volunt se videri scire quod nesciunt.

XXVI. Ego vero fateor me nescire mures et ranæ quare creatæ sint, aut muscæ aut vermiculi : video tamen omnia in suo genere pulchra esse, quamvis propter peccata nostra multa nobis videantur adversa : non enim animalis alicujus corpus et membra considero, ubi non mensuras et numeros et ordinem inveniam ad unitatem concordiæ

[1] Gen. 1, 24 et 25.

pertinere. Quæ omnia unde veniant non intelligo, nisi a summa mensura, et numero, et ordine, quæ in ipsa Dei sublimitate incommutabili atque æterna consistunt. Quod si cogitarent isti loquacissimi et ineptissimi, non nobis tædium facerent, sed ipsi considerando omnes pulchritudines et summas et infimas, Deum artificem ubique laudarent; et quoniam nusquam offenditur ratio, sicubi forte sensus carnalis offenditur, non rerum ipsarum vitio, sed nostræ mortalitatis meritis imputarent. Et certe omnia animalia aut utilia nobis sunt, aut perniciosa, aut superflua. Adversus utilia non habent quid dicant; de perniciosis autem vel punimur vel exercemur vel terremur, ut non vitam istam multis periculis et laboribus subditam, sed aliam meliorem, ubi securitas summa est, diligamus et desideremus, et eam nobis pietatis meritis comparemus. De superfluis vero quid nobis est quærere? Si tibi displicet quod non prosunt, placeat quod non obsunt; quia etsi domui nostræ non sunt necessaria, eis tamen completur hujus universitatis integritas, quæ multo major est quam domus nostra et multo melior. Hanc enim multo melius administrat Deus, quam unusquisque nostrum domum suam. Usurpa ergo utilia, cave perniciosa, relinque superflua. In omnibus tamen cum mensuras, et numeros, et ordinem vides, artificem quære. Nec alium invenies, nisi ubi summa mensura, et summus numerus, et summus ordo est, id est, Deum, de quo verissime dictum est, quod omnia in mensura, et numero, et pondere disposuerit[1]. Sic fortasse uberiorem capies fructum, cum Deum laudas in humilitate formicæ, quam cum transis fluvium in alicujus jumenti altitudine.

XXVII. » Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imagi-» nem et similitudinem nostram, et habeat potestatem pis-

[1] Sap. XI, 20.

» cium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum et » ferarum, et omnis terræ, et omnium reptilium, quæ » super terram repunt[1], » et cætera usque ad vesperam et mane quo completur dies sextus. Istam maxime quæstionem solent Manichæi loquaciter agitare, et insultare nobis quod hominem credamus factum ad imaginem et similitudinem Dei. Attendunt enim figuram corporis nostri, et infeliciter quærunt, utrum habeat Deus nares, et dentes, et barbam, et membra etiam interiora, et cætera quæ in nobis sunt necessaria. In Deo autem talia ridiculum est, imo impium credere, et ideo negant hominem factum esse ad imaginem et similitudinem Dei. Quibus respondemus, membra quidem ista in Scripturis plerumque nominari, cum Deus insinuatur audientibus parvulis; et hoc non solum in Veteris Testamenti libris, sed etiam in Novi. Nam et oculi Dei commemorantur, et aures, et labia, et pedes, et ad dexteram Dei Patris sedere evangelizatur Filius. Et ipse Dominus dicit: « Nolite per cœlum jurare, quia » sedes Dei est; neque per terram, quia scabellum pedum » ejus est[2]. » Item ipse dicit, quod in digito Dei ejiciebat dæmonia[3]. Sed omnes qui spiritaliter intelligunt Scripturas, non membra corporea per ista nomina, sed spiritales potentias accipere didicerunt, sicut galeas, et scutum, et gladium, et alia multa[4]. Primo ergo istis hæreticis dicendum est, qua impudentia de talibus verbis Veteri Testamento calumnientur, cum etiam in Novo hæc posita videant, aut fortasse non videant, sed cum litigant excæcentur.

XXVIII. Sed tamen noverint in catholica disciplina spiritales fideles non credere Deum forma corporea definitum; et quod homo ad imaginem Dei factus dicitur, secundum interiorem hominem dici, ubi est ratio et in-

[1] Gen. I, 26. — [2] Matth. V, 35. — [3] Luc. XI, 10. — [4] Ephes. VI.

tellectus : unde etiam habet potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum, et ferarum, et omnis terræ, et omnium repentium quæ repunt super terram. Cum enim dixisset, « Faciamus hominem ad ima- » ginem et similitudinem nostram, » addidit continuo : « Et habeat potestatem piscium maris et volatilium cœli, » et cætera : ut intelligeremus non propter corpus dici hominem factum ad imaginem Dei, sed propter eam potestatem qua omnia pecora superat. Omnia enim animalia cætera subjecta sunt homini, non propter corpus, sed propter intellectum, quem nos habemus, et illa non habent : quamvis etiam corpus nostrum sic fabricatum sit, ut indicet nos meliores esse quam bestias, et propterea Deo similes. Omnium enim animalium corpora, sive quæ in aquis, sive quæ in terra vivunt, sive quæ in aëre volitant, inclinata sunt ad terram, et non sunt erecta sicut hominis corpus. Quo significatur etiam animum nostrum in superna sua, id est, in æterna spiritalia erectum esse debere. Ita intelligitur per animum maxime, attestante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem et similitudinem Dei.

XXIX. Aliquando etiam solent dicere : Quomodo accepit homo potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum, et ferarum, cum videamus a multis feris homines occidi, et a multis volatilibus nobis noceri, quæ volumus vel vitare, vel capere, et plerumque non possumus ? quomodo ergo in hæc accepimus potestatem? Hic illis primo dicendum est, quod multum errent qui post peccatum considerant hominem, cum in hujus vitæ mortalitatem damnatus est, et amisit perfectionem illam qua factus est ad imaginem Dei. Sed si damnatio ejus tantum valet, ut tam multis pecoribus imperet : quamvis enim a multis feris propter fragilitatem corporis possit

occidi, a nullis tamen domari potest, cum ipse tam multas et prope omnes domet. Si ergo hæc hominis damnatio tantum valet, quid de regno ejus cogitandum est, quod ei renovato et liberato divina voce promittitur.

XXX. Quod autem scriptum est : « Masculum et fœmi» nam fecit illos, et benedixit eos Deus dicens : Crescite » et multiplicamini, et generate, et replete terram [1] : » rectissime quæritur quemadmodum accipienda sit conjunctio masculi et fœminæ ante peccatum, et ista benedictio qua dictum est : « Crescite et multiplicamini, et » génerate, et replete terram : » Utrum carnaliter, an spiritaliter accipienda sit. Licet enim nobis eam etiam spiritaliter accipere, ut in carnalem fœcunditatem post peccatum conversa esse credatur. Erat enim prius casta conjunctio masculi et fœminæ [2]; hujus ad regendum, illius ad obtemperandum accommodata : et spiritalis fœtus intelligibilium et immortalium gaudiorum replens terram, id est, vivificans corpus, et dominans ejus, id est, ita subjectum habens, ut nullam ex eo adversitatem, nullam molestiam pateretur. Quod ideo sic credendum est, quia nondum erant filii sæculi hujus antequam peccarent. Filii enim sæculi hujus generant et generantur, sicut Dominus dicit [3], cum in comparatione futuræ vitæ, quæ nobis promittitur, carnalem istam generationem contemnendam esse demonstrat.

XXXI. Et quod eis dictum est : « Habete potestatem » piscium maris, volatilium cœli, et repentium omnium » quæ repunt super terram [4] : » salvo quidem intellectu, quo manifestum est omnibus his animalibus hominem ratione dominari, recte tamen intelligitur etiam spiritaliter, ut omnes affectiones et motus animi, quos habemus istis

[1] Gen. I, 28. — [2] Vide I Retract. cap. X, n. 2. — [3] Luc. XX, 34. — [4] Gen. I, 28.

animalibus similes, subditos haberemus, et eorum dominaremur per temperantiam et modestiam. Cum enim non reguntur isti motus, erumpunt et pergunt in fœdissimas consuetudines, et per diversas perniciosasque delectationes nos rapiunt, et faciunt similes omni generi bestiarum. Cum autem reguntur et subjiciuntur, omnino mansuescunt et nobiscum concorditer vivunt. Non enim a nobis alieni sunt motus animi nostri. Pascuntur etiam nobiscum cognitione rationum et morum optimorum, et vitæ æternæ, tanquam herbis seminalibus et lignis fructiferis et herbis viridibus. Et hæc est hominis vita beata atque tranquilla, cum omnes motus ejus rationi veritatique consentiunt, et vocantur gaudia, et amores sancti, et casti, et boni. Si autem non consentiunt, nihilominus dum negligenter geruntur, conscindunt et dissipant animum, et faciunt vitam miserrimam; et vocantur perturbationes, et libidines, et concupiscentiæ malæ. De quibus jam nobis præcipitur, ut eas cum quanto possumus labore crucifigamus in nobis, donec absorbeatur mors in victoriam. Dicit enim Apostolus. « Qui autem Jesu Christi sunt, car-» nem suam crucifixerunt cum perturbationibus et con-» cupiscentiis[1]. » Vel hinc enim quivis admoneri debet[2], non carnaliter hæc esse intelligenda, quia herbæ virides et ligna fructifera omni generi bestiarum, et omnibus volatilibus et omnibus serpentibus in Genesi dantur ad cibum[3], cum videamus leones et accipitres et milvos et aquilas non pasci nisi carnibus, et interfectione aliorum animalium. Quod etiam de nonnullis serpentibus credo, qui sunt in arenosis et desertis locis, ubi nec lignum nec herba nascitur.

XXXII. Sane non est negligenter prætereundum quod dictum est : « Et vidit Deus omnia quæcumque fecit, esse

[1] Gal. v, 24. — [2] Vide 1 Retract. cap. x, n. 2. — [3] Gen. 1, 30.

» bona valde[1]. » Cum enim de singulis ageret, dicebat tantum : « Vidit Deus quia bonum est : « cum autem de omnibus diceretur, parum fuit dicere « bona, » nisi adderetur et « valde. » Si enim singula opera Dei cum considerantur a prudentibus, inveniuntur habere laudabiles mensuras, et numeros, et ordines in suo quæque genere constituta, quanto magis omnia simul, id est, ipsa universitas, quæ istis singulis in unum collectis impletur. Omnis enim pulchritudo quæ partibus constat, multo est laudabilior in toto quam in parte : sicut in corpore humano, si laudamus oculos solos, si nasum solum, si solas genas, aut solum caput, aut solas manus, aut solos pedes, et cætera si pulchra singula et sola laudamus; quanto magis totum corpus cui omnia membra, quæ singula pulchra sunt, conferunt pulchritudinem suam : ita ut manus pulchra, quæ etiam sola laudabatur in corpore, si separetur a corpore, et ipsa amittat gratiam suam, et cætera sine illa inhonesta sint : tanta est vis et potentia integritatis et unitatis, ut etiam quæ multa sunt bona tunc placeant, cum in universum aliquid conveniunt atque concurrunt. Universum autem ab unitate nomen accepit. Quod si Manichæi considerarent, laudarent universitatis auctorem et conditorem Deum ; et quod eos propter conditionem nostræ mortalitatis in parte offendit, redigerent ad universi pulchritudinem, et viderent quemadmodum Deus fecerit omnia non solum bona, sed etiam bona valde. Quia etiam in sermone aliquo ornato atque composito si consideremus singulas syllabas, vel etiam singulas litteras, quæ cum sonuerint statim transeunt, non in eis invenimus quid delectet atque laudandum sit. Totus enim ille sermo non de singulis syllabis aut litteris, sed de omnibus pulcher est.

[1] Gen. I, 31.

XXXIII. Jam nunc videamus etiam illud, quod solent majore impudentia, quam imperitia deridere, quod scriptum est, Deum consummato cœlo, et terra, et omnibus quæ fecit, requievisse die septimo ab omnibus operibus suis, et benedixisse diem septimum, et sanctificasse eum, quia requievit ab operibus suis[1]. Dicunt enim : Quid opus erat ut Deus requiesceret ? An forte operibus sex dierum fatigatus et lassatus erat ? Addunt etiam Domini testimonium, ubi ait : « Pater meus usque nunc operatur[2] : » Et hinc multos imperitos decipiunt, quibus persuadere conantur Novum Testamentum Veteri Testamento adversari. Sed sicut illi quibus Dominus dicit : « Pater meus usque » nunc operatur, » carnaliter opinabantur requiem Dei, et carnaliter sabbatum observantes non videbant quid illius diei significatio figuraret : sic et isti diversa quidem voluntate, pariter tamen non intelligunt sabbati sacramentum. Et illi enim carnaliter observando, et isti carnaliter execrando, sabbatum non noverunt. Transeat ergo unusquisque ad Christum ut auferatur velamen[3], sicut Apostolus dicit. Velamen enim aufertur, quando similitudinis et allegoriæ cooperimento ablato, veritas nudatur, ut possit videri.

XXXIV. Primo ergo hujus locutionis regula in multis divinarum Scripturarum locis animadvertenda atque discenda est. Quid enim aliud significat, quod dicitur Deus requievisse ab omnibus operibus suis, quæ fecit bona valde, nisi requiem nostram quam nobis daturus est ab omnibus operibus nostris, si et nos bona opera fecerimus. Secundum ipsam figuram locutionis dicit et Apostolus : « Quid enim oremus sicut oportet nescimus, sed ipse » Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus[4].» Non enim Spiritus sanctus gemit, quasi indigeat, aut an-

[1] Gen. II, 2. — [2] Joan. V, 17. — [3] 2 Cor. III, 16. — [4] Rom. VIII, 26.

gustias patiatur, qui secundum Deum interpellat pro sanctis : sed quia ipse nos movet ad orandum cum gemimus, quod ipso movente nos facimus, ipse facere dictus est. Sic dicitur etiam illud : « Tentat vos Dominus Deus » vester, ut sciat si diligitis eum [1]. » Non enim ut sciat ipse quem nihil latet, sed ut scire nos faciat, quantum in ejus dilectione profecerimus, tentari nos permittit. Secundum ipsam locutionem dicit et Dominus noster, nescire se diem et horam de fine sæculi [2]. » Quid enim potest esse quod ille nesciat ? Sed quia hoc utiliter occultabat Discipulis, nescientem se esse dixit, quia illos nescientes occultando faciebat. Secundum hanc figuram etiam Patrem solum dixit scire diem ipsum, quia eumdem Filium scire faceret. Ex hac figura multæ quæstiones in divinis Scripturis eis, qui jam genus locutionis hujus noverunt, sine ulla difficultate solvuntur. Talibus locutionibus etiam abundat nostra consuetudo, cum dicimus lætum diem, quia nos lætos facit ; et pigrum frigus, quia nos pigros facit ; et fossam cæcam, quia nos eam non videmus ; et linguam politam, quia verba polita facit : postremo etiam quietum ab omnibus molestiis tempus dicimus, in quo nos ab omnibus molestiis quieti sumus. Sed et Deus requievisse dictus est ab omnibus operibus suis, quæ fecit bona valde, quia in illo requiescimus ab omnibus operibus nostris, si opera bona fecerimus : quia et ipsa bona opera nostra illi tribuenda sunt qui vocat, qui præcipit, qui viam veritatis ostendit, qui ut et velimus invitat, et vires implendi ea quæ imperat, subministrat.

XXXV. Sed quare septimo die requies ista tribuatur, diligentius considerandum arbitror. Video enim per totum textum divinarum Scripturarum sex quasdam ætates operosas, certis quasi limitibus suis esse distinctas, ut in

[1] Deut. XIII, 3. — [2] Matth. XXIV, 36.

septima speretur requies; et easdem sex ætates habere similitudinem istorum sex dierum, in quibus ea facta sunt, quæ Deum fecisse Scriptura commemorat. Primordia enim generis humani, in quibus ista luce frui cœpit, bene comparantur primo diei quo fecit Deus lucem. Hæc ætas tanquam infantia deputanda est ipsius universi sæculi, quod tanquam unum hominem proportione magnitudinis suæ cogitare debemus : quia unusquisque homo cum primo nascitur, et exit ad lucem, primam ætatem agit infantiam. Hæc tenditur ab Adam usque ad Noë generationibus decem. Quasi vespera hujus diei fit diluvium : quia et infantia nostra tanquam oblivionis diluvio deletur.

XXXVI. Et incipit mane a temporibus Noë secunda ætas tanquam pueritia, et tenditur hæc ætas usque ad Abraham aliis generationibus decem. Et bene comparatur secundo diei quo factum est firmamentum inter aquam et aquam, quia et arca in qua erat Noë cum suis, firmamentum erat inter aquas inferiores in quibus natabat, et superiores quibus compluebatur. Hæc ætas non diluvio deletur, quia et pueritia nostra non oblivione tergitur de memoria. Meminimus enim nos fuisse pueros, infantes autem non meminimus. Hujus vespera est confusio linguarum in eis qui turrem faciebant, et fit mane ab Abraham. Sed nec ista ætas secunda generavit populum Dei, quia nec pueritia apta est ad generandum.

XXXVII. Mane ergo fit ab Abraham, et succedit ætas tertia similis adolescentiæ. Et bene comparatur diei tertio, quo ab aquis terra separata est. Ab omnibus enim gentibus, quarum error instabilis et vanis simulacrorum doctrinis tanquam ventis omnibus mobilis, maris nomine bene significatur; ab hac ergo gentium vanitate et hujus sæculi fluctibus separatus est populus Dei per Abraham, tanquam terra cum

apparuit arida, id est, sitiens imbrem cœlestem divinorum mandatorum : qui populus unum Deum colendo, tanquam irrigata terra, ut fructus utiles posset afferre, sanctas Scripturas et Prophetias accepit. Hæc enim ætas potuit jam generare populum Deo, quia et tertia ætas, id est, adolescentia filios habere jam potest. Et ideo ad Abraham dictum est : « Patrem multarum gentium posui te, et augeam te » nimis vale, et ponam te in gentes, et reges de te exient, » et ponam testamentum meum inter me et te, et inter se- » men tuum post te, in generationes eorum in testamen- » tum æternum : ut sim tibi Deus, et semini tuo post te : » et dabo tibi et semini tuo post te terram in qua habitas, » omnem terram Chanaan in possessionem æternam, et » ero illis Deus[1]. » Hæc ætas porrigitur ab Abraham usque ad David quatuordecim generationibus. Hujus vespera est in populi peccatis, quibus divina mandata præteribant, usque ad malitiam pessimi regis Saül.

XXXVIII. Et inde fit mane regnum David. Hæc ætas similis juventutis est. Et revera inter omnes ætates regnat juventus, et ipsa est firmum ornamentum omnium ætatum : et ideo bene comparatur quarto diei, quo facta sunt sidera in firmamento cœli. Quid enim evidentius significat splendorem regni quam solis excellentia? Et plebem obtemperantem regno splendor lunæ ostendit, tanquam synagogam ipsam, et stellæ principes ejus, et omnia tanquam in firmamento in regni stabilitate fundata. Hujus quasi vespera est in peccatis regum, quibus illa gens meruit captivari atque servire.

XXXIX. Et fit mane transmigratio in Babyloniam, cum in ea captivitate populus leniter in peregrino otio collocatus est. Et porrigitur hæc ætas usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi, id est, quinta ætas, scilicet

[1] Gen. xvii, 4-8.

declinatio a juventute ad senectutem, nondum senectus, sed jam non juventus : quæ senioris ætas, est quem Græci πρεσβύτης vocant. Nam senex apud eos non πρεσβύτην sed γέρων dicitur. Et revera sic ista ætas a regni robore inclinata et fracta est in populo Judæorum, quemadmodum homo a juventute fit senior. Et bene comparatur illi diei quinto, quo facta sunt in aquis animalia, et volatilia cœli, posteaquam illi homines inter gentes tanquam in mari vivere cœperunt, et habere incertam sedem et instabilem, sicut volantes aves. Sed plane erant ibi etiam ceti magni, id est, illi magni homines qui magis dominari fluctibus sæculi, quam servire in illa captivitate potuerunt. Non enim ad cultum idolorum aliquo terrore depravati sunt. Ubi sane animadvertendum est, quod benedixit Deus illa animalia dicens : « Crescite et multipli» camini, et implete aquas maris, et volatilia multiplicentur » super terram [1]. » Quia revera gens Judæorum, ex quo dispersa est per gentes, valde multiplicata est. Hujus diei, hoc est, hujus ætatis quasi vespera est multiplicatio peccatorum in populo Judæorum ; quia sic excæcati sunt, ut etiam Dominum Jesum Christum non possent agnoscere.

XL. Mane autem fit ex prædicatione Evangelii per Dominum nostrum Jesum Christum, et finitur dies quintus : incipit sextus, in quo senectus veteris hominis apparet. Hac enim ætate illud carnale regnum vehementer attritum est, quando et templum dejectum est, et sacrificia ipsa cessaverunt ; et nunc ea gens, quantum ad regni sui vires attinet, quasi extremam vitam trahit. In ista tamen ætate tanquam in senectute veteris hominis, homo novus nascitur, qui jam spiritaliter vivit. Sexta enim die dictum erat : « Producat terra animam vivam. » Nam quinto die dictum erat : « Producant aquæ, non animam vivam,

[1] Gen. 1, 28.

» sed reptilia animarum vivarum [1] : » quoniam corpora sunt reptilia, et adhuc corporali circumcisione et sacrificiis tanquam in mari gentium populus ille serviebat legi [2]. Istam vero animam vivam dicit, qua vita jam incipiunt æterna desiderari. Serpentes ergo et pecora quæ terra producit, gentes significant jam stabiliter Evangelio credituras. De quibus dicitur in illo vase quod Petro demonstratum est in Actibus Apostolorum : « Macta et man» duca. Et cum ille immunda diceret, responsum est ei : » Quæ Deus mundavit, tu ne immunda dixeris [3]. » Tunc fit homo ad imaginem et similitudinem Dei, sicut in ista sexta ætate nascitur in carne Dominus noster, de quo dictum est per Prophetam : « Et homo est, et quis agnoscet » eum? » Et quemadmodum in illo die masculus et fœmina, sic et in ista ætate Christus et Ecclesia. Et præponitur homo in illo die pecoribus et serpentibus et volatilibus cœli, sicut in ista ætate Christus regit animas obtemperantes sibi, quæ ad Ecclesiam ejus, partim de gentibus, partim de populo Judæorum venerunt, ut ab eo domarentur atque mansuescerent homines, vel carnali concupiscentiæ dediti sicut pecora, vel tenebrosa curiositate obscuritati quasi serpentes, vel elati superbia quasi aves. Et sicut in illo die pascitur homo et animalia, quæ cum ipso sunt, herbis seminalibus et lignis fructiferis et herbis viridibus : sic ista ætate spiritalis homo quicumque bonus minister est Christi, et eum bene quantum potest imitatur, cum ipso populo spiritaliter pascitur sanctarum Scripturarum alimentis et lege divina : partim ad concipiendam fœcunditatem rationum atque sermonum, tanquam herbis seminalibus ; partim ad utilitatem morum conversationis humanæ, tanquam lignis fructiferis ; partim ad vigorem fidei, spei et charitatis in vitam æternam, tanquam herbis

[1] Gen. 1, 20. — [2] Vide 1 Retract. cap. x, n. 3. — [3] Act. x, 14.

viridibus, id est, vigentibus, quæ nullo æstu tribulationum possint arescere. Sed spiritalis sic istis alimentis pascitur, ut multa intelligat : carnalis autem, id est, parvulus in Christo, tanquam pecus Dei, ut multa credat quæ intelligere nondum potest : tamen eosdem cibos omnes habent.

XLI. Hujus autem ætatis quasi vespera, quæ utinam nos non inveniat, si tamen nondum cœpit, illa est de qua Dominus dicit : « Putas cum veniet Filius hominis, inve» niet fidem super terram [1] ? » Post istam vesperam fiet mane, cum ipse Dominus in claritate venturus est : tunc requiescent cum Christo ab omnibus operibus suis ii quibus dictum est : « Estote perfecti, sicut Pater vester qui » in cœlis est [2]. » Tales enim faciunt opera bona valde. Post enim talia opera speranda est requies in die septimo qui vesperam non habet. Nullo ergo modo verbis dici potest quemadmodum Deus fecerit, et condiderit cœlum et terram et omnem creaturam quam condidit : sed ista expositio per ordinem dierum sic indicat tanquam historiam rerum factarum, ut prædicationem futurorum maxime observet.

XLII. Si autem aliquem movet quod in istis ætatibus sæculi duas ætates primas denis generationibus advertimus explicari, tres autem consequentes singulæ quatuordecim generationibus contexuntur, sexta vero ista nullo generationum numero definita est ; facile est videre, etiam in unoquoque homine duas primas ætates, infantiam et pueritiam, corporis sensibus inhærere. Qui sensus corporis quinque sunt ; visus, auditus, olfactus, gustus et tactus : quinarius autem numerus duplicatus, quoniam duplex est sexus humanus, unde generationes tales existunt, masculinus et fœmininus ; quinarius ergo, ut dixi,

[1] Luc. XVIII, 8. — [2] Matth. V, 48.

duplicatus denarium numerum facit. Jamvero ab adolescentia et deinceps, ubi ratio jam incipit in homine prævalere, accedit quinque sensibus cognitio et actio, quibus vita regitur et administratur, ut jam septenarius numerus incipiat esse : qui similiter duplicatus, propter duplicem sexum, in quatuordecim generationibus eminet et apparet, quas habent tres ætates consequentes, tanquam adolescentis et juvenis et senioris. Senectutis vero ætas sicut in nobis nullo statuto annorum tempore definitur, sed post quinque illas ætates quantum quisque vixerit, senectuti deputatur : sic et in ista ætate sæculi non apparent generationes, ut etiam occultus sit ultimus dies, quem utiliter Dominus latere oportere demonstravit [1].

XLIII. Habet etiam unusquisque nostrum in bonis operibus et recta vita tanquam distinctos istos sex dies, post quos debet quietem sperare. Primo die lucem fidei, quando prius visibilibus credit, propter quam fidem Dominus visibiliter apparere dignatus est. Secundo die tanquam firmamentum disciplinæ, quo discernit inter carnalia et spiritalia, sicut inter aquas inferiores et superiores. Tertio die, quo mentem suam ad ferendos bonorum operum fructus, a labe et fluctibus tentationum carnalium, tanquam aridam terram a perturbationibus maris secernit, ut jam possit dicere : « Mente servio legi Dei, carne » autem legi peccati [2]. » Quarto die, quo jam in illo firmamento disciplinæ spiritales intelligentias operatur atque distinguit, videt quæ sit incommutabilis veritas, quæ tanquam sol fulget in anima ; et quemadmodum anima ipsius veritatis particeps fiat, et corpori ordinem et pulchritudinem præstet, tanquam luna illuminans noctem ; et quemadmodum stellæ omnes, scilicet intelligentiæ

[1] Matth. xxiv, 36. — [2] Rom. vii, 25.

spiritales, in hujus vitæ obscuritate tanquam in nocte micent et fulgeant. Quarum rerum notitia fortior effectus incipiat quinto die in actionibus turbulentissimi sæculi, tanquam in aquis maris operari, propter utilitatem fraternæ societatis; et de corporalibus actionibus, quæ ad ipsum mare pertinent, id est, ad hanc vitam, producere animarum vivarum reptilia, id est, opera quæ prosint animis vivis; et cetos magnos, id est, fortissimas actiones, quibus fluctus sæculi dirumpuntur et contemnuntur, et volatilia cœli, id est, voces cœlestia prædicantes. Sexto autem die producat de terra animam vivam, id est, de ipsa stabilitate mentis suæ ubi spiritales habet fructus, id est, bonas cogitationes, motus omnes animi sui regat, ut sit in illo anima viva, id est, rationi et justitiæ serviens, non temeritati atque peccato. Ita fiat etiam homo ad imaginem et similitudinem Dei, masculus et fœmina, id est, intellectus et actio, quorum copulatione spiritalis fœtus terram impleat, id est, carnem subjiciat, et cætera quæ jam in hominis perfectione superius dicta sunt. In istis autem tanquam diebus vespera est in ipsa perfectione singulorum operum, et mane in inchoatione consequentium. Post istorum quasi sex dierum opera bona valde, speret homo quietem perpetuam, et intelligat quid sit: Requievit Deus septimo die ab omnibus operibus suis: quia et ipse in nobis hæc bona operatur, qui ut operemur jubet; et ipse recte requiescere dicitur, quia post hæc omnia opera requiem nobis ipse præstabit. Quomodo enim recte dicitur paterfamilias ædificare domum, cum hoc non opere suo faciat, sed eorum quibus servientibus imperat; sic recte dicitur et ab operibus requiescere, cum post perfectionem fabricæ, illis quibus imperabat permittit ut vacent, et jucundo otio perfruantur.

LIBER II.

PERSEQUITUR EXPOSITIONEM GENESEOS AB HOC VERSICULO, *Hic est liber creaturæ cœli et terræ*, etc., USQUE AD ILLUM QUO ADAM ET EVA DE PARADISO EJICIUNTUR. AD EXTREMUM ECCLESIÆ DOGMATA CUM MANICHÆORUM ERRORIBUS CONFERT.

I. POST enumerationem et expositionem dierum septem, interposita est quasi quædam conclusio, et appellatus est liber creaturæ cœli et terræ, quidquid superius dictum est, cum sit parva pars libri : sed ideo sic meruit vocari, quia universi sæculi a capite usque ad finem quasi brevis quædam imago in his diebus septem figurata est. Deinde incipit de homine diligentius narrari. Quæ omnis narratio non aperte, sed figurate explicatur, ut exerceat mentes quærentium veritatem, et spiritali negotio a negotiis carnalibus avocet. Sic enim se continet : « Hic est » liber creaturæ cœli et terræ, cum factus esset dies quo » fecit Deus cœlum et terram, et omnia viridia agri an- » tequam essent super terram, et omne pabulum agri, » antequam germinaret. Nondum enim pluerat Deus su- » per terram, nec erat homo qui operaretur in ea. Fons » autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem » terræ. Et tunc finxit Deus hominem de limo terræ, et » insufflavit in faciem ejus flatum vitæ, et factus est » homo in animam viventem. Et tunc plantavit Deus » paradisum in Eden ad Orientem, et posuit ibi homi- » nem quem finxerat. Et produxit adhuc Deus de terra

» omne lignum formosum ad aspectum, et bonum ad
» escam : et lignum vitæ plantavit in medio paradisi,
» et lignum scientiæ boni et mali. Flumen autem prodie-
» bat ex Eden, et irrigabat paradisum : quod inde divi-
» ditur in quatuor partes. Nomen uni Phison, hoc est
» quod circuit totam terram Evilath ; ibi est aurum, au-
» rum autem terræ illius optimum ; ibi est carbunculus
» et lapis prasinus. Et nomen secundi fluminis Geon ;
» hoc circuit totam terram Æthiopiæ. Et flumen tertium
» Tigris ; hoc est quod vadit contra Assyrios. Et flumen
» quartum dicitur Euphrates. Et sumpsit Dominus Deus
» hominem quem fecerat, et posuit eum in paradiso, ut
» operaretur ibi, et custodiret eum. Et præcepit Domi-
» nus Deus Adæ, dicens : Ex omni ligno quod est in pa-
» radiso edes ad escam, de ligno autem scientiæ boni et
» mali non edetis ab eo : qua die enim ederitis ab illo,
» morte moriemini. Et dixit Dominus Deus : Non est bo-
» num esse hominem solum, faciamus ei adjutorium si-
» mile sibi. Et quæcumque finxerat Deus ex omni genere
» pecorum, et ex omni genere bestiarum agri, et ex omni
» genere volatilium volantium sub cœlo, perduxit ea ad
» Adam ut videret quid ea vocaret : et quod vocavit ea
» omnia Adam animam vivam, hoc est nomen ejus. Et
» post hæc vocavit Adam nomina omnium pecorum, et om-
» nium avium cœli, et omnium bestiarum agri : et secun-
» dum quod vocavit ea Adam, hoc est nomen eorum usque
» in hodiernum diem. Ipsi autem Adæ nondum fuit ad-
» jutorium simile illi. Et immisit Deus soporem in Adam,
» et obdormivit : et sumpsit Deus unam de costis ejus,
» et implevit locum ejus carne, et formavit Deus costam
» quam accepit ab Adam in mulierem. Et adduxit illam
» ad Adam, ut videret quid eam vocaret. Et dixit Adam :
» Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea,

» hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumpta » est : et hæc erit mihi adjutorium. Propter hoc relin- » quet homo patrem et matrem, et adjungetur uxori » suæ, et erunt duo in carne una. Et erant ambo nudi, » Adam et mulier ejus, et non confundebantur [1]. »

« II. Serpens autem erat sapientior omnium bestiarum, » quæ erant super terram, quas fecerat Dominus Deus : » Et dixit serpens ad mulierem : Quare dixit Deus, ne » edatis ab omni ligno quod est in paradiso? Et dixit » mulier ad serpentem : Ex omni ligno quod est in para- » diso edemus : a fructu autem ligni, quod est in medio » paradisi, dixit Deus ne edamus ; sed neque tangamus, » ne moriamur. Et dixit serpens mulieri : Non morte mo- » riemini ; sciebat enim Deus, quia qua die manducave- » ritis ex illo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii » scientes bonum et malum. Et vidit mulier, quia bo- » num est lignum in escam, et quia bonum est oculis ad » videndum et cognoscendum : et sumpsit fructum de » ligno illo, et manducavit, et dedit viro suo : et accepit » Adam, et manducavit : et aperti sunt oculi eorum, et » tunc scierunt quia nudi erant, et sumpserunt sibi folia » fici, et fecerunt sibi succinctoria. Et cum audissent vo- » cem Domini deambulantis in paradiso ad vesperam, » absconderunt se Adam et mulier ejus ab ante faciem » Domini Dei, ad illam arborem quæ erat in medio para- » diso. Et vocavit Dominus Deus Adam et dixit illi : » Adam, ubi est? Et dixit ille : Vocem tuam audivi, Do- » mine, in paradiso, et timui, et abscondi me, quia nu- » dus sum. Et dixit Dominus Deus : Quis nuntiavit tibi » quia nudus es, nisi quia ab illa arbore de qua dixeram » tibi, ex illa sola non manducares, ex illa manducasti? » Et dixit Adam : Mulier quam dedisti mihi, dedit ut ede-

[1] Gen. II, 4, usque ad finem.

» rem, et manducavi. Et dixit Deus mulieri : Quid hoc
» fecisti? Et dixit mulier : Serpens seduxit me, et man-
» ducavi. Et dixit Dominus Deus serpenti : Quia hoc
» fecisti, maledictus tu ab omni pecore, et omni genere
» bestiarum. Pectore et ventre repes, et terram manduca-
» bis omnibus diebus vitæ tuæ : Et inimicitiam ponam
» inter te et mulierem, et inter semen tuum, et inter se-
» men illius. Ipsa tuum observabit caput, et tu ejus cal-
» caneum. Et mulieri dixit : Multiplicans multiplicabo
» dolores tuos, et suspiria tua, et in doloribus paries filios
» tuos : et ad virum tuum conversio tua, et ille tui do-
» minabitur. Et tunc dixit Deus ad Adam : Quia audisti
» vocem mulieris tuæ, et manducasti de ligno de quo
» præceperam tibi, ex illo solo ne ederes, maledicta terra
» erit tibi in omnibus operibus tuis, et in tristitia et ge-
» mitu tuo manducabis ex ea omnibus diebus vitæ tuæ.
» Spinas et tribulos germinabit tibi, et edes pabulum
» agri tui. In sudore vultus tui edes panem tuum, donec
» revertaris in terram, de qua sumptus es; quia terra es,
» et in terram ibis. Et tunc Adam imposuit nomen uxori
» suæ, Vita; quia mater est omnium vivorum. Et tunc
» fecit Dominus Deus Adæ et mulieri ejus tunicas pelli-
» ceas, et induit illos. Et dixit : Ecce Adam factus est
» tanquam unus ex nobis, ad scientiam cognoscendi bo-
» num et malum. Et tunc ne porrigeret manum suam
» Adam ad arborem vitæ et sumeret sibi inde, et ederet
» et viveret in æternum, dimisit eum Dominus Deus de
» paradiso suavitatis, ut operaretur terram de qua et
» sumptus fuerat. Et ejectus foras de paradiso, moratus
» est contra paradisum voluptatis. Et Cherubim et illam
» flammeam framcam quæ versatur, posuit Deus ad cus-
» todiendam viam arboris vitæ[1]. »

[1] Gen. III, 1 usque ad finem.

III. Hæc secreta verborum si non reprehendentes et accusantes, sed quærentes et reverentes Manichæi mallent discutere, non essent utique Manichæi; sed daretur petentibus, et quærentes invenirent, et pulsantibus aperiretur. Plures enim quæstiones in hoc sermone proponunt, qui diligentia pia quærunt, quam isti miseri atque impii: sed hoc interest, quod illi quærunt ut inveniant, isti nihil laborant, nisi non invenire quod quærunt. Hic ergo totus sermo primo secundum historiam discutiendus est, deinde secundum prophetiam. Secundum historiam facta narrantur, secundum prophetiam futura prænuntiantur. Sane quisquis voluerit omnia, quæ dicta sunt, secundum litteram accipere, id est, non aliter intelligere quam littera sonat, et potuerit evitare blasphemias, et omnia congruentia fidei catholicæ prædicare, non solum ei non est invidendum, sed præcipuus multumque laudabilis intellector habendus est. Si autem nullus exitus datur, ut pie et digne Deo quæ scripta sunt intelligantur, nisi figurate atque in ænigmatis proposita ista credamus, habentes auctoritatem apostolicam, a quibus tam multa de libris Veteri Testamenti solvuntur ænigmata, modum quem intendimus teneamus, adjuvante illo qui nos petere, quærere et pulsare adhortatur[1]; ut omnes istas figuras rerum secundum catholicam fidem, sive quæ ad historiam, sive quæ ad prophetiam pertinent explicemus, non præjudicantes meliori diligentiorique tractatui, sive per nos, sive per alios quibus Dominus revelare dignatur.

IV. « Factus est ergo dies quo die fecit Deus cœlum et » terram, et omne viride agri, antequam essent super » terram, et omne pabulum agri[2]. » Superius septem dies numerantur, nunc unus dicitur dies, quo die fecit Deus

[1] Matth. VII, 7. — [2] Gen. II, 5.

cœlum et terram, et omne viride agri, et omne pabulum, cujus diei nomine omne tempus significari bene intelligitur. Fecit enim Deus omne tempus simul cum omnibus creaturis temporalibus, quæ creaturæ visibiles cœli et terræ nomine significantur. Movere autem nos debet ad quærendum, quod cum diem, qui factus est, et cœlum, et terram nominasset, adjecit etiam viride agri, et omne pabulum. Non enim quando dictum est : « In principio » fecit Deus cœlum et terram, » tunc dictum est, factum esse omne viride agri et pabulum : manifeste enim legitur, quod tertio die factum est omne viride et pabulum agri. Quod autem dictum est : « In principio fecit » Deus cœlum et terram, » non pertinet ad aliquem dierum ex illis septem diebus. Adhuc enim vel materiam ipsam unde facta sunt omnia, cœli et terræ nomine nuncupabat. Vel certe prius totam creaturam, cœli et terræ nomine proposuerat dicendo : « In principio fecit Deus » cœlum et terram ; » et postea particulatim per ordinem dierum sicut oportebat, propter prophetiam, quam in primo libro commemoravimus, Dei opera executus exposuit. Quid sibi ergo vult quod nunc nominato cœlo et terra, addidit viride agri et pabulum, et tacuit cætera tam multa, quæ sunt in cœlo et in terra, vel etiam in mari, nisi quia viride agri invisibilem creaturam vult intelligi, sicut est anima ? Ager enim solet in Scripturis figurate mundus appellari. Nam et ipse Dominus : Ager est hic, inquit, mundus, cum illam parabolam exponeret, ubi bono semini sunt commixta zizania [1]. Viride ergo agri spiritalem atque invisibilem creaturam dicit, propter vigorem vitæ, et nomine pabuli utique propter vitam bene hoc ipsum interpretamur.

[1] Matth. xiii, 38. Vide I Retract. cap. x, n. 3.

V. Deinde quod addidit, « Antequam essent super ter- » ram, » intelligitur, antequam anima peccaret. Terrenis enim cupiditatibus sordidata, tanquam super terram nata, vel super terram esse, recte dicitur : ideoque addidit : « Nondum enim pluerat Deus supra terram [1]. » Quia et nunc viride agri Deus facit, sed pluendo super terram, id est, facit animas revirescere per verbum suum, sed de nubibus eas irrigat, id est, de scripturis Prophetarum et Apostolorum. Recte autem appellantur nubes, quia verba ista quæ sonant et percusso aëre transeunt, addita etiam obscuritate allegoriarum quasi aliqua caligine obducta, velut nubes fiunt. Quæ dum tractando exprimuntur, bene intelligentibus tanquam imber veritatis infunditur. Sed hoc nondum erat antequam anima peccaret, id est, antequam viride agri esset super terram. « Nondum enim » pluerat Deus supra terram, nec erat homo qui opera- » retur in ea. » Laboranti enim homini in terra imber de nubibus est necessarius, de quibus nubibus jam dictum est. Post peccatum autem homo laborare cœpit in terra, et necessarias habere illas nubes. Ante peccatum vero cum viride agri et pabulum fecisset Deus, quo nomine invisibilem creaturam significari diximus, irrigabat eam fonte interiore, loquens in intellectum ejus : ut non extrinsecus verba excipere tanquam ex supradictis nubibus pluviam, sed fonte suo, hoc est, de intimis suis manante veritate satiaretur.

VI. « Fons enim ascendebat, inquit, de terra, et irri- » gabat omnem faciem terræ [2]. » De terra scilicet de qua dicitur : « Spes mea es tu, portio mea in terra viven- » tium [3]. » Quando autem anima tali fonte irrigabatur, nondum per superbiam projecerat intima sua. « Initium » enim superbiæ hominis, apostatare a Deo [4]. » Et quoniam

[1] Gen. II, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Psal. CXLI, 6. — [4] Eccli. X, 41.

in exteriora per superbiam tumescens cœpit non irrigari fonte intimo[1], bene insultatur illi verbis propheticis et dicitur : « Quid superbit terra et cinis[2] ? » Quoniam in vita sua projecit intima sua. Quid est enim superbia aliud, nisi deserto secretario conscientiæ foris videri velle quod non est ? Et ideo laborans jam in terra necessariam habet pluviam de nubibus, id est, doctrinam de humanis verbis, ut etiam hoc modo possit ab illa ariditate revirescere, et iterum fieri viride agri. Sed utinam vel pluviam veritatis de ipsis nubibus libenter excipiat. Nam propter illam Dominus noster nubilum carnis nostræ dignatus assumere, imbrem sancti Evangelii largissimum infudit, promittens etiam quod si quis biberit de aqua ejus, rediet ad illum intimum fontem, ut forinsecus non quærat pluviam. Dicit enim : « Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æter- » nam[3]. » Iste credo fons ante peccatum ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ, quia interior erat, et nubium non desiderabat auxilium : « Nondum enim » pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operare- » tur in ea. » Cum enim dixisset : « Nondum enim pluerat » Deus super terram[4]; » subjecit et causam quare nondum pluerat : « Quia non erat homo qui operaretur in ea. » Tunc autem homo cœpit operari in terra, cum post peccatum de beata vita dimissus est, qua in paradiso fruebatur[5]. Sic enim scriptum est : « Et dimisit eum Dominus » Deus de paradiso suavitatis, ut operaretur terram de » qua et sumptus fuerat : » Unde suo loco requiremus. Quod nunc ad hoc commemoravi, ut intelligeremus laboranti homini in terra, id est, in peccatorum ariditate constituto, necessariam esse de humanis verbis divinam doctrinam, tanquam de nubibus pluviam. Talis autem

[1] Retract. cap. x, n. 3. — [2] Eccli. x, 9. — [3] Joan. iv, 14. — [4] Gen. ii, 5. — [5] Ibid. 21.

scientia destruetur. Videmus enim nunc in ænigmate tanquam in nubilo saginam quærentes [1] : tunc autem facie ad faciem, quando universa facies terræ nostræ interiore fonte aquæ salientis irrigabitur. Nam si fontem aliquem hujus visibilis aquæ voluerimus intelligere, de quo dictum est : « Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat om- » nem faciem terræ [2], » non est verisimile, quod cum tam multi fontes perennes, sive rivorum, sive fluviorum per universam terram inveniantur, solus ille siccaverit, qui irrigabat omnem faciem terræ.

VII. Sub his ergo paucis verbis universa creatura nobis insinuata est ante peccatum animæ. Nomine enim cœli et terræ universa visibilis creatura significata est ; et nomine diei, universum tempus ; et nomine viridium et pabuli agri, creatura invisibilis ; et nomine fontis ascendentis et irrigantis omnem faciem terræ, inundatio veritatis animam satians ante peccatum. Dies autem iste, cujus nomine universum tempus significari diximus, insinuat nobis non solum visibilem, sed etiam invisibilem creaturam tempus posse sentire : quod de anima nobis manifestatur, quæ tanta varietate affectionum suarum, et ipso lapsu quo misera facta est, et reparatione qua rursus in beatitatem redit, tempore mutari posse convincitur. Et ideo non dictum est : « Cum factus esset dies, quo die fecit » Deus cœlum et terram, » tantum, quibus nominibus visibilis creatura intimatur ; sed additum est etiam : « Vi- » ride, et pabulum agri : » Quo nomine invisibilem creaturam, propter vigorem et vitam, significari diximus, sicuti est anima. Et ita dictum est : « Cum factus esset dies, » quo die fecit Deus cœlum et terram, et omne viride, » et pabulum agri [3], » ut sic intelligeremus non solum visibilem, sed etiam invisibilem creaturam pertinere ad tem-

[1] I Cor. XIII, 12 — [2] Gen. II, 6. — [3] I Retract. cap. X, n. 3.

pus, propter mutabilitatem; quia solus Deus incommutabilis est, qui est ante tempora.

VIII. Nunc videamus post universæ creaturæ insinuationem tam visibilis quam invisibilis, et universale beneficium divini fontis erga invisibilem creaturam, quid de homine specialiter intimetur, quod ad nos maxime pertinet. Primo enim quod de limo terræ Deus hominem finxit, solet habere quæstionem qualis ille limus fuerit, vel quæ materia nomine limi significata sit. Illi autem inimici veterum librorum, omnia carnaliter intuentes, et propterea semper errantes, etiam hoc reprehendere mordaciter solent, quod de limo Deus hominem finxit. Dicunt enim: Quare de limo fecit Deus hominem? An defuerat ei melior et cœlestis materia, unde hominem faceret, ut de labe terrena tam fragilem mortalemque formaret. Non intelligentes primo quam multis significationibus vel terra vel aqua in Scripturis ponatur: limus enim aquæ et terræ commixtio est. Dicimus enim tabidum et fragile et morti destinatum corpus humanum post peccatum esse cœpisse. Non enim in nostro corpore isti exhorrescunt nisi mortalitatem, quam damnatione meruimus. Quid autem mirum, aut difficile Deo, etiamsi de limo istius terræ hominem fecit, tale tamen corpus ejus efficere, quod corruptioni non subjaceret, si homo præceptum Dei custodiens peccare noluisset? Si enim speciem cœli ipsius de nihilo, vel de informi materia dicimus factam, quia omnipotentem artificem credimus; quid mirum si corpus, quod de limo qualicumque factum est, potuit ab omnipotenti artifice tale fieri, ut nulla molestia, nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum, et nulla corruptione tabesceret?

IX. Itaque superflue quæritur, unde hominis corpus Deus fecerit; si tamen nunc de corporis formatione dici-

tur. Sic enim nonnullos nostros intelligere accepi, qui dicunt, posteaquam dictum est[1] : « Finxit Deus hominem » de limo terræ : » propterea non additum, ad imaginem et similitudinem suam, quoniam nunc de corporis formatione dicitur. Tunc autem homo interior significabatur, quando dictum est : « Fecit Deus hominem ad imaginem » et similitudinem Dei. » Sed etiamsi nunc quoque hominem ex corpore et anima factum intelligamus, ut non alicujus novi operis inchoatio, sed superius breviter insinuati diligentior retractatio isto sermone explicetur; si ergo, ut dixi, hominem hoc loco ex corpore et anima factum intelligamus, non absurde ipsa commixtione limi nomen accepit. Sicut enim aqua terram colligit, et conglutinat, et continet, quando ejus commixtione limus ejus efficitur : sic anima corporis materiam vivificando in unitatem concordem conformat, et non permittit labi et resolvi.

X. Quod autem scriptum est : « Et insufflavit in eum » spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem[2] : » si adhuc corpus solum erat, animam adjunctam corpori hoc loco intelligere debemus; sive quæ jam facta erat, sed tanquam in ore Dei erat, id est, in ejus veritate vel sapientia, unde tamen non recessit quasi locis separata, quando insufflata est; non enim Deus loco continetur, sed ubique præsens est : sive tunc anima facta est, quando in illud figmentum Deus insufflavit spiritum vitæ, ut illa insufflatio ipsam operationem Dei significet, qua fecit animam in homine Spiritu potentiæ suæ. Si autem homo ille qui factus erat, jam corpus et anima erat, ipsi animæ sensus est additus ista insufflatione, cum factus est homo in animam viventem : non quia illa insufflatio conversa est in animam viventem, sed operata est in animam viven-

[1] Vide Tertullian. lib. de Resurrectione carnis, cap. 5. et Hilarium in Psal. CXVIII. — [2] Gen. II, 7.

tem. Nondum tamen spiritalem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viventem, sed adhuc animalem. Tunc enim spiritalis effectus est, cum in paradiso, hoc est, in beata vita constitutus, præceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei consummaretur. Itaque postquam peccavit, recedens a præcepto Dei, etdimissus est de paradiso, in hoc remansit ut animalis esset. Et ideo animalem hominem prius agimus omnes, qui de illo post peccatum nati sumus, donec assequamur spiritalem Adam, id est, Dominum nostrum Jesum Christum, qui peccatum non fecit; et ab illo recreati et vivificati[1], restituamur in paradisum, ubi latro ille cum ipso eo die meruit esse, quo vitam istam finivit. Sic enim Apostolus dicit: « Sed non » prius quod spiritale est, sed quod animale, sicut scrip» tum est: Factus est primus Adam in animam viventem, » novissimus Adam in Spiritum vivificantem[2]. »

XI. Sic ergo debemus intelligere hunc locum, ut non quia dictum est: « Insufflavit in eum spiritum vitæ, et fac» tus est homo in animam viventem, » credamus illam veluti partem naturæ Dei in animam hominis fuisse conversam, et cogamur dicere naturam Dei esse mutabilem: in quo errore maxime istos Manichæos veritas premit. Sicut enim est mater omnium hæreticorum superbia, ausi sunt dicere quod natura Dei sit anima. Et hinc urgentur a nobis, cum eis dicimus: « Ergo natura Dei errat et misera est, et vitiorum labe corrumpitur et peccat; aut etiam, ut vos dicitis, naturæ contrariæ sordibus inquinatur: et cætera talia quæ de natura Dei nefas est credere. Nam factam esse animam ab omnipotente Deo, et ideo non illam esse partem Dei vel naturam Dei, manifeste alio loco scriptum est, dicente Propheta. « Et qui finxit spiri» tum omnibus, ipse fecit omnia[3]. » Et alio loco: Qui

[1] 1 Retract. cap IX, n. 3. — [2] 1 Cor. XV, 46. — [3] Psal. XXXII, 15.

finxit spiritum hominis in ipso. Ergo factum esse spiritum hominis, manifeste his testimoniis approbatur. Spiritus autem hominis in Scripturis dicitur ipsius animæ potentia rationalis, qua distat a pecoribus, et eis naturæ lege dominatur[1]. De quo dicit Apostolus : « Nemo scit quæ sunt » hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est[2].» Ne forte si probaretur his testimoniis animam factam esse, non deessent qui dicerent, spiritum hominis non esse factum, et ipsum arbitrarentur esse naturam Dei, et in ipsum dicerent partem Dei esse conversam, cum illa insufflatio Dei facta est. Quod sana doctrina similiter respuit; quia et ipse spiritus hominis cum aliquando errat, et aliquando prudenter sapit, mutabilem se esse clamat : quod nullo modo de natura Dei fas est credere. Non autem potest majus signum esse superbiæ, quam ut dicat se humana anima hoc esse quod Deus est, cum adhuc sub tantis vitiorum et miseriarum molibus gemat.

XII. Nunc jam videamus ipsam beatitudinem hominis, quæ paradisi nomine significatur : nam quoniam in nemoribus deliciosa quies hominum esse solet, et corporeis sensibus nostris de Oriente lumen oritur, cœlumque consurgit, quod superius corpus est nostro corpore atque excellentius; propterea his verbis etiam spiritales deliciæ, quas habet beata vita, figurate explicantur, et ad Orientem paradisus plantatur. Intelligamus autem nostra gaudia spiritalia significare omne lignum formosum ad aspectum intelligentiæ, et bonum ad escam quæ non corrumpitur, qua beatæ animæ pascuntur. Nam et Dominus dicit : « Ope» ramini escam quæ non corrumpitur[3]; » ut est omnis ratio, quæ cibus est animæ. Ad Orientem lucem sapientiæ in Eden, id est, in deliciis immortalibus et intelligibilibus. Nam diliciæ, vel voluptas, vel epulum hoc verbo

[1] Zach. XII, 1. — [2] I Cor. II, XI. — [3] Joan. VI, 27.

significari, dicitur, si ex hebræo in latinum interpretetur. Positum est autem sic sine interpretatione, ut aliquem locum significare videatur, magisque figuratam faciat locutionem. Productum autem ex terra omne illud lignum accipimus omne illud gaudium spiritale, id est, supereminere terræ, et non involvi atque obrui terrenarum cupiditatum implicamentis. Lignum autem vitæ plantatum in medio paradisi, sapientiam illam significat, qua oportet ut intelligat anima, in meditullio quodam rerum se esse ordinatam, ut quamvis subjectam sibi habeat omnem naturam corpoream, supra se tamen esse intelligat naturam Dei, et neque in dexteram declinet, sibi arrogando quod non est; neque ad sinistram, per negligentiam contemnendo quod est : et hoc est lignum vitæ plantatum in medio paradisi. Ligno autem scientiæ boni et mali, ipsa item medietas animæ et ordinata integritas significatur : nam et ipsum lignum in medio paradisi plantatum est : et ideo lignum dignoscentiæ boni et mali dicitur, quia si anima quæ debet in ea quæ anteriora sunt se extendere, id est, in Deum, et ea quæ posteriora sunt oblivisci, id est, corporeas voluptates, ad se ipsam deserto Deo conversa fuerit, et sua potentia tanquam sine Deo frui voluerit, intumescit superbia, quod est initium omnis peccati. Et cum hoc ejus peccatum pœna fuerit consecuta, experiendo discit quid intersit inter bonum quod deseruit, et malum in quod cecidit. Et hoc ei erit gustasse de fructu arboris dignoscentiæ boni et mali. Præcipitur ergo illi ut de omni ligno quod est in paradiso edat, ex ligno autem in quo est dignoscentia boni et mali non edat, id est, non sic eo fruatur, ut ipsam ordinatam integritatem naturæ suæ, quasi manducando violet atque corrumpat.

XIII. Flumen autem quod procedebat ex Eden, id est, ex deliciis et voluptate et epulis, quod flumen a Propheta

significatur in Psalmis, cum dicit : « Torrente voluptatis » tuæ potabis eos[1], » hoc est enim Eden, quod latine voluptas dicitur : dividitur in quatuor partes, et quatuor virtutes significat, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam. Dicitur autem Phison ipse esse Ganges, Geon autem Nilus, quod etiam in Jeremia propheta animadverti potest : nunc aliis nominibus appellantur. Sicut nunc Tyberis dicitur fluvius, qui prius Albula dicebatur. Tygris vero et Euphrates etiam nunc eadem nomina tenent : quibus tamen nominibus virtutes, ut dixi, spiritales significantur : quod etiam ipsorum nominum interpretatio docet, si quis hebræam linguam vel syram consideret. Sicut Jerusalem quamvis sit visibilis et terrenus locus, significat tamen civitatem pacis spiritaliter : et Sion quamvis sit mons in terra, speculationem tamen significat ; et hoc nomen in Scripturarum allegoriis ad spiritalia intelligenda sæpe transfertur : et ille qui descendebat ab Jerusalem in Jericho[2], sicut Dominus dicit, et in via vulneratus, saucius et semivivus relictus est a latronibus, utique locos istos terrarum, quamvis secundum historiam in terra inveniantur, spiritaliter cogit intelligi.

XIV. Prudentia ergo, quæ significat ipsam contemplationem veritatis, ab omni ore humano alienam, quia est ineffabilis, quam si eloqui velis, parturis eam potius quam paris, quia ibi audivit et Apostolus ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui[3]. Hæc ergo prudentia terram circumit, quæ habet aurum, et carbunculum, et lapidem prasinum, id est, disciplinam vivendi, quæ ab omnibus terrenis sordibus quasi decocta nitescit, sicut aurum optimum, et veritatem, quam nulla falsitas vincit, sicut carbunculi fulgor nocte non vincitur ; et vitam æternam, quæ viriditate lapidis prasini significatur, propter vigo-

[1] Psal. xxv, 9. — [2] Luc. x, 30. — [3] 2 Cor. xii, 4.

rem qui non arescit. Fluvius autem ille qui circuit terram Æthiopiam multum calidam atque ferventem, significat fortitudinem calore actionis alacrem atque impigram. Tertius autem Tygris vadit contra Assyrios, et significat temperantiam, quæ resistit libidini, multum adversanti consiliis prudentiæ : unde plerumque in Scripturis Assyrii adversariorum loco ponuntur. Quartus fluvius non dictum est contra quid vadat, aut quam terram circumeat : justitia enim ad omnes partes animæ pertinet, quia ipsa ordo et æquitas animæ est, qua sibi ista tria concorditer copulantur, prima prudentia, secunda fortitudo, tertia temperantia ; et in ista tota copulatione atque ordinatione justitia.

XV. Quod autem ita constitutus est homo in paradiso, ut operaretur et custodiret : operatio illa laudabilior laboriosa non erat. Alia est namque in paradiso operatio, et alia in terra, quo post peccatum damnatus est. Ex eo autem quod additum est : « Et custodiret[1] : » significatum est qualis illa operatio erat. Namque in tranquillitate beatæ vitæ, ubi mors non est, omnis opera est custodire quod tenes. Accipit etiam præceptum, de quo superius jam tractavimus. Quod præceptum, quoniam sic concluditur, ut non ad unum loquatur, sic enim dicit : « Qua die au- » tem manducaveritis, morte moriemini[2] : » Incipit exponi quomodo sit facta fœmina : et facta dicitur in adjutorium viri, ut copulatione spiritali spiritales fœtus ederet, id est, bona opera divinæ laudis ; dum ille regit, hæc obtemperat ; ille a Sapientia regitur, hæc a viro. Caput enim viri Christus, et caput mulieris vir. Ideoque dicitur : « Non est bonum solum hominem esse. » Adhuc enim erat, quod fieret, ut non solum anima corpori dominaretur, quia corpus servilem locum obtinet, sed etiam vi-

[1] Gen. II, 15. — [2] Ibid. 17.

rilis ratio subjugaret sibi animalem partem suam, per quod adjutorium imperaret corpori. Ad hujus rei exemplum fœmina facta est, quam rerum ordo subjugat viro : ut quod in duobus hominibus evidentius apparet, id est, in masculo et fœmina, etiam in uno homine considerari possit : ut appetitum animæ, per quem de membris corporis operamur, habeat mens interior tanquam virilis ratio subjugatum, et justa lege modum imponat adjutorio suo, sicut vir debet fœminam regere, nec eam permittere dominari in virum : quod ubi contingit, perversa et misera domus est.

XVI. Primo ergo demonstravit Deus homini, quanto melior esset pecoribus, et omnibus irrationabilibus animantibus : et hoc significat quod dictum est, adducta esse ad illum omnia animantia, ut videret quid ea vocaret, et eis nomina imponeret. Ex hoc enim apparet ipsa ratione hominem meliorem esse quam pecora, quod distinguere, et nominatim ea discernere, non nisi ratio potest, quæ de ipsis judicat. Sed hæc facilis ratio est ; cito enim homo intelligit se meliorem esse pecoribus : illa est difficilis ratio, qua intelligit in se ipso aliud esse rationale quod regit, aliud animale quod regitur. Et quoniam hæc secretiore sapientia videt, ipsam visionem secretam nomine soporis significari arbitror, quem immisit Deus in Adam, quando ei mulier facta est[1]. Ut enim hoc videatur, non est opus oculis istis corporeis, sed quanto quisque ab istis visibilibus rebus in interiora intelligentiæ secesserit (hoc est autem quasi obdormiscere) tanto melius et sincerius illud videt. Ipsa enim cognitio, qua intelligitur in nobis aliud esse quod ratione dominetur, aliud quod rationi obtemperet, ipsa ergo cognitio veluti effectio mulieris est de costa viri, propter conjunctionem significandam. Deinde ut quisque

[1] Gen. II, 21.

huic suæ parti recte dominetur, et fiat quasi conjugalis in se ipso, ut caro non concupiscat adversus spiritum, sed spiritui subjugetur, id est, concupiscentia carnalis non adversetur rationi, sed potius obtemperando desinat esse carnalis, opus habet perfecta sapientia. Cujus contemplatio quia interior est et secretior, et ab omni sensu corporis remotissima, convenienter etiam ista soporis nomine intelligi potest. Tunc enim ordinatissime caput mulieris vir est, cum caput viri est Christus, quæ Sapientia est Dei.

XVII. Sane in locum illius costæ carnem adimplevit, ut hoc nomine insinuaretur dilectionis affectus, quo diligit unusquisque animam suam, et non est durus ut eam contemnat : quod diligit quisque cui præest. Non enim sic nominata est caro isto loco, ut carnalem concupiscentiam significet, sed isto modo potius, quo Propheta dicit, auferri populo cor lapideum, et dari cor carneum[1]. Hoc modo enim dicit etiam Apostolus : « Non in tabulis lapi- » deis, sed in tabulis cordis carnalibus[2]. » Aliud est quippe propria locutio, aliud figurata, qualis ista est quam tractamus modo. Quapropter et si visibilis fœmina secundum historiam de corpore viri primo facta est a Domino Deo, non utique sine causa ita facta est, nisi ut aliquod secretum intimaret. Num enim aut limus defuit, unde fœmina formaretur; aut si vellet Dominus homini vigilanti costam sine dolore detrahere non posset? Sive ergo ista figurate dicta sint, sive etiam figurate facta sint, non frustra hoc modo dicta vel facta sunt, sed sunt plane mysteria et sacramenta, sive hoc modo quo tenuitas nostra conatur, sive aliquo alio meliore, secundum sanam tamen fidem, sunt interpretanda et intelligenda.

XVIII. Vocavit ergo mulierem suam vir, tanquam potior inferiorem, et dixit : « Hoc nunc os de ossibus meis,

[1] Ezech. xi, 19. — [2] 2 Cor. iii, 3.

» et caro de carne mea[1]. » Os de ossibus, fortasse propter fortitudinem et caro de carne, propter temperantiam. Hæ namque duæ virtutes ad inferiorem animi partem, quam prudentia rationalis regit, docentur pertinere. Quod autem dictum est : « Hæc vocabitur mulier, quoniam de » viro suo sumpta est, » ista origo nominis et interpretatio in lingua latina non apparet. Quid enim simile habeat mulieris nomen ad viri nomen, non invenitur. Sed in hebræa locutione dicitur sic sonare, quasi dictum sit : Hæc vocabitur virago, quoniam de viro suo sumpta est. Nam virago vel virgo potius habet aliquam similitudinem cum viri nomine ; mulier autem non habet : sed hoc (ut dixi) linguæ diversitas facit.

XIX. Quod autem additum est : « Relinquet homo pa- » trem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo » in carne una[2], » quomodo referatur ad historiam non invenio, nisi quod plerumque in genere humano ista contingunt : sed tota prophetia est, cujus Apostolus meminit, dicens : « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, » et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Sa- » cramentum hoc magnum est : Ego autem dico in Christo, » et in Ecclesia[3]. » Quod Manichæi si non cæci legerent, qui per Epistolas apostolicas multos decipiunt, intelligerent quomodo accipiendæ sint Veteris Testamenti scripturæ, nec tam sacrilega voce auderent accusare quod nesciunt. Quod autem nudi erant Adam et mulier ejus, et non confundebantur, simplicitatem animæ castitatemque significat. Nam et Apostolus ita dicit : « Aptavi vos uni viro vir- » ginem castam exhibere Christo : timeo autem ne sicut » serpens Evam fefellit versutia sua, ita corrumpantur » mentes vestræ a simplicitate et castitate, quæ est in » Christo[4]. »

[1] Gen. II, 23, etc. — [2] Ibid. 24. — [3] Ephes. V, 31. — [4] 2 Cor. XI, 2.

XX. Serpens autem significat diabolum, qui sane non erat simplex. Quod enim dicitur sapientior omnibus bestiis, figurate insinuatur ejus versutia. Non autem dictum est, quod in paradiso erat serpens, sed erat serpens inter bestias quas fecit Deus [1]. Paradisus namque beatam vitam, ut superius dixi, significat, in qua jam non erat serpens, quia jam diabolus erat : et de sua beatitudine ceciderat, quia in veritate non stetit. Nec mirandum est quomodo mulieri loqui potuerit, cum illa esset in paradiso, et ille non esset : non enim aut illa secundum locum erat in paradiso, sed potius secundum beatitudinis affectum ; aut etiamsi locus est talis, qui paradisus vocetur, in quo corporaliter Adam et mulier habitabant, etiam diaboli accessum corporaliter intelligere debemus : « Non utique, sed spiritali-» ter, sicut Apostolus dicit, secundum principem potestatis » aëris, spiritus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ [2]. » Numquid ergo visibiliter eis apparet, aut quasi corporeis locis accedit ad eos in quibus operatur? non utique, sed miris modis per cogitationes suggerit quidquid potest. Quibus suggestionibus resistunt, qui vere dicunt, quod item dicit Apostolus : « Non enim ignoramus astutias ejus [3]. » Quomodo enim accessit ad Judam, quando ei persuasit ut Dominum traderet? numquid in locis, aut per hos oculos ei visus est? sed utique, ut dictum est, intravit in cor ejus [4]. Repellit autem illum homo, si paradisum custodiat. Posuit enim Deus hominem in paradiso, ut operaretur et custodiret : quia sic de Ecclesia dicitur in Canticis canticorum : « Hortus conclusus, fons signatus [5] : » quo utique non admittitur perversitatis ille persuasor. Sed tamen per mulierem decipit : non enim etiam ratio nostra deduci ad consensionem peccati potest, nisi cum delectatio mota fuerit

[1] Gen. III, 1. — [2] Ephes. II, 2. — [3] 2 Cor. II, 11. — [4] Luc. XXII, 3. — [5] Cant. IV, 12.

in illa parte animi, quæ debet obtemperare rationi tanquam rectori viro.

XXI. Etiam nunc in unoquoque nostrum nihil aliud agitur, cum ad peccatum quisque delabitur, quam tunc actum est in illis tribus, serpente, muliere et viro. Nam primo fit suggestio sive per cogitationem, sive per sensus corporis, vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel gustando, vel olfaciendo : quæ suggestio cum facta fuerit, si cupiditas nostra non movebitur ad peccandum, excludetur serpentis astutia; si autem mota fuerit, quasi mulieri jam persuasum erit. Sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat atque compescit. Quod cum fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat, et quod libido commoverit, faciendum esse decernat, ab omni vita beata tanquam de paradiso expellitur homo. Jam enim peccatum imputatur, etiamsi non subsequatur factum; quoniam rea tenetur in consensione conscientia.

XXII. Quo autem modo serpens ille peccatum persuaserit, diligenter considerandum est, pertinet enim maxime ad nostram salutem : nam ideo hæc scripta sunt ut jam talia caveamus. Nam cum interrogata mulier respondisset quid eis præceptum esset; ait ille : « Non morte moriemini : » sciebat enim Deus, quoniam qua die manducaveritis ex » illo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii scientes » bonum et malum [1]. » Videmus his verbis per superbiam peccatum esse persuasum : ad hoc enim valet quod dictum est : « Eritis sicut dii. » Sicut etiam hoc quod dictum est : « Sciebat enim Deus, quoniam qua die manducaveritis ex » eo, aperientur oculi vestri [2], » quid hic intelligitur nisi persuasum esse, ut sub Deo esse nollent, sed in sua potestate potius sine Domino, ut legem ejus non observarent,

[1] Gen. III, 4. — [2] Ibid. 5.

quasi invidentis sibi ne se ipsi regerent, non indigentes illius interno lumine, sed utentes propria providentia, quasi oculis suis ad dignoscendum bonum et malum, quod ille prohibuisset? Hoc est ergo quod persuasum est, ut suam potestatem nimis amarent, et cum Deo esse pares vellent, illa medietate, per quam Deo subjecti erant, et corpora subjecta habebant, tanquam fructu arboris constitutæ in medio paradisi, male uterentur, id est, contra legem Dei : atque ita quod acceperant amitterent, dum id quod non acceperant, usurpare voluerunt. Non enim accepit hominis natura, ut per suam potestatem Deo non regente beata sit : quia nulla regente, per suam potestatem beatus esse solus Deus potest.

XXIII. « Et vidit, inquit, mulier, quia bonum est » lignum ad escam : et quia bonum est oculis ad viden- » dum et cognoscendum. » Quomodo videbat, si clausi erant oculi? Sed hoc dictum est, ut intelligeremus eos oculos esse apertos, posteaquam de fructu illo acceperunt, quibus se nudos videbant, et displicebant sibi, id est, oculos astutiæ, quibus simplicitas displicet. Cum enim quisque ceciderit ab illa intima et secretissima luce veritatis, nihil est unde velit placere superbia, nisi fraudulentis simulationibus. Hinc enim et hypocrisis nascitur, in qua multum sibi videntur cordati, qui potuerint fallere et decipere quem voluerint. Dedit enim mulier viro suo, et manducaverunt, et aperti sunt oculi eorum, de quibus jam dictum est; et tunc viderunt quod nudi essent, sed oculis perversis, quibus illa simplicitas quæ nuditatis nomine significata est, erubescenda videbatur. Itaque ut jam non essent simplices, fecerunt de foliis fici sibi succinctoria, tanquam tegentes pudenda sua, id est, occultantes simplicitatem, de qua jam erubescebat astuta superbia. Folia vero fici pruritum quemdam significant, si hoc bene

in rebus incorporeis dicitur, quem miris modis animus patitur cupiditate et delectatione mentiendi. Unde etiam latine salsi dicuntur, qui jocari amant. In jocis autem utique simulatio principatum tenet.

XXIV. Itaque cum deambularet Deus in paradiso ad vesperam, id est, cum ad eos jam judicandos veniret, adhuc ante pœnam eorum, deambulabat in paradiso[1], id est, quasi movebatur in eis præsentia Dei, quando jam ipsi stabiles in ejus præcepto non erant; et bene ad vesperam, id est, cum jam ab eis sol occideret, id est, auferretur ab eis lux illa interior veritatis: audierunt vocem ejus, et absconderunt se a conspectu ejus. Quis se abscondit a conspectu Dei, nisi qui deserto ipso incipit jam amare quod suum est? Jam enim habebant cooperimenta mendacii: qui autem loquitur mendacium, de suo loquitur. Et ideo ad arborem se dicuntur abscondere, quæ erat in medio paradisi, id est, ad se ipsos, qui in medio rerum infra Deum et supra corpora ordinati erant. Ergo ad se ipsos absconderunt se, ut conturbarentur miseris erroribus, relicto lumine veritatis, quod ipsi non erant. Particeps enim veritatis potest esse anima humana: ipsa autem veritas Deus est incommutabilis supra illam. Ab ea ergo veritate quisquis aversus est, et ad se ipsum conversus, et non de rectore atque illustratore Deo, sed de suis motibus quasi liberis exultat, tenebratur mendacio; quoniam qui loquitur mendacium, de suo loquitur: atque ita turbatur, et vocem illam Prophetæ manifestat, qua dictum est: « Ad » me ipsum anima mea turbata est[2]. » Itaque jam interrogatur Adam, non Deo nesciente ubi esset, sed cogente ad confessionem peccati: non enim et Dominus Jesus Christus tam multa, quæ interrogabat, nesciebat. Respondit autem voce ejus audita, abscondisse se, quoniam nudus

[1] Gen. III, 8. — [2] Psal. XLI, 7.

esset. Jam miserrimo errore respondit, quasi Deo posset displicere nudus, sicut eum ipse fecerat. Est autem hoc erroris proprium, ut quod cuique displicet, hoc etiam Deo displicere arbitretur. Illud autem sublimiter intelligendum est, quod Dominus ait : « Quis nuntiavit tibi quod nudus » esses, nisi quia ab illa arbore de qua dixeram tibi, ex » illa sola ne manducares, ex illa manducasti[1]? » Nudus enim erat a simulatione, sed vestiebatur luce divina. Unde aversus et ad se ipsum conversus, quod significat de illa arbore manducasse, nuditatem suam vidit, et displicuit sibi ex eo quod non habebat aliquid proprium.

XXV. Deinde jam more superbiæ in se non accusat quod consensit mulieri, sed in mulierem refundit culpam suam : et sic subtiliter quasi de astutia quam miser conceperat, voluit ad ipsum Deum pertinere quod peccavit. Non enim ait : Mulier dedit mihi : sed addidit dicens : « Mulier quam dedisti mihi[2]. » Nihil est autem tam familiare peccantibus, quam tribuere Deo velle undecumque accusantur : et hoc de illa vena superbiæ, ut quoniam sic homo peccavit cum vult esse par Deo, id est, liber esse ab ejus dominio, sicut ille ab omni dominio liber est, quoniam ipse est Dominus omnium ; quoniam in majestate par illi esse non potuit, jam lapsus et jacens in peccato suo, parem sibi eum facere conetur. Vel potius illum vult ostendere peccasse, se autem esse innocentem. Et mulier interrogata refert culpam in serpentem : quasi aut ille sic acceperat uxorem ut ei obtemperaret, et non potius ut ipsam sibi obtemperare faceret : aut illa non poterat Dei præceptum potius custodire, quam verba serpentis admittere.

XXVI. Jam serpens non interrogatur, sed prior excepit pœnam, quia nec confiteri peccatum potest, nec habet omnino unde se excuset. Non autem nunc ea damnatio

[1] Gen. III, 11. — [2] Ibid. 12.

diaboli dicitur, quæ ultimo judicio reservatur, de qua loquitur Dominus cum dicit : « Ite in ignem æternum, qui » præparatus est diabolo et angelis ejus [1] : » sed ea pœna ejus dicitur, qua nobis cavendus est. Pœna enim ejus est, ut in potestate habeat eos, qui Dei præcepta contemnunt. Hoc enim explicatur his verbis, quibus in eum profertur sententia : et inde major pœna est, quia de hac tam infelici potestate lætatur, qui solebat antequam caderet, de sublimi veritate gaudere in qua non stetit. Et ideo illi etiam pecora præponuntur, non in potestate, sed in conservatione naturæ suæ : quia pecora non amiserunt beatitudinem aliquam cœlestem, quam nunquam habuerunt, sed in sua natura quam acceperunt peragunt vitam. Dicitur ergo huic : « Pectore et ventre repes. » Quod quidem et in colubro animadvertitur, et ex illo animante visibili ad hunc invisibilem inimicum nostrum locutio figuratur. Nomine enim pectoris, significatur superbia, quia ibi dominatur impetus animi : nomine autem ventris, significatur carnale desiderium, quia hæc pars mollior sentitur in corpore. et quia his rebus ille serpit ad eos quos vult decipere : propterea dictum est : « Pectore et ventre repes. »

XXVII. « Et terram, inquit, manducabis omnibus » diebus vitæ tuæ, » id est, omnibus diebus quibus agis hanc potestatem, ante illam ultimam pœnam judicii : hæc enim vita ejus videtur, de qua gaudet atque gloriatur. « Terram ergo manducabis, » duobus modis intelligi potest : vel ad te pertinebunt, quos terrena cupiditate deceperis, id est, peccatores, qui terræ nomine significantur : vel certe genus tertium tentationis his verbis figuratur, quod est curiositas. Terram enim qui manducat, profunda et tenebrosa penetrat, et tamen temporalia atque terrena.

XXVIII. Non autem inimicitiæ ponuntur inter ipsum

[1] Matth. xxv, 41.

et virum, sed inter ipsum et mulierem. Numquid quia viros non decipit et tentat? Sed manifestum est quod decipit. An quia ipsum Adam non decepit, sed mulierem ejus? Sed numquid propterea non est inimicus ejus, ad quem pervenit per mulierem suam illa deceptio, maxime quia de futuro jam dicitur : « Inimicitias ponam inter te et mulierem? » Si autem quod non deinceps decepit Adam, nec ipsam Evam deinceps decepit. Quare ergo ita dicitur, nisi quia hic manifeste ostenditur, non posse nos a diabolo tentari, nisi per illam animalem partem, quæ quasi mulieris imaginem vel exemplum in uno ipso homine ostendit, de qua superius jam multa diximus? Quod autem etiam inter semen diaboli, et semen mulieris ponuntur inimicitiæ, significatur semine diaboli perversa suggestio, semine autem mulieris, fructus boni operis, quo perversæ suggestioni resistit. Et ideo observat ipse plantam mulieris, ut si quando in illicita labitur delectatio, tunc illam capiat : et illa observat caput ejus, ut eum in ipso initio malæ suasionis excludat.

XXIX. Jam de pœna mulieris nulla quæstio est : manifeste enim multiplicatos dolores habet, atque suspiria in hujus vitæ calamitatibus[1]; et quo in doloribus pariat filios, quamvis et in ista visibili mulicre compleatur, tamen ad illam secretiorem consideratio revocanda est. Nam et in pecoribus fœminæ cum dolore pariunt filios, et hæc est in illis mortalitatis conditio potius quam pœna peccati. Potest ergo fieri, ut etiam in fœminis hominibus mortalium corporum sit ista conditio. Sed hoc est magnum supplicium, quod ad istam corporum mortalitatem ex illa immortalitate venerunt. Verumtamen magnum sacramentum est hujus sententiæ, quod nulla abstinentia fit a voluntate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem,

[1] Gen. III, 16.

donec in meliorem partem consuetudo flectatur. Quod cum provenerit, quasi natus est filius, id est, ad bonum opus paratus est affectus per consuetudinem bonam. Quæ consuetudo ut nasceretur, cum dolore reluctatum est consuetudini malæ. Nam et illud quod post partum dictum est : « Erit tibi conversio ad virum tuum, et ipse tui do- » minabitur : » nonne multæ ac prope omnes mulieres absentibus viris suis pariunt, et post partum se ad illos non convertunt ? Quæ autem superbæ sunt mulieres, et dominantur viris, numquid post partum carent hoc vitio, ut viri earum dominentur ? Imo quasi dignitatem sibi additam credunt, quod matres fiunt, et plerumque superbiores existunt. Quid sibi ergo vult, quod posteaquam dictum est : « In doloribus paries filios, » additum est, « et » erit tibi conversio ad virum tuum, et ipse tui domina- » bitur, » nisi quia illa pars animæ, quæ carnalibus gaudiis tenetur, cum aliquam malam consuetudinem volens vincere, passa fuerit difficultatem ac dolorem, atque ita pepererit consuetudinem bonam, cautius jam et diligentius rationi obtemperat tanquam viro, et ipsis quasi erudita doloribus convertitur ad rationem, et libenter servit jubenti, ne iterum in aliquam perniciosam consuetudinem defluat ? Ista ergo quæ videntur maledicta, præcepta sunt, si non carnaliter spiritalia legamus. « Lex enim spiritalis » est[1]. »

XXX. Item de sententia ista, quæ prolata est in ipsum virum, quid dicemus ? Numquid forte divites, quibus provenit facillimus victus, neque in terra operantur, evasisse istam pœnam existimandi sunt, qua dicitur : « Male- » dicta terra erit tibi in omnibus operibus tuis, in tristitia » et gemitu tuo manducabis ex ea omnibus diebus vitæ » tuæ : spinas et tribulos pariet tibi, et edes pabulum agri

[1] Rom. VII, 14.

» tui, in sudore vultus tui edes panem tuum, donec re-
» vertaris in terram, ex qua sumptus es : quia terra es et
» in terram ibis[1] ? » Sed certe illud manifestum est, quod nemo evadat istam sententiam. Hoc ipsum enim quod in hac vita quisque natus, difficultatem inveniendæ veritatis habet ex corruptibili corpore (sicut enim Salomon dicit: « Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit
» terrena inhabitatio sensum multa cogitantem[2], ») ipsi sunt labores et tristitiæ quas habet homo ex terra ; et spinæ ac tribuli sunt punctiones tortuosarum quæstionum, aut cogitationes de provisione hujus vitæ : quæ plerumque nisi extirpentur, et de agro Dei projiciantur, suffocant verbum, ne fructificet in homine, sicut Dominus in Evangelio dicit[3]. Et quoniam necessitate jam per hos oculos et per has aures de ipsa veritate admonemur, et difficile est resistere phantasmatibus, quæ per istos sensus intrant in animam, quamvis per illos intret etiam ipsa admonitio veritatis ; in ista ergo perplexitate, cujus vultus non sudet ut manducet panem suum ? quod omnibus diebus vitæ nostræ passuri sumus, id est, hujus vitæ quæ transitura est. Et hoc illi dictum est, qui coluerit agrum suum, quia ista patitur donec revertatur in terram, ex qua sumptus est, id est, donec finiat vitam istam. Qui enim coluerit agrum istum interius, et ad panem suum quamvis cum labore pervenerit, potest usque ad finem vitæ hujus hunc laborem pati : post hanc autem vitam non est necesse ut patiatur. Sed qui forte agrum non coluerit, et spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, et post hanc vitam habebit vel ignem purgationis vel pœnam æternam. Ita nemo evadit istam sententiam. Sed agendum est, ut saltem in hac tantum vita sentiatur.

[1] Gen. III, 17. — [2] Sap. IX, 15. — [3] Marc. IV, 10.

XXXI. Quem autem non moveat, quod post peccatum et sententiam judicis Dei vocat Adam mulierem suam, Vitam, quia vivorum ipsa sit mater, posteaquam meruit mortem, et mortales fœtus parere destinata est, nisi quia illos fœtus attendit Scriptura, quos cum in doloribus pepererit, fiet illi conversio ad virum suum, et ejus ipse dominabitur? De quibus fœtibus superius dictum est. Sic enim est illa vita materque vivorum. Nam vita quæ in peccatis est, mors appellari in Scripturis solet, sicut Apostolus dicit, mortuam esse viduam quæ in deliciis vivit [1]: et mortui nomine peccatum ipsum significari legimus, ubi dictum est: « Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit » illum, quid proficit in lavacro suo? Sic et qui jejunat » super peccata sua, et iterum ambulans hæc eadem fa- » cit [2]. » Pro peccato enim mortuum posuit, abstinentiam vero jejuniumque a peccato, tanquam baptismum, hoc est mundationem a mortuo: iterum autem redire ad peccatum, tanquam iterum tangere mortuum. Quare ergo non animalis illa pars nostra, quæ tanquam viro debet obtemperare rationi, cum per ipsam rationem de verbo vitæ recte vivendi sarcinam conceperit, appelletur vita, et cum parturitione abstinentiæ, quamvis cum doloribus atque gemitibus, malæ consuetudini resistens bonam consuetudinem ad recte facta pepererit, mater vivorum vocetur, id est, recte factorum: quibus contraria sunt peccata, quæ nomine mortuorum significari posse docuimus?

XXXII. Nam illa mors, quam omnes qui ex Adam nati sumus, cœpimus debere naturæ, quam minatus est Deus, cum præceptum daret ne arboris fructus ille ederetur; illa ergo mors in tunicis pelliceis figurata est. Ipsi enim sibi fecerunt præcinctoria de foliis fici, et Deus illis fecit tunicas pelliceas, id est, ipsi appetiverunt mentiendi li-

[1] 1 Tim. v, 6. — [2] Eccli. xxxiv, 30.

bidinem relicta facie veritatis, et Deus corpora eorum in istam mortalitatem carnis mutavit, ubi latent corda mendacia. Neque enim in illis corporibus cœlestibus sic latere posse cogitationes credendum est, quemadmodum in his corporibus latent : sed sicut nonnulli motus animorum apparent in vultu, et maxime in oculis, sic in illa perspicuitate ac simplicitate cœlestium corporum omnes omnino motus animi latere non arbitror. Itaque illi merebuntur habitationem illam et commutationem in angelicam formam, qui etiam in hac vita cum possint sub tunicis pelliceis occultare mendacia, oderunt tamen ea et cavent flagrantissimo amore veritatis, et hoc solum tegunt, quod ii qui audiunt ferre non possunt; sed nulla mentiuntur. Veniet enim tempus ut nihil etiam contegatur. Nihil est enim occultum quod non manifestabitur [1]. Tandiu autem in paradiso fuerunt isti, quamvis jam sub sententia damnantis Dei, donec ventum esset ad pelliceas tunicas, id est, ad hujus vitæ mortalitatem. Quo enim majore indicio potuit significari mors quam sentimus in corpore, quam pellibus quæ mortuis pecoribus detrahi solent? Itaque cum contra præceptum non imitatione legitima, sed illicita superbia Deus esse appetit homo, usque ad belluarum mortalitatem dejectus est.

XXXIII. Ideo sic illi lex divina insultat ore Dei; qua insultatione nos admonemur quantum possumus cavere superbiam : « Ecce Adam factus est tanquam unus ex no» bis ad scientiam cognoscendi bonum et malum [2]. » Quæ ambigua locutio figuram facit; nam «Factus est tanquam » unus ex nobis, » dupliciter intelligi potest : vel unus ex nobis quasi et ipse Deus, quod pertinet ad insultationem; sicut dicitur : Unus ex senatoribus, utique senator : aut certe, quia et ipse Deus esset, quamvis Creatoris sui be-

[1] Matth. x, 26. — [2] Gen. III, 22.

neficio, non natura, si sub ejus potestate manere voluisset, sic dictum est : « Ex nobis, » quomodo dicitur, ex consulibus, aut proconsulibus qui jam non est. Sed ad quam rem factus est tanquam unus ex nobis? Ad scientiam scilicet dignoscendi boni et mali, ut iste per experimentum disceret dum sentit malum, quod Deus per sapientiam novit; et potestatem illam omnipotentis quam pati noluit beatus atque consentiens, pœna sua discat esse inevitabilem.

XXXIV. « Et tunc ne porrigeret Adam manum suam » ad arborem vitæ, et viveret in æternum, dimisit illum » Deus de paradiso. » Bene dictum est, « dimisit, » non, exclusit; ut ipso peccatorum suorum pondere tanquam in locum sibi congruum videretur urgeri. Quod patitur plerumque malus homo cum inter bonos vivere cœperit, si se in melius commutare noluerit, ex illa bonorum congregatione, pondere malæ suæ consuetudinis pellitur, et illi eum non excludunt reluctantem, sed dimittunt cupientem. Quod autem dictum est : « Ne porrigeret Adam » manum suam ad arborem vitæ, » etiam hæc ambigua locutio est. Loquimur enim sic, cum dicimus : Ideo te moneo, ne iterum facias quod fecisti, volentes utique ut non faciat : Et iterum sic, Ideo te moneo, ne forte sis bonus, volentes utique ut sit, id est, moneo te non desperans quod bonus possis esse. Sicut loquitur Apostolus cum dicit : « Ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cog- » noscendam veritatem[1]. » Potest ergo videri propterea homo in labores hujus vitæ esse dimissus, ut aliquando manum porrigat ad arborem vitæ, et vivat in æternum. Manus autem porrectio bene significat crucem, per quam vita æterna recuperatur. Quamvis etiam si illo modo intelligamus ne manum porrigat, et vivat in æternum,

[1] 2 Tim. II, 25.

non injusta pœna est post peccatum interclusum esse aditum ad sapientiam, donec Dei misericordia mensuris temporum reviviscat qui mortuus est, et inveniatur qui perierat. Dimissus est ergo de paradiso suavitatis, ut operaretur terram de qua sumptus erat, id est, ut in corpore isto laboraret, et ibi si posset collocaret sibi meritum redeundi. Moratus est autem contra paradisum in miseria : quæ utique beatæ vitæ contraria est. Nam beatam vitam paradisi nomine significatam existimo.

XXXV. « Posuit autem Deus Cherubim et flammeam fra- » meam quæ versatur, » quæ uno nomine versatilis dici potest, « ad custodiendam viam arboris vitæ [1]. » Sicut illi volunt qui hebræa verba in Scripturis interpretati sunt, Cherubim latine scientiæ plenitudo esse dicitur. Flammea vero framea versatilis, temporales pœnæ intelliguntur, quoniam tempora volubilitate versantur. Propterea et flammea dicitur, quia urit quodam modo omnis tribulatio. Sed aliud est uri ad consumptionem, et aliud est uri ad purgationem. Nam et Apostolus dicit : « Quis scandaliza- » tur, et ego non uror [2] ? » Sed iste affectus purgabat eum magis, quia de charitate veniebat. Et illæ tribulationes quas justi patiuntur, ad istam pertinent flammeam frameam : « Quoniam in igne probatur aurum et argen- » tum, et homines acceptibiles in camino humiliationis [3]. » Et iterum : « Vasa figuli probat fornax, et homines jus- » tos tentatio tribulationis [4]. Quoniam ergo quem diligit » Deus, corripit, et flagellat omnem filium quem reci- » pit [5] ; » sicut dicit Apostolus : « Scientes quoniam tri- » bulatio patientiam operatur, patientia autem probatio- » nem [6]. » Et legimus, et audimus, et credendum est arborem vitæ, plenitudinem scientiæ et flammeam fra-

[1] Gen. III, 24. — [2] 2 Cor. XI, 19. — [3] Eccli. II, 5. — [4] Id. XXVII, 6. — [5] Heb. XII, 6. — [6] Rom. V, 3.

meam custodire. Nemo ergo potest pervenire ad arborem vitæ, nisi per has duas, id est, per tolerantiam molestiarum, et scientiæ plenitudinem.

XXXVI. Sed tolerantiam molestiarum omnibus fere in hac vita subeunda est, tendentibus ad arborem vitæ: plenitudo autem scientiæ videtur paucioribus provenire; ut quasi non omnes qui perveniunt ad arborem vitæ, per scientiæ plenitudinem veniant, quamvis omnes tolerantiam molestiarum, id est, flammeam frameam versatilem sentiant. Sed si attendatur quod Apostolus dicit : « Ple» nitudo autem legis, charitas [1]; » et videamus eamdem » charitatem præcepto illo gemino contineri : « Diliges » Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota » anima tua, et ex tota mente tua; et diliges proximum » tanquam te ipsum, in quibus duobus præceptis tota Lex » pendet, et Prophetæ [2] : » sine dubitatione intelligimus ad arborem vitæ non solum per flammam frameam versatilem, id est, per tolerantiam temporalium molestiarum, sed etiam per plenitudinem scientiæ, id est, per charitatem veniri : « Quia si charitatem, inquit, non ha» beam, nihil sum [3]. »

XXXVII. Sed in hoc sermone pollicitus sum considerationem rerum factarum, quam puto explicatam : et deinde considerationem prophetiæ, quæ remanet explicanda jam breviter. Posito enim tanquam signo quodam manifesto, quo cætera dirigantur, non diu nos, quantum arbitror, ita consideratio detinebit. Dicit enim Apostolus sacramentum magnum esse, quod dictum est : « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et ad» hærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una [4] : » quod ipse interpretatur subjiciendo : « Ego autem dico in Christo

[1] Rom. XIII, 10. — [2] Matth. XXII, 30. — [3] 1 Cor. XIII, 2. — [4] Ephes. V, 32.

» et in Ecclesia. « Ergo quod per historiam impletum est in Adam, per prophetiam significat Christum, qui reliquit Patrem, cum dicit : « Ego a Patre exivi, et veni in hunc » mundum [1]. » Non loco reliquit, quia Deus loco non continetur, neque aversione peccati, sicut apostatæ relinquunt Deum ; sed apparendo hominibus in homine, cum Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Quod ipsum non commutationem naturæ Dei significat, sed susceptionem (naturæ) (9) inferioris personæ, id est humanæ. Ad hoc valet etiam quod dicitur : « Semetipsum » exinanivit [2], » quia non in ea dignitate apparuit hominibus in qua est apud Patrem, blandiens eorum infirmitati, qui cor mundum nondum habebant, unde videretur Verbum in principio Deus apud Deum. Quid est ergo quod diximus : Reliquit Patrem, nisi reliquit apparere hominibus, sicut est apud Patrem ? Item reliquit et matrem, id est, Synagogæ veterem atque carnalem observationem, quæ illi mater erat ex semine David secundum carnem, et adhæsit uxori suæ, id est, Ecclesiæ, ut sint duo in carne una [3]. Dicit enim Apostolus ipsum esse caput Ecclesiæ, et Ecclesiam corpus ejus [4]. Ergo et ipse soporatus est dormitione passionis, ut ei conjux Ecclesia formaretur, quam dormitionem cantat per Prophetam dicens : « Ego dormivi, et somnum cepi, et exurrexi, » quoniam Dominus suscepit me [5]. » Formata est ergo ei conjux Ecclesia de latere ejus, id est, de fide passionis et baptismi. Nam percussum latus ejus lancea, sanguinem et aquam profudit [6]. Factus autem, ut supra dixi, ex semine David secundum carnem, sicut Apostolus dicit, id est, tanquam de limo terræ, cum homo non esset qui operaretur in terra, quia nullus homo operatus est in vir

[1] Joan. XVI, 28. — [2] Philip. II, 7. — [3] Rom. I, 3. — [4] Coloss. I, 18. — [5] Psal III, 6. — [6] Joan. XIX, 34.

gine, de qua natus est Christus [1]. Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ [2]. Facies terræ, id est, dignitas terræ, mater Domini virgo Maria rectissime accipitur, quam irrigavit Spiritus sanctus[3], qui fontis et aquæ nomine in Evangelio significatur, ut quasi de limo tali homo ille fieret, qui constitutus est in paradiso, ut operaretur et custodiret, id est, in voluntate Patris, ut eam impleret atque servaret.

XXXVIII. Nam præceptum quod accepit, nos accepimus in illo, quia unusquisque Christianus non incongrue sustinet personam Christi, dicente ipso Domino : « Quod » fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis [4]. » Atque utinam frueremur, sicut est præceptum, omni ligno paradisi, quod significat spiritales delicias : « Fructus au- » tem spiritus est, charitas, gaudium, pax, longanimi- » tas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, conti- » nentia [5], » sicut Apostolus dicit : et non tangeremus lignum in medio paradisi plantatum scientiæ boni et mali, id est, non vellemus superbire de natura nostra, quæ sicut jam diximus, media est, ut decepti experiremur, quid intersit inter simplicem fidem catholicam, et fallacias hæreticorum : ita enim pervenimus ad dignoscentiam boni et mali. « Nam oportet, inquit, etiam hæreses esse, » ut probati manifesti fiant inter vos [6]. » Etenim serpens ille secundum prophetiam, hæreticorum venena significat, et maxime istorum Manichæorum, et quicumque Veteri Testamento adversantur. Non enim aliquid manifestius prænuntiatum arbitror, quam istos in illo serpente, vel potius illum in istis esse vitandum. Nulli enim loquacius atque jactantius promittunt scientiam boni et mali, et in ipso homine, tanquam in arbore quæ plantata est

[1] Rom. I, 3. — [2] Gen. II, 6. — [3] Joan. VII, 30. — [4] Matth. XXV, 40. — [5] Gal. V, 22. — [6] I Cor. XI, 19.

in medio paradisi, eam dignoscentiam demonstraturos se esse præsumunt. Et etiam illud quod dictum est : « Eri- » tis sicut dii [1], » qui alii magis dicunt quam isti, qui per suam superbam vanitatem, eamdem superbiam persuadere conantes, affirmant animam naturaliter hoc esse quod Deus est? Et ad quos magis pertinet apertio carnalium oculorum, quam ad istos qui relicta interiore sapientiæ luce solem istum, qui pertinet ad oculos corporis adorare compellunt? Et omnes quidem hæretici generaliter scientiæ pollicitatione decipiunt, et reprehendunt eos quos simpliciter credentes invenerint, et quia omnino carnalia persuadent, quasi ad carnalium oculorum apertionem conantur adducere, ut interior oculus excæcetur. Sed istis etiam corpora sua displicent, non propter pœnalem mortalitatem, quam peccando meruimus, sed ita negent Deum esse corporum conditorem, tanquam apertis oculis carneis nuditas ista displiceat.

XXXIX. Sed nihil vehementius istos designat et notat, quam quod dicit serpens : « Non morte moriemini : scie- » bat enim Deus quoniam qua die ederitis, aperientur » oculi vestri [2]. » Sic enim isti credunt, quod serpens ille Christus fuerit, et Deum nescio quem gentis tenebrarum, sicuti affirmant, illud præceptum dedisse confingunt, tanquam invideret hominibus scientiam boni et mali. Ex ista opinione etiam nescio quos serpentinos natos esse arbitror, qui serpentem pro Christo colere dicuntur, nec attendunt Apostolum qui ait : « Metuo ne sicut serpens » Evam seduxit astutia sua, sic et sensus vestri corrum- » pantur [3]. » Hos ergo per istam prophetiam præfiguratos esse existimo. Seducitur autem verbis hujus serpentis, carnalis nostra concupiscentia, et per illam decipitur Adam, non Christus, sed Christianus : qui si præceptum

[1] Gen. III, 4, 5. — Ibid. — [3] 2 Cor. XI, 3.

Dei servare vellet, et ex fide perseveranter viveret, donec idoneus fieret intelligentiæ veritatis, id est, si operaretur in paradiso, et custodiret quod accepit; non veniret in illam deformitatem, ut cum sibi displicet caro quasi nuditas sua, carnalia magis tegumenta mendaciorum, tanquam folia fici colligeret, quibus sibi faceret succinctorium. Hoc enim isti faciunt, cum de Christo mentiuntur, et ipsum mentitum esse prædicant, et tanquam abscondunt se a facie Dei ad sua mendacia ab illius veritate conversi, sicut Apostolus dicit : « Et a veritate » quidem auditum suum avertent, ab fabulas autem con» vertentur [1]. »

XL. Et ille quidem serpens, id est, ille error hæreticorum, qui tentat Ecclesiam, contra quem incantat Apostolus, cum dicit : « Metuo ne sicut serpens Evam seduxit » astutia sua, sic et sensus vestri corrumpantur [2]; ille ergo error pectore et ventre serpit, et terram manducat. Non enim decipit, nisi aut superbos, qui sibi arrogantes quod non sunt, cito credunt quod summi Dei et animæ humanæ una eademque natura sit; aut desideriis carnalibus implicatos, qui libenter audiunt quod quidquid lascive faciunt, non ipsi faciunt, sed gens tenebrarum; aut curiosos, qui terrena sapiunt, et spiritalia terreno oculo inquirunt. Erunt autem inimicitiæ inter istum et mulierem, et inter semen ejus, et semen mulieris [3], si pariat ista filios quamvis cum doloribus, et se ad virum suum convertat, ut ejus ipse dominetur. Tunc enim potest cognosci non aliam partem in nobis pertinere ad auctorem Deum, et aliam ad gentem tenebrarum, sicut isti dicunt; sed potius et illud quod regendi habet potestatem in homine, et illud inferius quod regendum est, ex Deo esse, sicut dicit Apostolus : « Vir quidem non debet valere ca-

[1] 2 Tim. IV, 4. — [2] 2 Cor. XI, 3. — [3] Gen. III, 15.

» put, cum sit imago et gloria Dei; mulier autem gloria » viri est : Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro : » etenim non creatus est vir propter mulierem, sed mulier » propter virum : propterea debet habere velamen mulier » super caput, propter Angelos. Verumtamen neque mu- » lier sine viro, neque vir sine muliere in Domino : sicut » enim mulier ex viro, ita et vir per mulierem : omnia » autem ex Deo[1]. »

XLI. Laboret jam Adam in agro suo, et quod spinas et tribulos ei parit terra, et intelligat non naturæ esse, sed pœnæ; et hoc non nescio cui genti tenebrarum, sed divino judicio tribuat : quia moderamen justitiæ est sua cuique tribuere. Ipse det mulieri escam cœlestem, quam accepit a capite suo, qui est Christus : non ab illa accipiat vetitum cibum, id est, hæreticorum fallaciam cum magna pollicitatione scientiæ, et quasi secretorum adapertionem, quo fiat ad decipiendum error ipse conditior. Hæreticorum quippe superba et curiosa cupiditas in libro Proverbiorum clamat sub mulieris imagine, et dicit : « Qui stul- » tus est, divertat ad me : » et inopes sensu exhortatur, dicens : « Panes occultos edite libenter, et aquam dul- » cem furtivam bibite[2]. » Et necesse est tamen, cum et illa quisque crediderit, præcedente libidine mentiendi, qua Christum mentitum esse credit, accipiat etiam tunicam pelliceam divino judicio. Quo nomine mihi videtur in prophetia significari non corporis mortalitas, quæ significatur in historia, de qua jam tractatum est; sed de carnalibus sensibus attracta phantasmata, quæ carnaliter mentientem divina lege consequuntur et contegunt : atque ita de paradiso, id est, de catholica fide et veritate dimittitur, habitaturus contra paradisum, id est, eidem fidei contradicturus. Qui si aliquando se ad Deum conver-

[1] 1 Cor. xi, 7-12. — [2] Prov. ix, 16.

terit per flammeam frameam, id est, per temporales tribulationes, sua peccata cognoscendo et gemendo, et non jam extraneam naturam, quæ nulla est, sed se ipsum accusando, ut ipse veniam mereatur; et per plenitudinem scientiæ, quæ est charitas, diligendo Deum, qui supra omnia est incommutabilis, et diligendo ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente : et diligendo proximum tantam se ipsum, perveniet ad arborem vitæ, et vivet in æternum.

XLII. Quid habent ergo isti, quod in his litteris Veteris Testamenti reprehendant? Interrogent secundum morem suum, et respondeamus sicut Dominus donare dignatur. Quare fecit Deus hominem, inquiunt, quem peccaturum sciebat? Quia et de peccante multa bona facere poterat, ordinans eum secundum moderamen justitiæ suæ, et quia nihil oberat Deo peccatum ejus : et sive non peccaret, mors nulla esset : sive quia peccavit, alii mortales de peccato ejus corriguntur. Nihil enim sic revocat homines a peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio. Sic eum faceret, inquiunt, ut non peccaret. Imo ipse hoc faceret; sic enim factus est, ut si noluisset, non peccaret. Non admitteretur, inquiunt, diabolus ad ejus mulierem. Imo ipsa ad se diabolum, non admitteret; sic enim facta est, ut si noluisset, non admitteret. Non fieret, inquiunt, mulier. Hoc est dicere, non fieret bonum : quia et ipsa utique aliquod bonum est, et tantum bonum, ut Apostolus eam gloriam viri esse dicat; et omnia ex Deo[1]. Iterum dicunt : Quis fecit diabolum? Se ipse; non enim natura, sed peccando diabolus factus est. Vel ipsum, aiunt, non faceret Deus, si eum peccaturum esse sciebat, Imo, quare non faceret, cum per suam justitiam et providentiam multos de mali-

[1] 1 Cor. II, 3.

tia diaboli corrigat? An forte non audistis Apostolum Paulum dicentem : « Quod tradidi Satanæ, ut discant non » blasphemare [1]? » Et de se ipso dicit : « Et ne magnitu- » dine revelationum extollar, datus est mihi stimulus » carnis, angelus Satanæ qui me colaphizet [2]. » Ergo, inquiunt, bonus est diabolus, qui utilis est? Imo malus in quantum diabolus est, sed bonus et omnipotens Deus est, qui etiam de malitia ejus multa justa et bona operatur. Non enim diabolo imputatur, nisi voluntas sua, qua conatur facere male, non Dei providentia, quæ de illo bene facit.

XLIII. Postremo quoniam cum Manichæis nobis de religione quæstio est, quæstio autem religionis est, quid de Deo pie sentiatur, quoniam negare non possunt in miseria peccatorum esse genus humanum : Illi dicunt naturam Dei esse in miseria : Nos negamus, sed dicimus eam naturam esse in miseria, quam de nihilo fecit Deus, et ad hoc venisse non coactam, sed voluntate peccandi. Illi dicunt naturam Dei cogi ab ipso Deo ad pœnitentiam peccatorum : Nos negamus, sed dicimus eam naturam quam Deus fecit de nihilo, posteaquam peccavit, cogi ad pœnitentiam peccatorum. Illi dicunt naturam Dei ab ipso Deo accipere veniam : Nos negamus, sed dicimus eam naturam quam fecit Deus de nihilo, si se a peccatis suis ad Deum suum converterit, accipere veniam peccatorum. Illi dicunt naturam Dei necessitate esse mutabilem : Nos negamus, sed dicimus eam naturam quam Deus fecit de nihilo, voluntate esse mutatam : Illi dicunt naturæ Dei nocere aliena peccata : Nos negamus, sed dicimus nulli naturæ nocere peccata, nisi sua ; et Deum dicimus tantæ bonitatis esse [3], tantæ justitiæ, tantæ incorruptionis, ut neque peccet, neque ipse alicui noceat qui peccare nolue-

[1] 2 Tim. I, 1. — [2] 1 Cor. XII, 7. — [3] 1 Retract. cap. X, n. 3.

rit, nec ipsi aliquis qui peccare voluerit. Illi dicunt esse naturam mali cui Deus coactus est naturæ suæ partem dare cruciandam : Nos dicimus nullum malum esse naturale, sed omnes naturas bonas esse[2], et ipsum Deum summam esse naturam, cæteras ex ipso esse naturas : et omnes bonas in quantum sunt : quoniam fecit Deus omnia bona valde, sed distinctionis gradibus ordinata, ut sit aliud alio melius ; atque ita omni genere bonorum universitas ista compleatur, quæ quibusdam perfectis, quibusdam imperfectis, tota perfecta est, quam Deus effector conditorque ejus justo moderamine administrare non cessat ; qui omnia bona facit voluntate, nihil mali patitur necessitate. Cujus enim voluntas superat omnia, nulla ex parte quidquam sentit invitus. Cum ergo illa illi, et nos ista dicimus, unusquisque eligat quid sequatur. Ego enim, quod bona fide coram Deo dixerim, sine ullo studio contentionis, sine aliqua dubitatione veritatis, et sine aliquo præjudicio diligentioris tractationis, quæ mihi videbantur exposui.

[2] 1 Retract. cap. x, n. 3.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE MORIBUS

ECCLESIÆ CATHOLICÆ

ET DE

MORIBUS MANICHÆORUM

LIBRI II[1].

LIBER I.

DE MORIBUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ.

PRINCIPIO CONSTITUIT AUGUSTINUS MORES ILLOS, QUIBUS IN ECCLESIA SANCTE VIVITUR, AD SUMMUM HOMINIS BONUM, HOC EST, DEUM REFERRI OPORTERE. TUM SUMMO IN EUM AMORE CONTENDENDUM, IDQUE DOGMA ESSE IN CATHOLICA ECCLESIA, UTRIUSQUE TESTAMENTI AUCTORITATE CONFIRMATUM. QUATUOR VIRTUTES EX VARIO QUODAM AMORIS DEI AFFECTU DICTAS OSTENDIT. AGIT DE OFFICIIS CHARITATIS ERGA PROXIMUM, AC REFERT DEMUM EXEMPLA CONTINENTIÆ ET MORUM VERE CHRISTIANORUM, QUÆ IN ECCLESIÆ CATHOLICÆ ALUMNIS ELUXERUNT.

I. IN aliis libris[2] satis opinor egisse nos quemadmodum Manichæorum invectionibus, quibus in Legem, quod Vetus Testamentum vocatur, imperite atque impie ferun-

[1] Scripti versus initium anni Christi 388, vulgati forte annum 389. Vide Retract. lib. I, cap. 7. — [2] Vide D. Guillon, tom. XXI, pag. 148.

tur, seseque inter imperitorum plausus, inani jactatione ventilant, possimus occurrere : quod breviter etiam hic commemorari a me potest. Quis enim mediocriter sanus non facile intelligat, Scripturarum expositionem ab iis petendam esse, qui earum doctores se esse profitentur : fierique posse, imo id semper accidere, ut multa indoctis videantur absurda, quæ cum a doctioribus exponuntur, eo laudanda videantur, et eo accipiantur aperta dulcius, quo clausa difficilius aperiebantur? Hoc fere in sanctis Veteris Testamenti libris evenit, si modo ille qui eis offenditur, doctorem potius eorum pium, quam impium laceratorem requirat, priusque studio quærentis, quam temeritate reprehendentis imbuatur. Nec, si ea discere cupiens, in aliquos forte inciderit vel episcopos vel presbyteros, vel cujuscemodi Ecclesiæ catholicæ antistites et ministros, qui aut passim caveant nudare mysteria, aut contenti simplici fide, altiora cognoscere non curarint, desperet ibi scientiam esse veritatis, ubi neque omnes a quibus quæritur docere possunt, neque omnes qui quærunt discere digni sunt. Et diligentia igitur et pietas adhibenda est : altero fiet, ut scientes inveniamus; altero, ut scire mereamur.

II. Sed quoniam duæ maxime sunt illecebræ Manichæorum, quibus decipiuntur incauti, ut eos velint habere doctores; una, cum Scripturas reprehendunt, vel quas male intelligunt vel quas male intelligi volunt, altera, cum vitæ castæ et memorabilis continentiæ imaginem præferunt : hic liber congruentem catholicæ disciplinæ sententiam nostram de vita et moribus continebit, in quo fortasse intelligetur et quam sit facile simulare, et quam difficile habere virtutem. Eum sane modum tenebo, si potero, ut neque in illorum morbos, qui mihi sunt notissimi, tam graviter invehar, quam illi in ea quæ igno-

rant : sanari enim eos potius, si fieri potest, quam oppugnari volo. Et ea de Scripturis assumam testimonia, quibus eos necesse sit credere, de Novo scilicet Testamento, de quo tamen nihil proferam eorum quæ solent immissa esse dicere, cum magnis angustiis coarctantur ; sed ea dicam, quæ et approbare et laudare coguntur. Nec omnino ullam relinquam testem sententiam productam de apostolica disciplina, cui non de Veteri Testamento similem comparem : ut si evigilare tandem deposita pertinacia somniorum suorum, et in christianæ fidei lucem aspirare voluerint, animadvertant et quam non sit christiana vita quam ostentant, et quam sit Christi Scriptura quam lacerant.

III. Unde igitur exordiar? ab auctoritate, an a ratione? Naturæ quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas. Nam infirma ratio videri potest, quæ cum reddita fuerit, auctoritatem postea, per quam firmetur, assumit. Sed quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati sinceritatique rationis aspectum idoneum intendere nequeunt ; saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem veluti ramis humanitatis opacata inducat auctoritas. Sed quoniam cum iis nobis res est, qui omnia contra ordinem, et sentiunt, et loquuntur, et gerunt, nihilque aliud maxime dicunt, nisi rationem prius esse reddendam, morem illis geram ; quod fateor in disputando vitiosum esse, suscipiam. Delectat enim me imitari quantum valeo mansuetudinem Domini mei Jesu Christi, qui etiam ipsius mortis malo, quo nos exuere vellet, indutus est.

IV. Ratione igitur quæramus quemadmodum sit homini vivendum. Beate certe omnes vivere volumus ; neque

quisquam est in hominum genere, qui non huic sententiæ, antequam plene sit emissa, consentiat. Beatus autem, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecumque sit; neque qui habet quod amat, si noxium sit; neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit. Nam et qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur; et qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur; et qui non appetit quod adipiscendum esset, ægrotat. Nihil autem istorum animo contingit sine miseria : nec miseria et beatitudo in homine uno simul habitare consueverunt : nullus igitur illorum beatus est. Quartum restat, ut video, ubi beata vita inveneri queat, cum id quod est hominis optimum, et amatur, et habetur. Quid enim est aliud quod dicimus frui, nisi præsto habere quod diligis? Neque quisquam beatus est, qui non fruitur eo, quod est hominis optimum; nec quisquam, qui eo fruitur, non est beatus. Præsto ergo esse nobis debet optimum nostrum, si beate vivere cogitamus.

V. Sequitur ut quæramus quid sit hominis optimum, quod profecto deterius esse quam ipse homo non potest. Quisquis enim quod se ipso est deterius, sequitur, fit et ipse deterior. Oportet autem omnem hominem id quod optimum est sequi. Non est igitur homine deterius hominis optimum. Fortasse tale aliquid erit, quale ipse homo est? Ita sit sane, si nihil est homine melius, quo perfrui possit. Si autem invenimus aliquid quod et homine sit excellentius, et præsto esse amanti sese homini possit, quis dubitaverit homini ad id nitendum esse ut beatus sit, quod eo ipso qui nititur, manifestum est esse præstantius? Nam si id est beatum esse, ad tale bonum pervenisse quo amplius non potest, id est autem quod dicimus optimum; quo tandem pacto potest in ea definitione includi, qui ad summum bonum suum nondum pervenerit? aut quomodo

summum est, si est aliquid melius quo pervenire possimus? Hoc igitur si est, tale esse debet quod non amittat invitus. Quippe nemo potest confidere de tali bono, quod sibi eripi posse sentit, etiamsi retinere id amplectique voluerit. Quisquis autem de bono quo fruitur non confidit, in tanto timore amittendi beatus esse qui potest.

VI. Quæramus igitur, quid sit homine melius. Quod profecto invenire difficile est, nisi prius considerato atque discusso, quid sit ipse homo. Nec nunc definitionem hominis a me postulandam puto. Illud est magis quod mihi hoc loco quærendum videtur, cum inter omnes pene constet, aut certe id quod satis est, inter me atque illos cum quibus nunc agitur hoc conveniat, ex anima et corpore nos esse compositos, quid est ipse homo, utrumque horum quæ nominavi, an corpus tantummodo, an tantummodo anima? Quanquam enim duo sint, anima et corpus, et neutrum vocaretur homo, si non esset alterum (nam neque corpus homo esset si anima non esset, nec rursus anima homo, si ea corpus non animaretur) fieri tamen potest, ut unum horum et habeatur homo, et vocetur. Quid ergo hominem dicimus? animam et corpus tanquam bigas vel centaurum; an corpus tantum, quod sit in usu animæ se regentis, tanquam lucernam, non ignem simul et testam, sed testam solam, tamen propter ignem appellamus: an nihil aliud hominem quam animam dicimus, sed propter corpus quod regit, veluti equitem non simul equum et hominem, sed hominem solum, ex eo tamen quod regendo equo sit accommodatus, vocamus? Difficile est istam controversiam dijudicare; aut si ratione facile, oratione longum est, quem laborem ac moram suscipere ac subire non opus est. Sive enim utrumque, sive anima sola nomen hominis teneat, non est hominis optimum quod optimum est corporis; sed quod aut corpori simul et animæ,

aut soli animæ optimum est, id est, optimum hominis.

VII. Corporis autem si quærimus quid optimum sit, id certa ratio cogit fateri, per quod fit ut sese corpus quam optime habeat. Nihil est autem omnium, quæ vegetant corpus, anima melius atque præstantius. Est ergo summum corporis bonum, non voluptas ejus, non indoloria, non vires, non pulchritudo, non velocitas, et si quid aliud in bonis corporis numerari solet, sed omnino anima. Nam et ista quæ commemorata sunt, præsentia sui exhibet corpori, et quod antecellit omnibus, vitam. Quamobrem non videtur mihi anima esse summum hominis bonum, sive animam simul et corpus, sive animam solam hominem dicimus. Ut enim corporis summum bonum id invenit ratio, quod est corpore melius, et quo ei vigor et vita præbetur : ita sive corpus et anima, sive anima ipsa per se homo sit, inveniendum est, si quid animam præcedit ipsam, quod cum anima sequitur, fit in suo genere quam potest optima. Quod si reperire potuerimus, id erit profecto quod ambagibus remotis omnibus, summum hominis bonum jure meritoque nominandum est.

VIII. Aut si corpus est homo, quin hominis optimum anima ipsa sit, recusare non possum. Sed certe cum de moribus agitur, cum quærimus quinam vitæ modus tenendus sit ut beatitudinem possimus adipisci, non corporis præcepta dantur, non corporis investiganda est disciplina. Postremo bonos mores ea nostra pars actura est, quæ inquirit, et discit; et hæc animæ sunt propria : non igitur de corpore, cum de virtute obtinenda satagimus, quæstio est. Quod si est consequens, sicuti est, ut ipsum corpus cum ab anima regitur, quæ virtutis compos est, multo et melius regatur et honestius, eoque optime sese habeat, quo est optima illa, quæ sibi justa lege dominatur, id erit hominis optimum quod animam optimam facit, etiam

si hominem corpus vocemus. An vero si mihi auriga obtemperans, equos quibus præest alit ac regit commodissime, atque ipse quo mihi est obedientior, mea liberalitate perfruitur, negare quisquam potest non solum quod auriga, verumetiam quod equi sese optime habent, mihi deberi? Itaque sive tantum corpus, sive tantum anima, sive utrumque homo sit, non mihi maxime quærendum videtur, nisi quid animam faciat optimam : nam eo percepto, non poteste homo non aut optime, aut certe multo melius sese habere, quam si hoc unum defuisset.

VX. Nemo autem dubitaverit, quin virtus animam faciat optimam. Sed rectissime quæri potest, utrum ista virtus etiam per sese, an nisi in anima esse non possit. Oboritur iterum altissima et longissimi sermonis indigens quæstio : sed hoc bene utar fortasse compendio : spero Deum affuturum, ut, quantum imbecillitas nostra patitur, de tantis rebus non modo dilucide, sed etiam breviter doceamus. Quodlibet enim eorum sit, sive etiam per sese esse possit virtus sine anima, sive nisi animæ inesse non possit, procul dubio aliquid anima sequitur ut virtutem assequatur : id erit aut ipsa anima, aut virtus, aut aliquid tertium. At si se ipsam sequitur ut virtutem adipiscatur, stultum nescio quid sequitur : stulta est enim ante adeptam virtutem. Summa sunt autem vota sequentium, ut id quod quisque sequitur assequatur. Aut igitur optabit non assequi quod sequitur anima, quo nihil absurdius et perversius dici potest; aut cum se sequitur stulta, eamdem stultitiam quam vitat assequitur. Si autem virtutem sequitur, hanc assequi cupiens, quomodo sequitur id quod non est, aut quomodo assequi cupit quod habet? Aut igitur virtus est præter animam; aut si non placet vocare virtutem nisi habitum ipsum et quasi sapientis animæ qualitatem, quæ nisi in anima esse non potest, oportet ut ali-

quid aliud sequatur anima, ut ei virtus possit innasci: quia neque nihil sequendo, neque stultitiam sequendo potest, quantum ratio mea fert, ad sapientiam pervenire.

X. Hoc igitur aliud, quod sequendo anima virtutis atque sapientiæ compos fit, aut homo sapiens est, aut Deus. Sed supra dictum est, tale quiddam esse debere, quod inviti amittere nequeamus. Quis vero cunctandum putet, hominem sapientem, si eum sequi satis putaverimus, auferri nobis non modo recusantibus, sed etiam repugnantibus posse? Deus igitur restat, quem si sequimur, bene: si assequimur, non tantum bene, sed etiam beate vivimus. Quem si qui esse negant, quid ego cogitem quo illis sermone suadendum sit, cum quibus utrum omnino sermocinandum sit, nescio? Quod tamen si videbitur, longe aliud principium, alia ratio, alius ingressus ineundus est, quam in præsentiarum suscepimus. Nunc itaque cum illis mihi res est, qui Deum esse non negant: neque id tantum, sed etiam non ab eo negligi res humanas fatentur. Nullum enim arbitror aliquo religionis nomine teneri, qui non saltem animis nostris divina providentia consuli existimet.

XI. Sed quo pacto sequimur quem non videmus; aut quomodo videmus, qui non solum homines, sed etiam insipientes homines sumus? Quanquam enim non oculis, sed mente cernatur, quæ tandem mens idonea reperiri potest, quæ cum stultitiæ nube obtegatur, valeat illam lucem vel etiam conetur haurire? Confugiendum est igitur ad eorum præcepta, quos sapientes fuisse probabile est. Hactenus potuit ratio perduci. Versabatur namque non veritate certior, sed consuetudine securior, in rebus humanis. At ubi ad divina perventum est, avertit sese, intueri non potest, palpitat, æstuat, inhiat amore, reverberatur luce veritatis, et ad familiaritatem tenebrarum suarum, non electione, sed fatigatione convertitur. Quam hic

formidandum est, quam tremendum, ne majorem inde concipiat anima imbecillitatem, ubi quietem fessa conquirit. Ergo refugere in tenebrosa cupientibus per dispensationem ineffabilis Sapientiæ, nobis illa opacitas auctoritatis occurrat, et mirabilibus rerum, vocibusque librorum veluti signis temperatioribus veritatis umbrisque blandiatur.

XII. Quid potuit pro salute nostra fieri amplius? Quid beneficentius, quid liberalius divina providentia dici potest, quæ a legibus suis hominem lapsum, et propter cupiditatem rerum mortalium jure ac merito mortalem sobolem propagantem, non omnino deseruit? Habet enim potestas illa justissima, miris et incomprehensibilibus modis, per quasdam secretissimas successiones rerum sibi servientium quas creavit, et severitatem vindicandi, et clementiam liberandi. Quod quidem quam sit pulchrum, quam magnum, quam Deo dignum, quam postremo id quod quæritur verum, nequaquam intelligere poterimus, nisi ab humanis et proximis incipientes, veræ religionis fide præceptisque servatis non desuerimus viam quam nobis Deus, et Patriarcharum segregatione, et legis vinculo, et Prophetarum præsagio, et suscepti Hominis sacramento, et Apostolorum testimonio, et Martyrum sanguine, et Gentium occupatione munivit. Quare deinceps nemo ex me quærat sententiam meam, sed potius audiamus oracula, nostrasque ratiunculas divinis submittamus affatibus.

XIII. Videamus quemadmodum ipse Dominus in Evangelio nobis præceperit esse vivendum : quomodo etiam Paulus apostolus : has enim Scripturas illi condemnare non audent. Audiamus ergo quem finem bonorum nobis, Christe præscribas ; nec dubium est, quin is erit finis, quo nos summo amore tendere jubes : « Diliges, inquit,

» Dominum Deum tuum [1]. » Dic mihi etiam, quæso te, qui sit diligendi modus : vereor enim ne plus minusve quam oportet, inflammet desiderio et amore Domini mei. « Ex toto, inquit, corde tuo. » Non est satis. « Ex tota » anima tua. » Ne id quidem satis est. « Ex tota mente » tua. » Quid vis amplius ? Vellem fortasse, si viderem quid posset esse amplius. Quid ad hæc Paulus ? « Sci- » mus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia pro- » cedunt in bonum. » Dicat etiam ipse dilectionis modum. « Quis ergo, inquit, nos separabit a charitate » Christi ? Tribulatio ? an angustia ? an persecutio ? an » fames ? an nuditas ? an periculum ? an gladius [2] ? » Audivimus quid diligere, et quantum diligere debeamus : eo est omnino tendendum : ad id omnia consilia nostra referenda. Bonorum summa, Deus nobis est. Deus est nobis summum bonum. Neque infra remanendum nobis est, neque ultra quærendum : alterum enim periculosum, alterum nullum est.

XIV. Age nunc investigemus, vel potius attendamus, præsto enim est et facillime videtur, utrum his sententiis ex Evangelio atque Apostolo prolatis, etiam Testamenti Veteris auctoritas congruat. Quid dicam de superiore sententia, cum manifestum sit omnibus, eam de lege, quæ per Moysen data est, esse depromptam ; ibi enim scriptum est : « Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde » tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua [3]. » Quid autem illi quod ab Apostolo dictum est, comparare de Veteri Testamento possim, ne diutius quærerem ipse subjecit. Cum enim dixisset nulla tribulatione, nulla angustia, nulla persecutione, nulla necessitate inopiæ corporalis, nullo periculo, nullo gladio nos a charitate Christi separari [4], statim subjunxit : « Sicut scriptum est :

[1] Matth. xxii, 37. — [2] Rom. viii, 28-35. — [3] Deut. vi, 5. — [4] Rom. viii, 38.

» Quia propter te afficimur tota die, æstimati sumus ut » oves occisionis [1]. » Hæc illi solent a corruptoribus Scripturarum immissa esse dicere, usque adeo nihil habent quod contradicant, ut hæc miseri respondere cogantur. Sed quis non intelligat convictorum hominum aliam non esse potuisse ultimam vocem?

XV. A quibus tamen quæro, utrum istam sententiam in Veteri Testamento esse negent, annon congruere sententiæ apostolicæ affirment? At illud primum libris docebo : in hoc autem altero tergiversantes homines, et per abrupta fugientes, aut in pacem revocabo, si voluerint respicere aliquantum, et considerare qnid dictum sit ; aut eos intelligentia cæterorum, qui sine cupiditate judicant, insectabor. Quid enim potest amicius quam istæ sibi consonare sententiæ? Nam tribulatio, angustia, persecutio, fames, nuditas, periculum, hominem in hac vita constitutum graviter afficiunt. Hæc itaque omnia verba illo uno concluduntur testimonio veteris Legis, quo dictum est : « Propter te afficimur. » Gladius restabat, qui non ærumnosam vitam affert, sed quam invenerit adimit. Huic ergo respondet : « Æstimati sumus ut oves occisio- » nis. » Charitas vero ipsa non potuit significari expressius, quam quo dictum est : « Propter te. » Fac ergo non in Paulo apostolo compertum istud testimonium, sed a me esse prolatum. Numquidnam tibi demonstrandum est, hæretice, nisi aut scriptum in vetere Lege non esse, aut Apostolo non convenire? Quorum si nihil dicere audes (urgeris enim cum et codex legitur, quo planum sit scriptum esse, et homines intelligunt ad id quod Apostolus dixit, nihil posse aptius convenire) cur ergo valere aliquid putas, quod Scripturas corruptas esse insimulare audes? Postremo quid responsurus es ei, qui tibi dicat :

[1] Psal. XLIII, 22. I Retract. cap. VII, n. 2.

Ego sic intelligo, ego sic accipio, sic credo, nec ob aliud lego illos libros, nisi quod ibi omnia christianæ fidei concinere video. Illud potius dic, si audes, et adversus me dicere cogitas, non esse credendum quod Apostoli et Martyres propter Christum affecti gravibus ærumnis dicuntur, quod a persecutoribus ut oves occisionis æstimati sunt. Quod si non potes dicere, quid calumniaris in quo libro inveniam, quod me oportere credere confiteris?

XVI. An illud dicis, concedere te quidem, Deum esse diligendum, sed non illum Deum quem colunt ii, qui Testamenti Veteris auctoritatem recipiunt? Non ergo illum Deum colendum esse dicitis, qui fecit cœlum et terram. Iste namque per omnes partes illorum voluminum prædicatur: vos autem fatemini universum istum mundum, qui nomine cœli et terræ significatur, habere auctorem et fabricatorem Deum, et Deum bonum. Cum exceptione quippe vobiscum loquendum est, quando Deus nominatur. Duos enim deos, unum bonum, alterum malum esse perhibetis. Quod si dicitis colere vos et colendum arbitrari Deum, a quo factus est mundus, non tamen eum esse quem Veteris Testamenti commendat auctoritas; impudenter facitis, qui alienum animum atque sententiam quam bene atque utiliter acceperimus, male interpretari conanimi: frustra omnino. Neque enim vestræ stultæ atque impiæ disputationes ullo modo cum piorum doctissimorumque hominum sermonibus, per quos in Ecclesia catholica Scripturæ illæ volentibus dignisque aperiuntur, comparari queunt. Longe prorsus aliter quam putatis Lex et Prophetæ intelliguntur a nobis. Desinite errare, non colimus pœnitentem Deum, non invidum, non indigum, non crudelem, non quærentem de hominum vel pecorum sanguine voluptatem, non cui flagitia et scelera placeant,

non possessionem suam terræ quadam particula terminantem. In has enim atque hujusmodi nugas graviter copiosæque invehi soletis. Quare nos invectio vestra non tangit ; sed aniles quasdam , vel etiam pueriles opiniones, eo ineptiore , quo vehementiore oratione pervellitis. Qua quisquis movetur et ad vos transit, non Ecclesiæ nostræ damnat disciplinam , sed eam se ignorare demonstrat.

XVII. Quamobrem si quid humani corde geritis, si curæ vobis vosmetipsi estis, quærite potius diligenter et pie quomodo illa dicantur. Quærite miseri : nam talem fidem , qua Deo inconveniens aliquid creditur , nos vehementius et uberius accusamus : nam et in illis quæ dicta sunt , cum sic intelliguntur ut littera sonat , et simplicitatem corrigimus , et pertinaciam deridemus. Et alia multa , quæ vos intelligere non potestis , vetat eos credere catholica disciplina , qui non annis , sed studio atque intellectu excedentes quamdam mentis pueritiam , in canos sapientiæ promoventur. Nam et credere Deum loco aliquo quamvis infinito , per quantitatis quæcumque spatia contineri , quam sit stultum docetur : et de loco in locum , vel ipsum , vel aliquam ejus partem moveri atque transire, arbitrari nefas habetur. Jamvero aliquid ejus substantiæ atque naturæ commutationem vel conversionem quolibet modo pati posse si quis opinetur , miræ dementiæ impietatisque damnabitur : ita fit ut apud nos inveniantur pueri quidam , qui humana forma Deum cogitent , atque ita se habere suspicentur ; qua opinione nihil est abjectius : sed inveniantur item multi senes , qui ejus majestatem , non solum super humanum corpus , sed etiam super ipsam mentem manere inviolabilem atque incommutabilem , eadem ipsa mente conspiciant. Quas ætates , non tempore , sed virtute atque prudentia discernendas esse jam dictum est. Apud vos autem nemo quidem reperitur

qui Dei substantiam humani corporis figuratione describat: sed rursus nemo qui ab humani erroris labe sejungat. Itaque illi quos quasi vagientes Ecclesiæ catholicæ ubera sustentant, si ab hæreticis non fuerint deprædati, pro suo quisque captu viribusque nutriuntur, perducunturque alius sic, alius autem sic, primum in virum perfectum, deinde ad maturitatem canitiemque sapientiæ perveniunt, ut eis quantum volunt, vivere ac beatissime vivere liceat.

XVIII. Secutio igitur Dei, beatitatis appetitus est: consecutio autem, ipsa beatitas. At eum sequimur diligendo, consequimur vero, non cum hoc omnino efficimur quod est ipse, sed ei proximi, eumque mirifico et intelligibili modo contingentes, ejusque veritate et sanctitate penitus illustrati atque comprehensi. Ille namque ipsum lumen est, nobis autem ab eodem illuminari licet. « Maximum ergo quod ad beatam vitam ducit, primum- » que mandatum est, diliges Dominum Deum tuum ex » toto corde tuo et anima et mente [1]. Diligentibus enim » Deum, omnia procedunt in bonum [2]. » Quamobrem paulo post idem Paulus : « Certus sum, inquit, quod » neque mors, neque vita, neque Angeli, neque virtus, » neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque » profundum, neque creatura alia poterit nos separare a » charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro [3]. » Si igitur diligentibus Deum omnia procedunt in bonum ; et summum bonum, quod etiam optimum dicitur, non modo diligendum esse nemo ambigit, sed ita diligendum ut nihil amplius diligere debeamus ; idque significatur et exprimitur quod dictum est : « Ex tota anima, et ex toto » corde, et ex tota mente : » quis quæso dubitaverit, his omnibus constitutis et firmissime creditis, nihil nobis

[1] Deut. VI, 5, et Matth. XXII, 37. — [2] Rom. VIII, 28. — [3] Ibid. 38-39.

aliud esse optimum, ad quod adipiscendum postpositis cæteris festinare oporteat, quam Deum? Item si nulla res ab ejus charitate nos separat, quid esse non solum melius, sed etiam certius hoc bono potest?

XIX. Sed singula breviter attendamus. Nemo nos inde separat, minando mortem. Idipsum enim quo diligimus Deum, mori non potest, nisi dum non diligit Deum: cum mors ipsa sit non diligere Deum, quod nihil est aliud quam ei quidquam in diligendo atque sequendo præponere. Nemo inde separat pollicendo vitam: nemo enim ab ipso fonte separat, pollicendo aquam. Non separat Angelus: non enim est Angelus, cum inhæremus Deo, nostra mente potentior. Non separat Virtus: nam si Virtus hic illa nominata est, quæ aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omnino sublimior mens inhærens Deo. Sin virtus illa dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est; si in alio est, favet ut conjungamur Deo; si in nobis est, ipsa conjungit. Non separant instantes molestiæ: hoc enim leviores eas sentimus, quo ei unde nos separare moliuntur, arctius inhæremus. Non separat promissio futurorum: nam et quidquid boni futurum est, certius promittit Deus; et nihil est ipso Deo melius, qui jam profecto bene sibi inhærentibus præsens est. Non separat altitudo neque profundum: etenim si hæc verba scientiæ forte altitudinem vel profundum significant, non ero curiosus ne sejungar a Deo, nec cujusquam doctrina me ab eo separat, ut quasi depellat errorem, a quo nemoprorsus nisi separatus erraret. Si vero altitudine et profundo superna et inferna hujus mundi significantur, quis mihi cœlum polliceatur, ut a cœli fabricatore sejungar? Aut quis terreat infernus, ut Deum deseram, quem si nunquam deseruissem, inferna nescirem? Postremo quis me locus ab ejus charitate divel-

let, qui non ubique totus esset, si ullo contineretur loco?

XX. « Non, inquit, separat alia creatura. » O altissimorum mysteriorum virum. Non fuit contentus dicere : « Creatura ; sed, alia, inquit, creatura, » admonens etiam idipsum quo diligimus Deum, et quo inhæremus Deo, id est, animum atque mentem creaturam esse. Alia ergo creatura corpus est : et si animus res quædam est intelligibilis, id est, quæ tantum intelligendo innotescit, alia creatura est omne sensibile, id est, quod per oculos, vel aures, vel olfactum, vel gustum, vel tactum, quasi quamdam notitiam sui præbet : atque id deterius sit necesse est, quam quod intelligentia sola capitur. Ergo cum etiam Deus dignis animis notus non nisi per intelligentiam possit esse, cum tamen sit ipsa qua intelligitur mente præstantior, quippe qui creator ejus atque auctor est, verendum erat ne animus humanus, eo quod inter invisibilia et intelligibilia numeratur, ejusdem se naturæ arbitraretur esse, cujus est ipse qui creavit ; et sic ab eo superbia decideret, cui charitate jungendus est. Fit enim Deo similis quantum datum est, dum illustrandum illi atque illuminandum se subjicit. Et si maxime ei propinquat subjectione ista qua similis fit, longe ab eo fiat necesse est audacia qua vult esse similior. Ipsa est qua legibus Dei obtemperare detrectat, dum suæ potestatis esse cupit ut Deus est.

XXI. Quando ergo magis longe discedit a Deo, non loco, sed affectione atque cupiditate ad inferiora quam est ipse, tanto magis stultitia miseriaque completur. Dilectione igitur redit in Deum, qua se illi non componere, sed supponere affectat. Quod quanto fecerit instantius ac studiosius, tanto erit beatior atque sublimior, et illo solo dominante liberrimus. Quamobrem nosse debet se esse creaturam. Debet enim creatorem suum credere sicuti est,

inviolabili et incommutabili semper manere natura veritatis atque sapientiæ : in se autem cadere posse stultitiam atque fallaciam, vel propter errores quibus exui desiderat, confiteri. Sed rursus cavere debet, ne ab ipsius Dei charitate, qua sanctificatur ut beatissimus maneat, alterius creaturæ, id est, hujus sensibilis mundi amore separetur. Non igitur separat nos alia creatura, si quidem et nos ipsi creatura sumus, a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

XXII. Dicat nobis idem Paulus, quis iste sit Christus Jesus Dominus noster : « Vocatis, inquit, prædicamus » Christum Dei Virtutem et Dei Sapientiam [1]. » Quid, ipse Christus nonne inquit : « Ego sum Veritas [2] ? » Si ergo quærimus quid sit bene vivere, id est, ad beatitudinem bene vivendo tendere, id erit profecto amare Virtutem, amare Sapientiam, amare Veritatem, et amare ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente ; Virtutem quæ inviolabilis et invicta est, Sapientiam cui stultitia non succedit, Veritatem quæ converti atque aliter quam semper est sese habere non novit. Per hanc ipse cernitur Pater ; dictum est enim : « Nemo venit ad Patrem, nisi per me [3]. » Huic hæremur per sanctificationem. Sanctificati enim plena et integra charitate flagramus, qua sola efficitur ut a Deo non avertamur, eique potius quam huic mundo conformemur. « Prædestinavit » enim, ut ait idem Apostolus, conformes nos fieri imaginis Filii ejus [4]. »

XXIII. Fit ergo per charitatem ut conformemur Deo, et ex Deo conformati atque configurati, et circumcisi ab hoc mundo, non confundamur cum iis, quæ nobis debent esse subjecta. Fit autem hoc per Spiritum sanctum. « Spes enim, inquit, non confundit ; quoniam charitas

[1] 1 Cor. 1, 24. — [2] Joan. XIV, 6. — [3] Ibid. — [4] Rom. VIII, 29.

» Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum » qui datus est nobis[1]. » Nullo modo autem redintegrari possemus per Spiritum sanctum, nisi et ipse semper et integer et incommutabilis permaneret. Quod profecto non posset, nisi Dei naturæ esset ac ipsius substantiæ, cui soli incommutabilitas atque, ut ita dicam, invertibilitas semper est. « Creatura enim, neque hoc ego, sed idem » Paulus clamat, vanitati subjecta est[2]. » Neque nos potest a vanitate separare, veritatique connectere, quod subjectum est vanitati. Et hoc nobis Spiritus sanctus præstat : creatura igitur non est. Quia omne quod est, aut Deus, aut creatura est.

XXIV. Deum ergo diligere debemus trinam quamdam unitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quod nihil aliud dicam esse, nisi idipsum esse. Est enim vere summeque Deus : « Ex quo omnia, per quem omnia, in » quo omnia : » hæc verba Pauli sunt. Quid deinde subjicit? « Ipsi gloria[3]. » Sincerissime omnino. Neque enim ait, ipsis : nam unus est Deus. Quid est autem, « Ipsi » gloria, » nisi ipsi optima et summa et late patens fama? Quanto enim melius atque diffusius diffamatur, tanto diligitur et amatur ardentius. Quod cum fit, nihil aliud ab humano genere quam certo et constanti gradu in optimam vitam et beatissimam pergitur. Non arbitror cum de moribus et vita fit quæstio, amplius esse requirendum, quod sit hominis summum bonum, quo referenda sunt omnia. Id enim esse patuit, et ratione quantum valuimus, et ea quæ nostræ rationi antecellit auctoritate divina, nihil aliud quam ipsum Deum. Nam quid erit aliud optimum hominis, nisi cui inhærere est beatissimum? Id autem est solus Deus, cui hærere certe non valemus, nisi dilectione, amore, charitate.

[1] Rom. v, 5. — [2] Id. viii, 20. — [3] Id. xi, 36.

XXV. Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem, ut Temperantia sit amor integrum se præbens ei quod amatur : Fortitudo, amor facile tolerans omnia propter quod amatur : Justitia, amor soli amato serviens, et propterea recte dominans : Prudentia, amor ea quibus adjuvatur ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est, summi boni, summæ sapientiæ summæque concordiæ. Quare definire etiam sic licet, ut Temperantiam dicamus esse, amorem Deo sese integrum incorruptumque servantem : Fortitudinem, amorem omnia propter Deum facile perferentem : Justitiam, amorem Deo tantum servientem, et ob hoc bene imperantem cæteris quæ homini subjecta sunt : Prudentiam, amorem bene discernentem ea quibus adjuvetur in Deum, ab iis quibus impediri potest.

XXVI. His de singulis virtutibus quinam vivendi modus ducatur, paucis explicabo, si prius testimoniis Novi Testamenti, quibus utor jam diu, de Veteri etiam paria, ut pollicitus sum, comparavero. Num enim Paulus tantum dicit : Deo nos esse debere subjunctos [1], ita ut in medio quod separet nihil sit [2] ? Nonne et Propheta commodissime hoc et brevissime significat, cum dicit : « Mihi » autem adhærere Deo bonum est [3] ? » Nonne quod ibi latissime de charitate dictum est, hic uno verbo continetur quod ait : « Inhærere? » Item quod addidit, « bo- » num est, » nonne ad illud respicit, quod ibi positum

[1] 1 Cor. xv, 27. — [2] Rom. viii, 35. — [3] Psal. lxxii, 28.

est : « Diligentibus Deum omnia procedunt in bonum[1] ? » Ita ut una sententiola duobusque verbis Propheta et vim et fructum charitatis ostendat.

XXVII. Cumque ibi dictum sit : Dei Filium[2], Dei Virtutem esse atque Sapientiam[3] : cumque virtus ad operationem, sapientia vero ad disciplinam pertinere intelligatur (unde in Evangelio duo ipsa signantur, cum dicitur : « Omnia per ipsum facta sunt[4], nam hoc operationis atque virtutis est : deinde quod ad disciplinam verique cognitionem attinet : « Et vita, inquit, erat lux homi- » num : ») potuit-ne quidquam magis concinere his testimoniis Novi Testamenti, quam illud quod in Vetere dictum est de Sapientia : « Attingit autem a fine usque in » finem fortiter, et disponit omnia suaviter[5] ? Namque attingere fortiter, magis virtutem significat ; disponere autem suaviter, quasi artem ipsam atque rationem. Sed si hoc videtur obscurum, vide quæ sequuntur : « Et » omnium, inquit, Dominus dilexit illam : doctrix est » enim disciplinæ Dei, et electrix operum illius. » Videtur hic nihil aliud de operatione dictum : non enim hoc est eligere opera, quod operari : ergo hæc ad disciplinam pertinent : opus virtuti debetur, ut sit plena, quam volumus demonstrare, sententia. Lege igitur deinceps quod annexum est. « Quod si honesta est, inquit, possessio, » quæ concupiscitur in vita, quid sapientia est honestius, » quæ omnia operatur ? » Potest-ne quidquam præclarius aut manifestius, aut vero etiam uberius proferri ? Audi aliud, si parum putas, quod idem sonet : « Sobrietatem » enim sapientia docet, inquit, et justitiam et virtutem. » Sobrietas mihi ad ipsam cognitionem veri videtur pertinere, id est, ad disciplinam ; justitia vero et virtus ad actionem atque ad operationem. Quibus duobus, id est,

[1] Rom. VIII, 28. — [2] 1 Cor. I, 24. — [3] Joan. I, 3. — [4] Sap. VII, 1.

agendi efficacia, et sobrietate contemplandi, quæ Dei Virtus et Dei Sapientia, id est, Dei Filius dilectoribus suis donat, quid comparandum sit nescio, cum idem Propheta statim dicat quanti sint ista pendenda : nam ita positum est : « Sobrietatem enim sapientia docet, et jus-» titiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita ho-» minibus [1]. »

XXVIII. Hæc fortasse quispiam non de Filio Dei dicta esse arbitretur. Quid ergo aliud ostendit quod dictum est : « Generositatem magnificat, contubernium habens Dei [2] ? » An vero generositas solet significare aliud quam parentes? Contubernium vero nonne cum ipso Patre æqualitatem clamat atque asserit? Deinde cum Paulus dicat : Filium Dei esse Dei Sapientiam [3]; et ipse Dominus : « Nemo novit Patrem, nisi unigenitus Filius [4] ; » quid potuit a Propheta congruentius dici, quam illud quod dictum est : « Et te-» cum sapientia quæ novit opera tua, quæ affuit tunc » cum orbem terrarum faceres, et sciebat quid placiturum » esset oculis tuis [5] ? » Quod autem Christus est Veritas, quod idem ostenditur cum Splendor Patris nuncupatur [6], non est enim quidquam in circuitu solis, nisi splendor ipse quem gignit? Quid ergo potuit apertius et clarius ex Vetere Testamento huic sententiæ consonare, quam illud quod dictum est : « Veritas tua in circuitu tuo [7] ? » Postremo dicit ipsa Sapientia in Evangelio : « Nemo venit ad Pa-» trem, nisi per me [8] : » dicit Propheta : « Sensum tuum » ergo quis scit, nisi tu dederis sapientiam? » Et paulo post : « Et quæ tibi placent, didicerunt homines, et per » sapientiam sanati sunt [9]. »

XXIX. Dicit Paulus : « Charitas Dei diffusa est in cor-

[1] Vide I Retract. cap. VII,, n. 3. — [2] Sap. VIII, 3. — [3] 1 Cor. I, 24. — [4] Matth. XI, 27. — [5] Sap. IX, 9. — [6] Hebr. I, 3. — [7] Psal. LXXXVIII, 9. — [8] Joan. XIV, 17. — [9] Sap. IX, 17.

» dibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis[1]: » Dicit Propheta : « Sanctus enim Spiritus disciplinæ effu- » giet dolum[2]. » Ubi enim dolus, charitas nulla est. Dicit Paulus : « Conformes fieri nos imaginis Filii Dei[3] : » dicit Propheta : «Signatum est super nos lumen vultus tui, Do- » mine[4]. » Ostendit Paulus Deum esse Spiritum sanctum, et ideo non esse creaturam : dicit Propheta : « Et miseris » Spiritum sanctum de altissimis[5]. » Solus enim Deus altissimus, quo nihil est altius. Ostendit Paulus Trinitatem istam unum Deum esse, cum dicit: «Ipsi gloria[6]. » dicitur in Veteri Testamento : « Audi, Israël, Dominus Deus » tuus, Deus unus est[7]. »

XXX. Quid vultis amplius ? Quid imperite atque impie sævitis ? Quid indoctas animas noxia suasione pervertitis ? Utriusque Testamenti Deus unus est. Nam ut ista sibi congruunt, quæ de utroque posuimus ; ita etiam cætera, si diligenter et æquo judicio velitis attendere. Sed quia multa dicuntur submissius, et humi repentibus animis accommodatius, ut per humana in divina consurgant ; multa etiam figurate, ut studiosa mens et quæsitis exerceatur utilius, et uberius lætetur inventis vos mirifica dispositione Spiritus sancti, ad decipiendos vestros auditores et illaqueandos abutimini. Quod ipsum cur divina providentia vos facere sinat, quamque verissime Apostolus dixerit : « Oportet multas hæreses esse, ut probati manifesti » fiant inter vos[8], » et longum est disputare, et quod dicendum est vobis : Non est vestrum ista intelligere. Non parum mihi cogniti estis. Crassas omnino mentes et corporeorum simulacrorum pestifero pastu morbidas ad divina judicanda defertis, quæ multo altiora sunt quam putatis.

[1] Rom. v, 5. — [2] Sap. i, 5. — [3] Rom. viii, 9. — 4 Psal. iv, 7. — [5] Sap. ix, 17. — [6] Rom. xi, 36. — 7 Deut. vi, 4. — [8] 1 Cor. xi, 19.

XXXI. Quare vobiscum modo sic agendum est, non ut ea jam intelligatis, quod fieri non potest; sed ut intelligere aliquando cupiatis. Facit enim hoc simplex et pura charitas Dei, quæ maxime spectatur in moribus, de qua multa jam diximus : quæ inspirata Spiritu sancto perducit ad Filium, id est, ad Sapientiam Dei, per quam Pater ipse cognoscitur. Nam si sapientia et veritas non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. At si ita quæratur, ut dignum est, subtrahere sese atque abscondere a suis dilectoribus non potest. Hinc est illud, quod in ore habere etiam vos soletis, quod ait : « Petite, » et accipietis : quærite, et invenietis : pulsate, et ape» rietur vobis. Nil est occultum, quod non revelabitur [1].» Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanetur. Ab hoc amore sapientiæ diligentiaque quærendi, non deterremur Veteri Testamento, quod semper mendacissime dicitis, sed ad hæc vehementissime concitamur.

XXXII. Audite itaque aliquando, et advertite quæso sine pertinacia quid per Prophetam dicatur : « Clara est, » inquit, et quæ nunquam marcescat sapientia, et facile » videtur ab iis qui diligunt illam, et invenitur ab iis qui » quærunt illam, præoccupat qui se concupiscunt, ut illis » se ostendat. Qui vigilaverit ad illam, non laborabit : » assidentem enim illam inveniet foribus suis. Cogitare » enim de illa, sensus est consummatus : et qui vigilave» rit propter illam, cito erit securus : quia dignos se ipsa » circuit quærens, et in viis ostendit se illis hilariter, et » omni providentia occurrit illis. Initium enim illius ve» rissimum disciplinæ concupiscentia est. Cura ergo dis» ciplinæ dilectio est, et dilectio custoditio legum illius

[1] Matth. VII, 7, et X, 26.

» est. Custoditio autem legum, confirmatio incorruptionis » est : incorruptio autem facit proximum Deo. Concupis- » centia itaque sapientiæ deducit ad regnum[1]. » Ita-ne tandem adhuc adversum ista latrabitis ? Nonne ita posita et nondum intellecta, cuivis significant altum se quiddam et ineffabile continere ? O utinam possetis intelligere quæ dicta sunt? Confestim abjiceretis omnes ineptias fabellarum, et vanissimas imaginationes corporum, totosque vos magna alacritate, sincero amore, firmissima fide, sanctissimo Ecclesiæ catholicæ gremio conderetis.

XXXIII. Poteram pro mea mediocritate discutere singula, et eruere ac demonstrare quæ accepi, in quorum excellentia et altitudine plerumque verba deficiunt : sed quandiu latratis, non est faciendum. Non enim frustra dictum est : « Nolite sanctum dare canibus[2]. » Ne succenseatis. Et ego latravi et canis fui, quando mecum jure non docendi cibo, sed refellendi fustibus agebatur. Si autem in vobis esset charitas, de qua nunc agitur, vel etiam si fuerit aliquando, quantam cognoscendæ veritatis magnitudo desiderat, aderit Deus qui ostendat vobis neque apud Manichæos esse christianam fidem, quæ ad summum apicem sapientiæ veritatisque perducit, qua perfrui, nihil est aliud nisi beate vivere, neque esse uspiam, nisi in catholica disciplina. Quid enim aliud videtur apostolus Paulus optare, cum dicit : « Hujus rei gratia flecto genua » mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, a quo omnis » paternitas in cœlis et in terra nominatur, ut det vobis » secundum divitias gloriæ suæ fortitudinem, corroborari » per Spiritum in interiori homine, habitare Christum » per fidem in cordibus vestris : ut in charitate radicati et » fundati, possitis comprehendere cum omnibus sanctis, » quæ sit altitudo, et longitudo, et latitudo, et profundum :

[1] Sap. VI, 13-21. — [2] Matth. VII, 6.

» cognoscere etiam supereminentem scientiæ charitatem » Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei[1] ? » Potest-ne quidquam dici manifestius?

XXXIV. Obsecro vigilate paululum, videte Testamenti utriusque concordiam, qui sit in moribus vitæ modus, et quo sint referenda omnia, satis aperientem et docentem. Amorem Dei concitant Evangelia, cum dicitur : « Petite, » quærite, pulsate[2] : » concitat Paulus dicendo : « Ut in » charitate radicati et fundati, possitis comprehendere[3] : » concitat etiam Propheta, cum dicit, facile sapientiam ab iis qui eam diligunt, quærunt, concupiscunt, vigilant, cogitant, curant, posse cognosci. Salus animi et via beatitudinis utrarumque Scripturarum pace monstratur, et vos latrare potius adversus hæc, quam his obtemperare diligitis. Brevi dicam quod sentio[4] : « Audite doctos Ecclesiæ catholicæ viros tanta pace animi, et eo voto vos ego audivi ; nihil opus erit novem annis quibus me ludificastis. Longe omnino, longe breviore tempore, quid intersit inter veritatem vanitatemque cernetis. »

XXXV. Sed tempus est ad illas virtutes quatuor reverti, et ex his singulis eruere ac ducere vivendi modum. Itaque prius temperantiam videamus, quæ nobis amoris illius quo innectimur Deo, integritatem quamdam et incorruptionem pollicetur. Munus enim ejus est in coërcendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos avertunt a legibus Dei et a fructu bonitatis ejus : quod est, ut brevi explicem, beata vita. Ibi enim est sedes veritatis, cujus contemplatione perfruentes, eique penitus adhærentes, procul dubio beati sumus : inde autem decidentes, magnis erroribus doloribusque implicamur. Namque, ut

[1] Ephes. III, 14 et 18. — [2] Matth. VII, 7. — [3] Ephes. III, 17 — [4] Augustinus novem annis Manichæus ab anno ætatis 19 ad 28. Vide infra, lib. II, et Confess. lib. IV, cap 1.

ait Apostolus : « Radix omnium malorum cupiditas, quam » quidam sequentes, naufragaverunt a fide, et inserue- » runt se doloribus multis[1]. » Quod peccatum animæ in Veteri Testamento satis aperte, bene intelligentibus, in ipsius hominis qui erat in paradiso prævaricatione signatur. « In Adam quippe omnes morimur, ut ait idem, et in » Christo omnes resurgemus[2]. » O alta mysteria? Sed reprimam me. Non enim modo suscepi docere vos recta, sed dedocere prava, si potero, id est, si Deus annuerit proposito in vos meo.

XXXVI. Dicit ergo Paulus, radicem omnium malorum esse cupiditatem, per quam etiam Lex vetus primum hominem lapsum esse significat. Monet Paulus ut exuamus nos veterem hominem, et induamus novum[3]. Vult autem intelligi Adam qui peccavit, veterem hominem; illum autem quem suscepit in sacramento Dei Filius ad nos liberandos, novum. Dicit namque alio loco : « Primus » homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœ- » lestis. Qualis terrenus, tales et terreni; qualis cœlestis, » tales et cœlestes. Sicut portavimus imaginem terreni, » portemus et imaginem cœlestis[4] : » hoc est, exuite veterem, et induite novum. Omne igitur officium temperantiæ, est exuere veterem hominem, et in Deo renovari, id est, contemnere omnes corporeas illecebras, laudemque popularem, totumque amorem ad invisibilia et divina conferre. Unde illud sequitur quod mirifice dictum est : « Si et ex- » terior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur » de die in diem[5]. » Audi et Prophetam canentem : « Cor » mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova » in visceribus meis[6]. » Quid contra istam convenientiam dici, nisi a cæcis latratoribus potest?

[1] Tim. VI, 10. — [2] 1 Cor. XV 22. — [3] Coloss. III, 9. — [4] 1 Cor. XV, 47. — [5] 2 Cor. IV, 16. — [6] Psal. L, 12.

XXXVII. Illecebræ autem corporis sitæ sunt in his omnibus, quæ corporeus sensus attingit, quæ a nonnullis etiam sensibilia nominantur : in quibus maxime lux ista vulgaris excellit, quia et in ipsis sensibus nostris, quibus anima per corpus utitur, nihil est oculis præferendum : et ideo in Scripturis sanctis, visibilium nomine sensibilia cuncta significantur. Itaque in Novo Testamento sic ab istorum amore prohibemur : « Non respicientes, inquit, » quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim viden» tur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna[1]. » Ex quo intelligi potest, quam Christiani non sint[2] qui solem et lunam non modo diligendos, sed etiam colendos putant. Quid enim videmus, si solem et lunam non videmus? Vetiti autem sumus converti ad ea quæ videntur. Non sunt igitur etiam ista diligenda ei, qui amorem illum incorruptum Deo cogitat exhibere. Sed erit mihi alius locus, quo de istis diligentius requiretur. Non enim nunc de fide, sed de vita dicere institui, per quam meremur scire quod credimus. Amandus igitur solus Deus est : omnis vero iste mundus, id est, omnia sensibilia contemnenda : utendum autem his ad hujus vitæ necessitatem.

XXXVIII. Gloria vero popularis sic in Novo Testamento abjicitur atque contemnitur : « Si hominibus, inquit, pla» cere vellem, Christi servus non essem[3]. Est item aliud quod de corporibus per imaginationes quasdam concipit anima, et eam vocat rerum scientiam. Quamobrem recte etiam curiosi esse prohibemur, quod magnum temperantiæ munus est. Hinc illud est : « Cavete ne quis vos sedu» cat per philosophiam[4]. » Et quia ipsum nomen philosophiæ si consideretur, rem magnam totoque animo appetendam significat, si quidem philosophia est amor stu-

[1] 2 Cor. IV, 18. — [2] Manichæi. — [3] Gal. I, 10. — [4] Coloss. II, 8.

diumque sapientiæ, cautissime Apostolus ne ab amore sapientiæ deterrere videretur, subjecit: « Et elementa » hujus mundi. » Sunt enim qui desertis virtutibus, et nescientes quid sit Deus, et quanta majestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissime intentissimeque perquirant. Unde tanta etiam superbia gignitur, ut in ipso cœlo, de quo sæpe disputant, sibimet habitare videantur. Reprimat igitur se anima ab hujusmodi vanæ cognitionis cupiditate, si se castam Deo servare disposuit. Tali enim amore plerumque decipitur, ut aut nihil putet esse, nisi corpus; aut etiamsi auctoritate commota, fateatur aliquid esse incorporeum: de illo tamen nisi per imagines corporeas cogitare non possit, et tale aliquid esse credere, quale fallax corporis sensus infligit. Ad hoc etiam valet quod præcipitur cavendum esse a simulacris.

XXXIX. Huic ergo auctoritati Novi Testamenti, qua jubemur nihil mundi hujus diligere[1], illa maxime sententia qua dictum est: « Nolite conformari huic mundo[2]: » simul enim demonstrandum est ei rei quemque conformari quam diligit. Huic ergo auctoritati si de Veteri Testamento quæram quid comparem, plura quidem invenio, sed unus Salomonis liber, Ecclesiastes qui dicitur, copiosissime in summum contemptum omnia ista perducit. Incipit enim sic: « Vanitas vanitantium, dixit Ecclesiastes, vanitas va- » nitantium, et omnia vanitas. Quæ abundantia homini » in omni labore suo, quem ipse laborat sub sole[3]? » Hæc verba omnia si attendantur, si perpendantur, si discutiantur, multa inveniuntur pernecessaria iis qui hunc mundum fugere, et refugere in Deum desiderant: sed

[1] Joan. II, 15. — [2] Rom. XII, 2 — [3] Eccle. I, 2. — [4] I Retract. cap. VII, n. 3.

longum est, et alio festinat oratio. Tali tamen principio constituto, exequitur omnia, vanitantes esse eos qui rebus hujusmodi falluntur. Idipsum autem quo falluntur vanitatem vocans, non quod Deus ista non creaverit, sed quia subjicere se homines volunt iis rebus per peccata, quæ illis per recte facta divina lege subjectæ sunt. Quid est enim aliud, falsis bonis illudi atque decipi, quam te ipso inferiora, miranda et appetenda arbitrari? Habet igitur vir temperans in hujuscemodi rebus mortalibus et fluentibus, vitæ regulam utroque Testamento firmatam; ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem quantum sat est usurpet, utentis modestia, non amantis affectu. Hæc dicta sint de temperantia pro rerum magnitudine breviter; pro instituto tamen opere fortasse opiosius quam oportebat.

XL. De fortitudine vero non multa dicenda sunt. Amor namque ille de quo loquimur, quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur. Sed inter omnia quæ in hac vita possidentur, corpus homini gravissimum vinculum est, justissimis Dei legibus, propter antiquum peccatum, quo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. Hoc ergo vinculum ne concutiatur atque vexetur, laboris et doloris; ne auferatur atque perimatur, mortis terrore animam quatit. Amat enim illud vi consuetudinis, non intelligens, si eo bene atque scienter utatur, resurrectionem reformationemque ejus ope ac lege divina sine ulla molestia juri suo subditam fore: sed cum se hoc amore tota in Deum converterit, his cognitis mortem non modo contemnet, verumetiam desiderabit.

XLI. Sed restat cum dolore magna conflictio. Nihil est

tamen tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cum se anima rapiet in Deum, super omnem carnificinam libera et admiranda volitabit pennis pulcherrimis et integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor castus innititur. Nisi vero amatores auri, amatores laudis, amatores fœminarum, amatoribus suis Deus sinet esse fortiores; cum ille non amor, sed congruentius cupiditas vel libido nominetur. In qua tamen apparet quantus sit impetus animi ad ea quæ diliguntur indefesso cursu per immania quæque tendentis, argumentoque nobis est, quam sint omnia perferenda, ne deseramus Deum, si tanta illi ut deserant, perferunt.

XLII. Quid ergo hic Novi Testamenti auctoritates colligam, ubi dictum est : « Tribulatio patientiam operatur, » patientia probationem, probatio spem[1] : » et non solum dictum, sed etiam exemplis eorum, qui dixerunt, probatum atque firmatum, de Veteri potius Testamento, in quod illi rabide sæviunt, excitabo exemplum patientiæ. Neque illum memorabo virum, a quo in magnis cruciatibus corporis et horribili tabe membrorum, non modo sustinentur humana, sed divina etiam disputantur. In cujus singulis vocibus satis elucet, si quis æquo animo attendat, quanti pendenda sint ista, quæ cum volunt homines per dominationem tenere, ab his ipsis potius per cupiditatem tenentur, et rerum mortalium servi fiunt dum imperite domini esse desiderant. Amisit namque ille omnes divitias[2], et factus repente pauperrimus, tam inconcussum animum tenuit et infixum Deo, ut satis demonstraret non illas sibi fuisse magnas, sed se illis, sibi autem Deum. Quo animo si esse possent nostri temporis homines, non magnopere in Novo Testamento ab istorum possessione prohiberemur, ut perfecti esse possemus. Multo enim mirabilius est, non

[1] Rom. III, 32. — [2] Job, I, 9.

inhærere istis quamvis possideas, quam omnino ea non possidere.

XLIII. Sed quoniam de dolore atque cruciatibus corporis tolerandis nunc agitur, relinquo istum virum, licet magnum, licet invictum, virum tamen. Offerunt enim mihi Scripturæ illæ stupendæ fortitudinis fœminam[1], et ad eam jam me transire compellunt. Quæ cum septem liberis tyranno atque carnifici prius viscera omnia, quam unum verbum sacrilegum impendit : cum ejus hortatione filii roborarentur, in quorum membris ipso torquebatur, latura tamen etiam proprio munere, quod eos ferre præceperat. Quid ad tantam patientiam, quæso, addi potest? Quid tamen mirum si omnibus medullis conceptus Dei amor, et tyranno, et carnifici, et dolori, et corpori, et sexui, et affectui resistebat? Annon audierat : « Pretiosa » in conspectu Domini mors sanctorum ejus[2]? » Non audierat : « Melior vir patiens fortissimo[3]? » Non audierat : « Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe ; et in dolore » sustine, et in humilitate tua habe patientiam : quoniam » in igne probatur aurum et argumentum[4]? » Non audierat : « Vasa figuli probat fornax, et homines justos » tentatio tribulationis[5]? » Imo vere et hæc et alia plura perceperat, quæ uno sancto Dei Spiritu, ut in istis Novi Testamenti, sic in illis, qui soli adhuc erant, libris divina præcepta fortitudinis conscripta sunt.

XLIV. Quid de justitia quæ ad Deum pertinet? Nonne cum et Dominus dicat : « Non potestis duobus dominis ser- » vire[6], » et Apostolus redarguat eos[7], qui creaturæ potius quam Creatori serviunt, in Veteri Testamento prius dictum est : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli ser- vies[8]? » Sed quid opus est hinc plura dicere, cum sententiis

[1] 2 Mac. VII, 1. — [2] Psal. CXV, 15. — [3] Prov. XVI, 32. — [4] Eccli II, 4 et 5. — [5] Id. XXVII, 6. — [6] Matth. VI, 24. — [7] Rom. I, 25. — [8] Deut, VI, 13.

talibus ibi plena sint omnia ? Hanc ergo justitia vitæ regulam dabit huic amatori, de quo sermo est, ut Deo quem diligit, id est, summo bono, summæ sapientiæ, summæ paci libentissime serviat; cæteraque omnia partim subjecta sibi regat, partim subjicienda præsumat. Quæ norma vivendi, ut docuimus, utriusque Testamenti auctoritate roboratur.

XLV. Nec de prudentia diutius disserendum est, ad quam dignoscentia pertinet appetendorum et vitandorum. Quæ si desit, nihil eorum de quibus jam dictum est, effici potest. Hujus autem, sunt excubiæ atque diligentissima vigilantia, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur: unde sæpe Dominus: « Vigilate, clamat, et : Ambulate, » inquit, dum lumen habetis, ne vos tenebræ comprehen» dant[1]. » Itemque dicitur : « Nescitis quia modicum fer» mentum totam massam corrumpit[2] ? » Quid autem proferri manifestius de Veteri Testamento contra istam dormitationem animi potest, per quam fit ut non sentiamus quasi minutatim serpentem perniciem quam illud quod a Propheta dictum est : «Qui spernit modica, paulatim decidet?» De qua sententia, si opportunum esset festinantibus, copiosissime disputarem : atque id si a nobis nunc susceptum munus flagitaret, fortasse demonstraremus; quam sint alta mysteria, quæ imperitissimi et sacrilegi homines deridendo, non illi quidem paulatim jam decidunt, sed magno lapsu præcipites eunt.

XLVI. Quid amplius de moribus disputem? Si enim Deus est summum hominis bonum, quod negare non potestis; sequitur profecto, quoniam summum bonum appetere, est bene vivere, ut nihil sit aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere: a quo existit, ut incorruptus in eo amor atque integer

[1] Matth. XXIV, 42, et Joan. XII, 35. — [2] 1 Cor. V, 6. — [3] Eccli. XIX, 1.

custodiatur, quod est temperantiæ; et nullis frangatur incommodis, quod est fortitudinis; nulli alii serviat, quod est justitiæ; vigilet in discernendis rebus, ne fallacia paulatim dolusve subrepat, quod est prudentiæ. Hæc est hominis una perfectio, qua sola impetrat ut veritatis sinceritate perfruatur: hæc nobis Testamento utroque concinitur, hæc nobis hinc atque inde suadetur. Quid adhuc Scripturis, quas ignoratis, calumniamini? Nescitis quanta imperitia lacessatis libros, quos et soli reprehendunt, qui non intelligunt; et soli intelligere nequeunt, qui reprehendunt? Non enim eos aut ullus inimicus cognoscere sinitur, aut esse nisi amicus cognitis potest.

XLVII. Diligamus igitur Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, quicumque ad vitam æternam pervenire proposuimus. Vita enim æterna est totum præmium, cujus promissione gaudemus : nec præmium potest præcedere merita, priusque homini dari quam dignus est. Quid enim hoc injustius, et quid justius Deo? Non ergo debemus poscere præmium antequam mereamur accipere. Hic fortasse non incongrue quæritur, æterna ipsa vita quid sit. Sed ejus largitorem potius audiamus. « Hæc est, » inquit, vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, » et quem misisti Jesum Christum[1].» Æterna igitur vita est ipsa cognitio veritatis. Quamobrem videte quam sint perversi atque præposteri, qui sese arbitrantur Dei cognitionem tradere, ut perfecti simus, cum perfectorum ipsa sit præmium. Quid ergo agendum est, quid quæso, nisi ut eum ipsum quem cognoscere volumus, prius plena charitate diligamus? Unde illud exoritur, quod ab initio satagimus, nihil in Ecclesia catholica salubrius fieri[2], quam ut rationem præcedat auctoritas.

XLVIII. Sed cætera videamus : videtur enim de homine

[1] Joan. XVII, 3. — [2] 1 Retract. cap. VII, n. 4.

ipso, id est, de amatore ipso nihil actum : sed parum dilucide qui hoc arbitratur intelligit. Non enim fieri potest, ut se ipsum, qui Deum diligit, non diligat : imovero solus se novit diligere, qui Deum diligit. Si quidem ille se satis diligit, qui sedulo agit, ut summo et vero perfruatur bono : quod si nihil est aliud quam Deus, sicut ea quæ dicta sunt docuerunt, quis cunctari potest, quin sese amet, qui amator est Dei ? Quid, inter ipsos homines nullum-ne esse amoris vinculum debet ? Imovero ita debet, ut nullus certior gradus ad amorem Dei fieri posse credatur, quam hominis erga hominem charitas.

XLIX. Promat nobis ergo alterum præceptum ipse Dominus, de vitæ præceptis interrogatus : non enim contentus fuit uno, qui sciret aliud Deum esse, aliud hominem : atque interesse tantum, quantum inter eum qui creavit, et id quod ad Creatoris similitudinem creatum est. Dicit ergo secundum præceptum esse : « Diliges proximum tuum » tanquam te ipsum [1]. » Te autem ipsum salubriter diligis, si plus quam te diligis Deum. Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo est, hoc est, ut ipse etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam te ipsum, si non ad id bonum ad quod ipse tendis, adducere satagis. Illud est enim unum bonum, quod omnibus tecum tendentibus non fit angustum. Ex hoc præcepto nascuntur officia societatis humanæ, in quibus non errare difficile est. Agendum autem imprimis est, ut benevoli simus, id est, ut nulla malitia, nullo dolo malo adversus hominem utemur. Quid enim homini homine propinquius ?

L. Accipe etiam quid Paulus dicat : « Dilectio, inquit, » proximi, malum non operatur [2]. » Brevissimis utor testimoniis, sed, nisi fallor, idoneis, et quibus susceptæ rei

[1] Matth. xxiv, 39. — [2] Rom. xiii, 1.

satis fiat : nam quis ignorat quam multa, et quanti ponderis verba in illis libris de charitate proximi usquequaque diffusa sint? Sed cum duobus modis peccetur in homine, uno si lædatur, alio si cum potest non adjuvetur ; eaque ipsa sint quibus mali homines esse dicantur, quorum neutrum, qui diligit, facit : satis, opinor, quod volumus demonstrat ista sententia : « Dilectio proximi malum non » operatur. » Et si ad bona pervenire non possumus, nisi mala operari destiterimus, ista sunt quasi cunabula charitatis Dei, quibus diligimus proximum : ut quoniam « Di- » lectio proximi malum non operatur, » hinc ad illud ascendamus quod dictum est : « Scimus quoniam diligenti- » bus Deum omnia procedunt in bonum[1]. »

LI. Sed nescio quomodo aut pariter ista in plenitudinem perfectionemque consurgunt, aut inchoatur prius Dei amor, et prius perficitur proximi. Ad incipiendum enim citius nos fortasse in se divina charitas rapit, sed facilius minora perficimus. Quoquo modo autem res se habeat, illud maxime tenendum est, ne se quisquam credat, contempto proximo, ab beatitudinem et ad Deum quem diligit esse venturum. Atque utinam ut facile est bene instituto et benigno diligere proximum, ita facile esset vel consulere, vel nihil nocere. Non enim ad hæc satis est voluntas bona, sed opus est magna quadam ratione atque prudentia, qua nemo uti potest, nisi Deus ille fons omnium bonorum id tribuerit. De qua re, quantum arbitror, difficillima, tentabimus dicere pro suscepto opere pauca quædam, spem totam constituentes in eo, cujus solius ista dona sunt.

LII. Homo igitur ut homini apparet, anima rationalis est mortali atque terreno utens corpore. Partim ergo corpori, partim vero animæ hominis bene facit, qui proxi-

1 Rom. xxvii, 28.

mum diligit. Ad corpus quod pertinet, medicina nominata est : ad animam autem, disciplina. Sed medicinam nunc voco, quidquid omnino corporis vel tuetur vel instaurat salutem. Ad hanc itaque pertinent, non ea tantum quæ ars eorum exhibet, qui proprie medici nominantur ; sed etiam cibus et potus tegmen et tectum, defensio denique omnis atque munitio, qua nostrum corpus adversus etiam externos ictus casusque servatur : nam et fames, et sitis, et frigus, et æstus, et quidquid extrinsecus graviter infligitur, salutem, de qua nunc agitur, manere non sinunt.

LIII. Quare illa omnia, quibus hujuscemodi malis incommodisve resistitur, qui officiose atque humaniter præbent, misericordes vocantur, etiamsi sapientes usque adeo sint, ut jam nullo animi dolore turbentur[1]. Nam quis ignoret ex eo appellatam esse misericordiam, quod miserum cor faciat condolentis alieno malo? Et quis non concedat ab omni miseria liberum esse debere sapientem, cum subvenit inopi, cum usurienti cibum præstat potumque sitienti, cum vestit nudum, cum peregrinum tecto recipit, cum oppressum liberat, cum denique humanitatem suam usque ad sepulturam porrigit mortuorum? Etiamsi id faciat mente tranquilla, nullis aculeis doloris instinctus, sed adductus officio bonitatis, misericors tamen vocandus est. Huic enim nihil obest nomen, cum absit miseria.

LIV. Stulti vero cum misericordiam quasi vitium devitant, quia officio satis moveri nequeunt, si nec perturbatione commoventur, congelascunt potius rigore inhumanitatis, quam rationis tranquillitate serenantur. Itaque multo prudentius Deus etiam ipse misericors dicitur : qui quemadmodum dicatur, restat intelligere iis qui sese idoneos religione studioque præstiterint : ne cum verbis doctorum inepte utimur, indoctorum animas prius durescere

[1] Vide 1 Retract. cap. VII, n. 4.

vitando misericordiam, quam benignitatem appeten domitescere faciamus. Atque ut misericordia jubet, ista nos ab homine pellere incommoda, sic innocentia prohibet inferre.

LV. Quod autem attinet ad disciplinam, per quam ipsi animo sanitas instauratur, quæ si absit, nihil ad depellendas miserias salus illa corporis valet, difficillima omnino res est. Atque ut in corpore dicebamus, aliud esse morbos et vulnera curare, quod pauci homines bene facere possunt; aliud autem famem sitimque sopire, et cætera in quibus subvenire hominem homini vulgo passimque conceditur: sic in animo sunt quædam, in quibus excellentia illa et rara magisteria non admodum desiderantur: ut cum hortamur et monemus, ut hæc ipsa indigentibus exhibeantur, quæ corpori exhibenda esse diximus. Cum enim hæc facimus, ope corpori; cum autem docemus ut fiant, disciplina animo subvenimus. Sunt vero alia, quibus multimodi variique morbi animorum, magna quadam et prorsus ineffabili ratione sanantur: quæ medicina nisi divinitus populis mitteretur, nulla spes salutis esset, tam immoderata progressione peccantibus: quanquam et illa corporis, si altius rerum originem repetas, non invenitur unde ad homines manare potuerit, nisi a Deo, cui rerum omnium status salusque tribuenda est.

LVI. Hæc tamen disciplina de qua nunc agimus, quæ animi medicina est, quantum Scripturis ipsis divinis colligi licet, in duo distribuitur; coërcitionem et instructionem. Coërcitio timore, instructio vero amore perficitur, ejus dico cui per disciplinam subvenitur: nam qui subvenit, nihil horum duorum habet, nisi amare. In his duobus Deus ipse, cujus bonitate atque clementia fit omnino ut aliquid simus, duobus Testamentis Vetere et Novo disciplinæ nobis regulam dedit. Quanquam enim utrumque in utroque sit, prævalet tamen in Vetere timor, amor in

Novo : quæ ibi servitus, hic libertas ab Apostolis prædicatur. De quorum Testamentorum admirabili quodam ordine divinoque concentu, longissimum est dicere, et multi religiosi doctique dixerunt. Multos libros res ista flagitat, ut pro merito, quantum ab homine potest, explicari et prædicari queat. Qui ergo diligit proximum, agit quantum potest ut salvus corpore salvusque animo sit : sed cura corporis ad sanitatem animi referenda est. Agit ergo his gradibus, quod ad animum pertinet, ut primo timeat, deinde diligat Deum. Hi mores sunt optimi, per quos nobis etiam ipsa provenit, ad quam omni studio rapimur, agnitio veritatis.

LVII. Atque in his duobus convenit mihi cum Manichæis, id est, ut Deum et proximum diligamus : sed hoc Veteri Testamento negant contineri : in quo quantum errent, satis, ut opinor, apparet ex iis, quas superius protulimus de utroque sententiis. Verumtamen ut breve aliquid dicam, sed tale cui resistere sit meræ dementiæ, nonne animadvertunt hæc ipsa duo, quæ laudare coguntur, quam importunissime a Domino in Evangelio de Vetere Testamento esse prolata negent, ubi scriptum est : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex » tota anima tua, et ex tota mente tua : » vel illud alterum : « Diliges proximum tuum tanquam te ipsum[1]? » Aut si hæc negare non audent, (premuntur enim luce veritatis) illud negare audeant, salubria esse ista præcepta, his mores optimos contineri negent si possunt, et dicant non oportere Deum diligi, non oportere proximum diligi ; neque diligentibus Deum omnia procedere in bonum, neque dilectionem proximi malum non operari[2] ; quibus duobus saluberrime atque optime humana vita disponitur.

[1] Deut. vi, 5. Matth. xxii, 37. Levit. xix, 18. — [2] Rom. viii, 28, et xiii, 10.

Quæ si dicunt, non solum illis cum Christianis, sed nec cum hominibus quidem ratio est. Sin hæc dicere non audent, cogunturque confiteri esse divina, quid eos libros unde ista prolata sunt impietate nefaria lacessere atque improbare non desinunt?

LVIII. An illud dicturi sunt, non esse consequens, ut omnia ibi bona sint, ubi hæc invenire potuimus? nam hoc solent dicere. Cui ego tergiversationi quid respondeam, et quemadmodum occurram, non facile video. Discutiam-ne verba singula Veteris Testamenti, ut in his summam cum Evangelio esse concordiam pervicacibus indoctisque demonstrem? Sed quando istud erit? quando aut ego sufficiam, aut ipsi patientur? Quid ergo faciam? Deseram-ne causam, et eos in sententia quamvis improba et falsa, tamen difficili ad dissolvendum delitescere sinam? Non faciam: aderit de proximo Deus ipse, cujus illa præcepta sunt; nec me in tantis angustiis inopem ac desertum esse patietur.

LIX. Quamobrem adestote animis, Manichæi, si qui forte illa superstitione ita tenemini, ut evadere aliquando possitis. Adestote, inquam, sine pertinacia, sine studio resistendi: nam aliter vobis perniciosissimum est judicare. Certe enim nemini dubium est, nec aversi vos ita estis a vero, ut non intelligatis, si diligere Deum et proximum, bonum est, quod negare nemo potest, quidquid in his duobus præceptis pendet, vituperari jure non posse. Quid ergo in iis pendeat, ridiculum est si a me quærendum esse putas: ipsum Christum audi, audi, inquam, Christum, audi Dei Sapientiam. « In his, inquit, » duobus præceptis tota Lex pendet, et omnes Pro» phetæ[1]. »

LX. Quid hoc loco potest dicere impudentissima perti-

[1] Matth. XXII, 40.

nacia? Non hoc Christum dixisse? At in Evangelio verba ejus ista conscripta sunt. Falsum esse scriptum? Quid hoc sacrilegio magis impium reperiri potest? quid ista voce impudentius? quid audacius? quid sceleratius? Simulacrorum cultores, qui Christi etiam nomen oderunt, nunquam hoc adversus Scripturas illas ausi sunt dicere. Consequetur namque omnium litterarum summa perversio, et omnium qui memoriæ mandati sunt librorum abolitio, si quod tanta populorum religione roboratum est, tanta hominum et temporum consensione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne historiæ quidem vulgaris fidem possit gravitatemque obtinere. Postremo quid de Scripturis ullis proferre poteris, ubi mihi uti hac voce non liceat, si contra meam ratiocinationem intentionemque proferatur?

LXI. Illud vero quis ferre possit, quod nos notissimis ac jam in manibus omnium libris constitutis credere vetant, et iis quæ ipsi proferunt, imperant ut credamus? Si de Scriptura dubitandum est, de qua magis quam quæ diffamari non meruit, quæve potuit sub nomine alio tota mentiri? Si istam obdis invito, et auctoritatis exaggeratione cogis in fidem; ego-ne de illa, quam constanter latissime divulgatam video, et Ecclesiarum per totum orbem dispersarum contestatione munitam, dubitabo miser, et quod est miserius, te auctore dubitabo? Cum si exemplaria proferres altera, tenere non deberem, nisi ea quæ plurium consensione commendarentur, nunc nihil te proferente quod conferas, præter inanissimam vocem temeritatisque plenissimam, putabis usque adeo genus humanum esse perversum, et divinæ providentiæ ope desertum, ut illis Scripturis, non a te prolatas alias quibus redarguantur, sed tua tantum verba præponat? Proferendus est namque tibi alius codex eadem continens, sed

tamen incorruptus et verior, ubi sola desint ea quæ hic immissa esse criminaris. Ut si verbi causa, Pauli Epistolam, quæ ad Romanos scripta est, corruptam esse contendis, aliam proferas incorruptam, vel alium codicem potius, in quo ejusdem Apostoli eadem Epistola sincera et incorrupta conscripta sit. Non faciam, inquis, ne ipse corrupisse credam, hoc enim soletis dicere; et verum dicitis: nihil prorsus aliud suspicabuntur vel mediocriter cordati homines, si hoc feceris. Vide ergo tu ipse quid de auctoritate tua judicaveris: et intellige utrum tuis verbis contra illas Scripturas credere debeant, si codici, ob hoc solum quod abs te profertur, magnæ temeritatis est credere.

LXII. Sed quid hinc plura? Quis enim non videat eos qui contra Scripturas christianas hæc audent dicere, ut illud non sint quod homines suspicantur, certe tamen non esse Christianos? Nam Christianis hæc data est forma vivendi, ut diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente [1], deinde proximum nostrum tanquam nosmetipsos: « In his enim duo» bus præceptis tota Lex pendet, et omnes Prophetæ [2]. » Merito Ecclesia catholica mater Christianorum verissima, non solum ipsum Deum, cujus adeptio vita est beatissima, purissime atque castissime colendum prædicas; nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui servire jubeamur; et ab illa incorrupta et inviolabili æternitate, cui soli homo subjiciendus est, cui soli rationalis anima cohærendo non misera est, excludens omne quod factum est, quod obnoxium commutationi, quod subditum tempori; neque confundens, quod æternitas, quod veritas, quod denique pax ipsa distinguit, nec rursum separans quod majestas una conjungit: sed etiam proximi dilectio-

[1] Deut. VI, 5. — [2] Matth. XXII, 37.

nem atque charitatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat.

LXIII. Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi ætas est, exerces ac doces. Tu fœminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem casta et fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus præficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis, parentes filiis pia dominatione præponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitudinem, servatis naturæ voluntatisque nexibus, mutua charitate constringis. Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhærere. Tu dominos servis, summi Dei communis Domini consideratione placabiles, et ad consulendum quam coërcendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus charitas, et nulli debeatur injuria.

LXIV. Jamvero cum hæc humana dilectio inhærentem uberibus tuis nutriverit et roboraverit animum[1], sequendo Deo factum idoneum : ubi ejus majestas ex

[1] 1 Retract. cap. VII, n. 15.

tanta parte quanta homini, dum terræ hujus inhabitator est, sufficit, aperire se cœperit, tantus charitatis ardor innascitur, et tantum divini amoris consurgit incendium, ut exustis omnibus vitiis, et homine purgato atque sanctificato, satis appareat quam divine dictum sit : « Ego » sum ignis consumens [1] : » et, « Ignem veni mittere in » mundum [2]. » Quæ duæ voces unius Dei in duobus Testamentis signatæ, sanctificationem animæ concordi attestatione declarant, ut fiat aliquando illud quod item in Novam Scripturam de Veteri assumptum est : « Absorpta » est mors in victoriam. Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi » est, mors, contentio tua [3]? » Quod unum isti hæretici intelligere si valerent, nusquam profecto Deum nisi apud te atque in tuo gremio, minime superbi et bene pacati venerarentur. Merito apud te divina præcepta late diffuseque servantur. Merito apud te bene intelligitur, quam sit gravius cognita, quam incognita lege peccare. « Acu- » leus enim mortis peccatum, virtus autem peccati lex [4], » qua gravius feriat et interimat contempti præcepti conscientia. Merito apud te visum est, quam sit sub lege operatio vana, cum libido animum vastat, et cohibetur pœna metu, non amore virtutis obruitur. Merito tibi tam multi hospitales, multi officiosi, multi misericordes, multi docti, multi casti, multi sancti, multi usque adeo Dei amore flagrantes, ut eos in summa continentia atque mundi hujus incredibili contemptu etiam solitudo delectet.

LXV. Quid est, quæso, quod vident, qui non possunt hominem non diligere, et tamen possunt hominem non videre? Profecto illud quidquid est, præstantius est rebus humanis, cujus contemplatione potest homo sine homine vivere. Jam enim accipite, Manichæi, perfectorum

[1] Deut. iv, 24, et Hebr. xii, 29. — [2] Luc. xi, 49. — [3] 1 Cor. xv, 54-55. — [4] Ibid. 56.

Christianorum, quibus summa castitas, non laudanda tantum, sed etiam capessenda visa est, mores et continentiam singularem : nævos impudenter jactare apud animos imperitorum, quasi difficillima rerum abstinentia, si quid in vobis pudoris est, audeatis. Nec ea dicam, quæ vos ignoratis, sed quæ nobis occultatis. Quis enim nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi, et in Oriente maxime atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latere.

LXVI. Nihil de iis dicam quos paulo ante commemoravi, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, et aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, et ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar : videntur enim nonnullis res humanas plusquam oporteret deseruisse, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, et vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hinc disputare longum et supervacaneum puto : nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum et honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest? Tantum isti admonendi sunt, qui sese inaniter jactant, in tantum processisse temperantiam et continentiam sanctissimorum catholicæ fidei Christianorum, ut restringenda nonnullis, et quasi ad humanos fines revocanda videatur : usque adeo supra homines illorum animos evasisse, ab iis etiam quibus id displicet, judicatur.

LXVII. Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur et prædicet, qui contemptis atque de-

sertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi : sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, a quo ista posse meruerunt. Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus et corpus pasci possit, et a Deo mens impediri non possit. Opus autem suum tradunt eis quos decanos vocant, eo quod sint denis præpositi, ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est, vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ, ut assolet, valetudini. Illi autem decani cum magna sollicitudine omnia disponentes, et præsto facientes quidquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, rationem tamen etiam ipsi reddunt uni, quem patrem appellant. Hi vero patres non solum sanctissimi moribus, sed etiam divina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt iis quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum illum patrem, et conveniunt ad singulos patres terna, ut minimum, hominum millia : nam etiam multo numerosiores sub uno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio, affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit disserentis oratio, vel gemitu, vel fletu, vel modesto et omni clamore vacuo gaudio significantes. Corpus deinde reficitur, quantum saluti et salubritati satis est, coërcente unoquoque concupiscentiam, ne se profundat vel in ea ipsa,

quæ præsto sunt parca et vilissima. Ita non solum a carnibus et vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab iis etiam quæ tanto concitatius ventris et gutturis provocant appetitum, quanto quasi mundiora nonnullis [1] videntur : quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod a carnibus alienum est, ridicule turpiterque defendi. Sane quiquid necessario victui redundat (nam redundat plurimum ex operibus manuum, et epularum restrictione) tanta cura egentibus distribuitur, quanta non ab ipsis qui distribuunt comparatum est. Nullo modo namque satagunt, ut hæc sibi abundent, sed omni modo agunt, ut non apud se remaneat quod abundaverit, usque adeo ut oneratas etiam naves in ea loca mittant, quæ inopes incolunt. Non opus est plura de re notissima dicere.

LXVIII. Hæc est etiam vita fœminarum Deo sollicite casteque servientium, quæ habitaculis segregatæ ac remotæ a viris quam longissime decet, pia tantum illis charitate junguntur et imitatione virtutis : ad quas juvenum nullus accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum et probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum necessaria præbendi quibus indigent gratia. Lanificio namque corpus exercent atque sustentant, vestesque ipsas fratribus tradunt, ab iis invicem quod victui opus est resumentes. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque digne valeo, et vereor ne judicare videar per se ipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putavero. Hæc, Manichæi, reprehendite, si potestis. Nolite cæcis hominibus et discernere invalidis ostentare nostra zizania.

[1] Manichæis.

LXIX. Neque tamen ita sese anguste habent Ecclesiæ catholicæ mores optimi, ut eorum tantum vita, quos commemoravi, arbitrer esse laudandos. Quam enim multos episcopos optimos viros sanctissimosque cognovi, quam multos presbyteros, quam multos diaconos, et cujuscemodi ministros divinorum Sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior et majore prædicatione dignior videtur, quo difficilius est eam in multiplici hominum genere, et in ista vita turbulentiore servare. Non enim sanatis magis quam sanandis hominibus præsunt. Perpetienda sunt vitia multitudinis ut curentur, et prius toleranda quam sedanda est pestilentia. Difficillimum est hic tenere optimum vitæ modum, et animum pacatum atque tranquillum. Quippe, ut breviter explicem, hi agunt ubi vivere discitur, illi ubi vivitur.

LXX. Nec ideo tamen laudabile Christianorum genus contempserim, eorum scilicet qui in civitatibus degunt, a vulgari vita remotissimi. Vidi ergo diversorium sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus presbyter præerat vir optimus et doctissimus. Romæ etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate atque prudentia et divina scientia præpollentes, cæteris secum habitantibus præsunt, christiana charitate, sanctitate et libertate viventibus : ne ipsi quidem cuiquam onerosi sunt, sed Orientis more, et Pauli apostoli auctoritate manibus suis se transigunt. Jejunia quotidie semel incredibilia multos exercere didici, non etiam prorsus sub noctem reficiendo corpus, quod est usquequaque usitatissimum, sed continuum triduum vel amplius sæpissime sine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tantum, sed etiam in fœminis ; quibus item multis viduis et virginibus simul habitantibus, et lana ac tela victum quæritantibus, præsunt singulæ gravis-

simæ probatissimæque non tantum in instituendis componendisque moribus, sed etiam instruendis mentibus peritæ ac paratæ.

LXXI. Atque inter hæc nemo urgetur in aspera, quæ ferre non potest, nulli quod recusat imponitur, nec ideo condemnatur a cæteris; quod in eis se imitandis fatetur invalidum : meminerunt enim quantopere Scripturis omnibus commendata sit charitas : meminerunt : « Omnia » munda mundis[1] : » et, « Non quod intrat in os vestrum » vos coinquinat, sed quod exit[2]. » Itaque non rejiciendis generibus ciborum quasi pollutis, sed concupiscentiæ perdomandæ, et dilectioni fratrum retinendæ invigilat omnis industria. Meminerunt : « Esca ventri, et venter » escis, Deus autem et hunc et illas destruet[3]. » Et alibi : « Neque si manducaverimus, abundabimus : neque si » non manducaverimus, egebimus[4]. » Et illud præ cæteris : « Bonum est, fratres, non manducare carnes, ne- » que bibere vinum, neque in quo frater tuus offendi- » tur[5]. » Hic enim ostendit quam sint ad finem charitatis hæc omnia dirigenda. « Alius enim credit manducare » omnia; qui autem infirmus est, olus, inquit, mandu- » cet. Qui manducat, non manducantem non spernat : » et qui non manducat, manducantem non judicet : Deus » enim illum assumit. Tu quis es, qui judices alienum » servum? Suo Domino stat, aut cadit : stabit autem, » potens est enim Deus statuere eum. » Et paulo post : « Qui manducat, Domino manducat, et gratias agit Deo : » et qui non manducat, Domino non manducat, et gra- » tias agit Deo. » Et item in consequentibus : « Itaque » unusquisque nostrum pro se rationem reddet. Non ergo » amplius judicemus invicem, sed hoc judicate magis,

[1] Tit. I, 15. — [2] Matth. XV, 11. — [3] I Cor. VI, 13. — [4] Id. VIII, 8. — [5] Rom. XIV, 21.

» ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Scio et » confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ip- » sum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi com- » mune est[1]. » Potuit-ne magis ostendere, non in ipsis rebus quibus vescimur, sed in animo esse vim quamdam, quæ ad eum valeat maculandum ; et propterea iis etiam, qui ad hæc contemnenda sunt idonei, certoque sciunt non se pollui, si quid ciborum sine turpi cupiditate altitudine mentis assumpserint, charitatem tamen esse intuendam? Vide quid sequatur : « Nam si propter escam » frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem » ambulas. »

LXXII. Lege cætera, nam longum est omnia interponere, et invenies præceptum iis, qui possunt ista contemnere, id est, firmioribus et securioribus, ideo tamen esse temperandum, ne offendantur illi, quibus adhuc pro sua imbecillitate hujuscemodi opus est temperantia. Hæc illi de quibus agebam norunt et tenent : Christiani sunt enim, non hæretici : intelligunt Scripturas secundum apostolicam disciplinam, non secundum superbum et commentitium nomen Apostoli. « Non man- » ducantem nemo spernit, manducantem nemo judicat : » qui infirmus est, olus manducat. » Multi tamen firmi propter infirmos idem faciunt : multis non est causa ista faciendi, sed quod viliore victu vivere placet, minimeque sumptuoso corporis substentaculo ætatem tranquillissimam ducere. « Omnia enim mihi licita sunt, inquit, » sed ego non redigar sub potestate ullius[2]. » Ita multi neque vescuntur carnibus, neque tamen eas immundas superstitiose putant. Itaque iidem ipsi, qui sani temperant, si ratio valetudinis cogat, ægroti sine ulla formidine accipiunt. Multi vinum non bibunt, nec tamen eo

[1] Rom. XIV, 2-14. — [2] 1 Cor. VI, 12.

se coinquinari arbitrantur : nam et quibusdam languidioribus, et prorsus omnibus qui sine illo nequeunt salutem corporis obtinere, humanissime ac modestissime præberi faciunt. Et stulte nonnullos recusantes, fraterne admonent, ne vana superstitione debiliores citius quam sanctiores fiant. Legunt eis Apostolum discipulo præcipientem, nt aliquantum vini sumat propter frequentes infirmitates suas [1]. Ita pietatem sedulo exercent : corporis vero exercitationem, ut ait idem Apostolus, ad exiguum tempus pertinere noverunt [2].

LXXIII. Continent se igitur ii qui possunt, qui tamen sunt innumerabiles, et a carnibus et a vino duas ob causas : vel propter fratrum imbecillitatem, vel propter suam libertatem. Charitas præcipue custoditur; charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur; coïtur in unam conspiraturque charitatem : hanc violare tanquam Deum nefas ducitur : huic si quid resistit, expugnatur atque ejicitur; hanc si quid offendit, unum diem durare non sinitur. Sciunt ita commendatam esse a Christo et Apostolis, ut si hæc una desit, inania; si hæc adsit, plena sint omnia.

LXXIV. Istis, Manichæi, si potestis, obsistite, istos intuemini, istos sine mendacio, si audetis, et cum contumelia nominate : istorum jejuniis vestra jejunia, castitati castitatem, vestitum vestitui, epulas epulis, modestiam modestiæ, charitatem denique charitati, et quod res maxime postulat, præceptis præcepta conferte. Jam videbitis quid inter ostentationem et sinceritatem, inter viam rectam et errorem, inter fidem atque fallaciam, inter robur et tumorem, inter beatitudinem et miseriam, inter unitatem et conscissionem, postremo quid inter superstitionis sirenas et portum religionis intersit.

[1] 1 Tim. v, 25. — [2] Id. iv, 8.

LXXV. Nolite mihi colligere professores nominis christiani, nec professionis suæ vim aut scientes aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quid promiserint Deo. Novi multos esse sepulcrorum et picturarum adoratores : novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant, et epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos se ipsos sepeliant, et voracitates ebrietatesque suas deputent religioni. Novi multos esse, qui renuntiaverunt verbis huic sæculo, et se omnibus hujus sæculi molibus opprimi velint, oppressique lætentur. Nec mirum est in tanta copia populorum, quod non vobis desint, quorum vita vituperata decipiatis incautos, et a catholica salute avertatis, cum in vestra paucitate magnas patiamini angustias, dum a vobis exigitur vel unus ex iis quos electos vocatis, qui præcepta illa ipsa custodiat, quæ irrationabili superstitione defenditis. Sed et illa quam vana sint, quam noxia, quam sacrilega, et quemadmodum a magna parte vestrum, atque adeo pene ab omnibus vobis non observentur, alio volumine ostendere institui.

LXXVI. Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiæ catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos et ipsa condemnat, et quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet. Sed quicumque illorum bona voluntate Deique auxilio corriguntur, quod amiserant peccando, pœnitendo recuperant. Qui autem voluntate mala in pristinis vitiis perseverant, aut etiam addunt graviora prioribus, in agro quidem Domini sinuntur esse, et cum bonis seminibus crescere, sed veniet tempus quo zizania separentur. Aut si jam propter ipsum christianum nomen magis in palea quam in spinis esse arbitrandi sunt, veniet etiam qui aream purget et

a frumentis paleam separet, et singulis partibus pro suo cujusque merito, quod oportet, summa æquitate distribuat.

LXXVII. Vos interea quid sævitis, quid excæcamini studio partium? Quid tanti erroris longa defensione implicamini? Fruges in agro, frumenta in area quærite : apparebunt facile, seseque offerent ipsa quærentibus. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis ? quid ab opimi horti ubertate imperitos homines sepium asperitate terretis? Est certus aditus quamvis paucioribus notus, qua possit intrari, quem vos aut esse non creditis, aut invenire non vultis. Sunt in Ecclesia catholica innumerabiles fideles, « Qui » hoc mundo non utantur, sunt qui utantur tanquam non » utentes [1], » ut ab Apostolo dicitur, quod illis temporibus jam probatum est, quibus ad idolorum cultum Christiani cogebantur. Quot enim tunc pecuniosi homines, quot patresfamilias rusticani, quot negotiatores, quot militares, quot primates urbium suarum, quot denique senatores, utriusque sexus, hæc omnia vana et temporalia relinquentes, quibus utique quamvis uterentur, non detinebantur, mortem pro salubri fide ac religione subierunt, demonstraveruntque infidelibus a se potius illa omnia, quam se ab eis esse possessos.

LXXVIII. Quid calumniamini, quod fideles jam baptismate renovati, procreare filios, et agros ac domos pecuniamque ullam possidere non debeant? Permittit hoc Paulus. Nam quod negari non potest, fidelibus scripsit; post multorum quippe vitiosorum enumerationem, qui regnum Dei non possidebunt : « Et hæc quidem fuistis, » inquit, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justi» ficati estis in nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu » Dei nostri [2]. » Ablutos procul dubio, et sanctificatos

[1] 1 Cor. VII, 31. — [2] Id. VI, 11.

nemo nisi fideles, et eos qui huic mundo renuntiaverint, intelligere audebit. Sed quoniam ostendit quibus scripserit, videamus utrum his illa permittat. Ita enim sequitur : « Omnia mihi licita sunt, sed non omnia expediunt : Omnia mihi licita sunt, sed ego sub nullus redigar potestate. Esca ventri, et venter escis, Deus autem et has et hunc destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori. Deus vero suscitavit Dominum, et nos quoque suscitabit per virtutem suam. An nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi, efficiam membra meretricis? absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro[1]. De quibus autem scripsistis mihi : Bonum est homini mulierem non tangere : propter incontinentiam autem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir : similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi : et iterum revertimini in idipsum, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum : sed

[1] 1 Cor. XII, 20.

» unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius » quidem sic, alius vero sic[1]. »

LXXIX. Satis-ne vobis videtur Apostolus, et fortibus demonstrasse quid summum sit, et imbecillioribus permisisse quod proximum est? Nam non attingere mulierem, summum ostendit esse, cum ait : « Vellem omnes » homines esse sicut me ipsum. » Huic autem summo conjugalis castitas proxima est, ne homo fornicatione vastetur. Numquid propterea istos dixit adhuc fideles non esse, quia conjugibus utuntur? Quandoquidem hac castitate conjugii, et ex se invicem ipsos qui conjuncti sunt, si alter eorum fuerit infidelis, et eam quæ inde nascitur prolem sanctificari dixit : « Sanctificatus est enim, inquit, vir » infidelis in muliere fideli, et sanctificata est mulier infi- » delis per virum fidelem : alioquin filii vestri immundi » essent, nunc autem sancti sunt. » Quid obstrepitis pertinacia tantæ veritati? quid lucem Scripturarum vanis umbris obnubilare conamini?

LXXX. Nolite jam dicere, catechumenis licere uti conjugibus, fidelibus autem non licere; catechumenis licere habere pecuniam, fidelibus autem non licere. Nam et multi sunt qui utuntur tanquam non utentes. Et illo sacrosancto lavacro inchoatur innovatio novi hominis, ut proficiendo perficiatur, in aliis citius, in aliis tardius : a multis tamen proceditur in novam vitam, si quisquam non inimice, sed diligenter intendat. Ipse quippe, sicut ait Apostolus : « Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed » interior renovatur de die in diem[2]. » Apostolus de die in diem interiorem hominem renovari dicit ut perficiatur, et vos a perfectione vultis incipiat. Quod utinam velitis : sed quæritis potius, non unde erigatis invalidos, sed unde fallatis incautos. Hoc enim non debuistis tanta dicere au-

[1] Cor. VIII, 7. — [2] 2 Cor. XXIV, 16.

dacia, nec si vos in eis ipsis nugatoriis mandatis vestris perfectos esse constaret. Cum vero noverit vestra conscientia eos quos in sectam vestram introducitis, cum vobis familiarius jungi cœperint, multa inventuros quæ in vobis esse, cum alios accusaretis, nemo suspicabatur; quæ tanta impudentia est, perfectionem in catholicis imbecillioribus quærere, ut inde imperitos avertas, et eam nullo modo apud te iis quos averteris exhibere? Sed ne quid in vos temere jam videamur effundere, iste sit hujus voluminis modus, ut ad demonstranda præcepta vitæ vestræ, moresque memorabiles aliquando veniamus.

LIBER II.

DE MORIBUS MANICHÆORUM.

IN QUO REFUTATA DILIGENTER HORUM HÆRETICORUM DOCTRINA DE ORIGINE ET NATURA MALI, EXCUTIUNTUR TRIA ILLA ORIS, MANUUM ET SINUS, QUÆ IPSI IN IMPIIS SUIS MORIBUS PRÆDICABANT SIGNACULA, ET SUPERSTITIOSA EORUM ABSTINENTIA MYSTERIAQUE NEFANDA SUGGILLANTUR. POSTMODUM NONNULLA IN IIS DEPREHENSA FLAGITIA REFERUNTUR.

I. NULLI esse dubium arbitror, cum de bonis et malis quæritur, hoc genus quæstionis ad moralem pertinere disciplinam, in qua isto sermone versamur. Quamobrem vellem quidem, ut tam serenam mentis aciem homines ad hæc investiganda deferrent, ut possent videre illud summum bonum, quo non est quidquam melius aut superius, cui rationalis anima pura et perfecta subjungitur. Hoc enim intellecto atque perfecto, simul viderent id esse, quod summe ac primitus esse rectissime dicitur. Hoc enim maxime esse dicendum est, quod semper eodem modo sese habet, quod omni modo sui simile est, quod nulla ex parte corrumpi ac mutari potest, quod non subjacet tempori, quod aliter nunc se habere quam habebat antea, non potest. Id enim est quod esse verissime dicitur. Subest enim huic verbo manentis in se atque incommutabiliter sese habentis naturæ significatio. Hanc nihil aliud quam

Deum possumus dicere, cui si contrarium recte quæras, nihil omnino est. Esse enim contrarium non habet, nisi non esse. Nulla est ergo Deo natura contraria. Sed quoniam ad hæc contemplanda sauciam et hebetem nugatoriis opinionibus et pravitate voluntatis aciem mentis afferimus, conemur quantum possumus ad qualemcumque tantæ rei notitiam pervenire pedetentim atque caute, non ut videntes, sed ut palpantes solent quærere.

II. Sæpe atque adeo pene semper Manichæi, ab iis quibus hæresim vestram persuadere molimini, requiritis unde sit malum. Putate me nunc primitus in vos incidisse, impetrem aliquid a vobis, si placet, ut etiam vos deposita paulisper opinione, qua vos ista scire opinamini, rem tantam mecum tanquam rudes indagare tentetis. Percunctamini me, unde sit malum : at ego vicissim percunctor vos, quid sit malum. Cujus est justior inquisitio ? Eorumne qui quærunt unde sit, quod quid sit ignorant; an ejus qui prius putat esse quærendum quid sit, ut non ignotæ rei (quod absurdissimum est) origo quæratur? Verissime dicitis. Quis enim ita est mente cæcus, qui non videat id cuique generi malum esse, quod contra ejus naturam est? Sed hoc constituto, evertitur hæresis vestra : nulla enim natura malum, si quod contra naturam est, id erit malum. Vos autem asseritis quamdam naturam atque substantiam malum esse. Accedit etiam illud, quod contra naturam quidquid est, utique naturæ adversatur, et eam perimere nititur. Tendit ergo id quod est, facere ut non sit. Nam et ipsa natura nihil est aliud, quam id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Itaque ut nos jam novo nomine ab eo, quod est esse, vocamus essentiam, quam plerumque substantiam etiam nominamus : ita veteres qui hæc nomina non habebant, pro essentia et substantia naturam vocabant. Idipsum ergo malum est, si

præter pertinaciam velitis attendere, deficere ab essentia eta ad id tendere ut non sit.

III. Quocirca cum in Catholica dicitur, omnium naturarum atque substantiarum esse auctorem Deum, simul intelligitur ab eis, qui hoc possunt intelligere, non esse Deum auctorem mali. Quomodo enim potest ille, qui omnium quæ sunt causa est ut sint, causa esse rursus ut non sint, id est, ut ab essentia deficiant, et ad non esse tendant? Quod malum generale esse clamat verissima ratio. At vero illa vestra gens mali, quam vultis esse summum malum, quomodo erit contra naturam, id est, contra substantiam, cum eam naturam atque substantiam esse dicatis? Si enim contra se facit, ipsum esse sibi adimit : quod si perfecerit, tunc demum perveniet ad summum malum. Non autem perficiet, quia eam non modo esse, verumetiam sempiternam esse vultis. Non potest igitur esse summum malum, quod perhibetur esse substantia.

IV. Sed quid faciam? Scio plures esse in vobis, qui hæc intelligere omnino nequeant. Scio rursus esse quosdam, qui quanquam bono ingenio utcumque ista videant, mala tamen voluntate, qua ipsum quoque ingenium sunt amissuri, pertinaciter agant, et quærant potius quid adversus ista dicant, quod tardis et imbecillis facile persuadeatur, quam vera esse consentiant. Non me tamen scripsisse pœnitebit, quod aut quisquam in vobis tandem non iniquo judicio consideret, vestrumque relinquat errorem; aut quod ingeniosi et Deo subditi, atque adhuc ab studio vestro integri cum legerint, non possint vestris sermonibus decipi.

V. Quæramus ergo ista diligentius, et quantum fieri potest, planius. Percunctor vos iterum quid sit malum? Si dixeritis : Id quod nocet : neque hic mentiemini. Sed quæso animadvertite, quæso vigilate, quæso deponite

studia partium, et verum non vincendi, sed inveniendi gratia quærite. Quidquid enim nocet, bono aliquo privat eam rem cui nocet : nam si nullum bonum adimit, nihil prorsus nocet. Quid hoc apertius, obsecro vos? quid planius ? quid tam expositum cuivis mediocri intellectori, modo non pertinaci? Hoc autem posito, videtur jam, ut opinor, quid sequatur. In illa quippe gente quam summum malum esse suspicamini, noceri cuiquam rei non potest, ubi nihil est boni. Quod si duæ naturæ sunt, ut affirmatis regnum lucis, et regnum tenebrarum, quoniam regnum lucis, Deum esse fatemini, cui simplicem quamdam naturam conceditis, ita ut ibi non sit aliud alio deterius, confiteamini necesse est, quod vehementer quidem est adversum vos, sed tamen necesse est confiteamini, istam naturam, quam summum bonum non modo non negatis, sed etiam vehementer persuadere conamini, esse incommutabilem, et impenetrabilem, et incorruptibilem, et inviolabilem : non enim erit aliter summum bonum, id est enim quo nihil est melius : tali autem naturæ noceri nullo pacto potest. At si nocere, bono privare est, sicut ostendi ; noceri non potest regno tenebrarum, quia nihil ibi boni est ; noceri non potest regno lucis, quia inviolabile est : cui igitur nocebit quod dicitis malum?

VI. Quamobrem cum vos expedire nequeatis, videte quam expedita sit sententia catholicæ disciplinæ, quæ aliud dicit bonum, quod summe ac per se bonum est, et non participatione alicujus boni, sed propria natura et essentia ; aliud quod participando bonum et habendo ; habet autem de illo summo bono ut bonum sit, in se tamen manente illo, nihilque amittente. Hoc autem bonum quod postea diximus, creaturam vocat, cui noceri per defectum potest : cujus defectus Deus auctor non est, quia existendi, et ut ita dicam, essendi auctor est. Ita et malum ostenditur

quomodo dicatur ; non enim secundum essentiam, sed secundum privationem verissime dicitur : et natura cui noceri possit apparet. Non enim ipsa est summum malum, cui bonum adimitur cum nocetur ; neque summum bonum, quæ propterea deficere a bono potest, quia non existendo bonum, sed bonum habendo dicitur bona. Neque naturaliter bona res est, quæ cum facta dicitur, utique ut bona esset accepit. Ita et Deus summum bonum est, et ea quæ fecit, bona sunt omnia, quamvis non sint tam bona, quam est ille ipse qui fecit. Quis enim hoc tam insanus audet exigere, ut æqualia sint artifici opera, et condita conditori ? Quid amplius desideratis ? An etiam vultis aliquid planius ?

VII. Quæram ergo tertio quid sit malum. Respondebitis fortasse : Corruptio. Quis et hoc negaverit, generale malum esse ? Nam hoc est contra naturam, hoc est quod nocet. Sed corruptio non est in se ipsa, sed in aliqua substantia quam corrumpit : non enim substantia est ipsa corruptio. Ea igitur res quam corrumpit corruptio, non est malum, non est. Quod enim corrumpitur, integritate et sinceritate privatur. Quod ergo non habet ullam sinceritatem qua privetur, corrumpi non potest : quod autem habet, profecto bonum est participatione sinceritatis. Item quod corrumpitur, profecto pervertitur : quod autem perveritur, ordine privatur : ordo autem bonum est. Non igitur quod corrumpitur, bono caret : eo namque ipso quo non caret, viduari dum corrumpitur potest. Gens ergo illa tenebrarum, si omni bono carebat, ut dicitis, corrumpi non poterat : non enim habebat quod ei posset auferre corruptio, quæ si nihil auferat, non corrumpit. Audete jam dicere, si potestis, Deum et Dei regnum potuisse corrumpi, si diaboli regnum quale describitis, quomodo corrumpi posset non invenitis.

VIII. Quid ergo hinc lux catholica dicit ? Quid putatis nisi id quod habet veritas, corrumpi posse factam substantiam ? nam et illam non factam, quæ summum bonum est, esse incorruptibilem, et ipsam corruptionem, quæ summum malum est, non posse corrumpi, sed hanc non esse substantiam. Si autem quæritis quid sit, videte quo conetur perducere quæ corrumpit : ex se ipsa enim afficit eà quæ corrumpuntur. Deficiunt autem omnia per corruptionem ab eo quod erant, et non permanere coguntur, non esse coguntur. Esse enim ad manendum refertur. Itaque quod summe et maxime esse dicitur, permanendo in se dicitur. Nam quod mutatur in melius, non quia manebat mutatur, sed quia pervertebatur in pejus, id est, ab essentia deficiebat : cujus defectionis auctor non est qui est auctor essentiæ. Mutantur ergo quædam in meliora, et propterea tendunt esse : nec dicuntur ista mutatione perverti, sed reverti atque converti. Perversio enim contraria est ordinationi. Hæc vero quæ tendunt esse, ad ordinem tendunt : quem cum fuerint consecuta, ipsum esse consequuntur, quantum id creatura consequi potest. Ordo enim ad convenientiam quamdam quod ordinat redigit. Nihil est autem esse, quam unum esse. Itaque in quantum quidque unitatem adipiscitur, in tantum est. Unitatis est enim operatio, convenientia et concordia, qua sunt in quantum sunt, ea quæ composita sunt : nam simplicia per se sunt, quia una sunt : quæ autem non sunt simplicia, concordia partium imitantur unitatem, et in tantum sunt in quantum assequuntur. Quare ordinatio esse cogit, inordinatio vero non esse, quæ perversio etiam nominatur atque corruptio. Quidquid igitur corrumpitur, eo tendit ut non sit. Jam vestrum est considerare, quo cogat corruptio, ut possitis invenire summum malum : nam id est, quo corruptio perducere nititur.

IX. Sed Dei bonitas eo rem perduci non sinit, et omnia deficientia sic ordinat, ut ibi sint ubi congruentissime possint esse, donec ordinatis motibus[1] ad id recurrant unde defecerunt. Itaque etiam animas rationales, in quibus est potentissimum liberum arbitrium, deficientes a se, in inferioribus creaturæ gradibus ordinat, ubi tales esse decet. Fiunt ergo miseræ divino judicio, dum convenienter pro meritis ordinantur. Ex quo illud optime dictum est, quod insectari maxime soletis : « Ego facio bona, et creo mala[2]. » Creare namque dicitur condere et ordinare. Itaque in plerisque exemplaribus sic scriptum est : « Ego facio bona, et » condo mala. » Facere enim est, quod omnino non erat : Condere autem, ordinare quod utcumque jam erat, ut melius magisque sit. Ea namque condit Deus, id est, ordinat, cum dicit : « Condo mala, » quæ deficiunt, id est, non esse tendunt, non ea quæ ad id quo tendunt, pervenerunt. Dictum est enim : Nihil per divinam providentiam, ad id ut non sit pervenire permittitur.

X. Tractantur hæc latius et uberius, sed dum vobiscum agitur, satis est. Ostendenda enim vobis janua fuit, quam desperatis, et desperandam facitis imperitis. Nam vos introducit nemo nisi voluntas bona ; quam pacatam efficit divina clementia, sicut in Evangelio canitur : « Gloria in » excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis[3]. » Satis est, inquam, ut videatis nullum esse de bono et malo religiosæ disputationis exitum, nisi quidquid est, in quantum est, ex Deo sit : in quantum autem ab essentia deficit, non sit ex Deo, sed tamen divina providentia semper sicut universitati congruit, ordinetur. Quod si nondum videtis, quid amplius nunc faciam nescio, nisi ut minutius etiam tractem ista quæ dicta sunt. Non enim ad majora mentem nisi pietas puritasque perducit.

[1] Retract. cap. VII, n. 6. — [2] Isai. XLV, 7. — [3] Luc. II, 14.

XI. Quid enim aliud cum quæro, quid sit malum, responsuri estis, nisi aut quod contra naturam est, aut quod noceat, aut corruptionem, aut aliquid hujusmodi? An in his ostendi vestra naufragia, nisi forte, ut soletis cum pueris pueriliter agere, respondebitis malum esse ignem, venenum, feram, et cætera hujusmodi. Nam etiam de quodam dicente nullam substantiam malum esse, unus de primatibus hujus hæresis, quem familiarius crebriusque audiebamus, dicebat : Vellem scorpionem in manu hominis ponere, ac videre utrum non subtraheret manum : quod si faceret, non verbis, sed re ipsa convinceretur aliquam substantiam malum esse, quandoquidem illud animal esse substantiam non negaret. Et dicebat hoc non coram illo, sed cum ad eum nos commoti referremus quod ille dixisset : respondebat ergo, ut dixi, pueriliter pueris. Quis enim meliuscule imbutus et eruditus, non videat per inconvenientiam corporalis temperationis hæc lædere, ac rursus per convenientiam non lædere, sæpe etiam commoda non parva conferre ? Nam si illud venenum per se ipsum malum esset, eumdem scorpionem magis priusque perimeret. At contra si ei penitus aliquo pacto detrahatur, sine dubitatione interiret. Ergo illius corpori malum est amittere, quod nostro recipere. Item illi bonum est habere id, quo nobis bonum est carere. Erit ergo eadem res et bonum et malum? Nullo modo; sed malum est quod contra naturam est : hoc enim et bestiæ illi et nobis malum est, id est, ipsa inconvenientia, quæ sine dubio non est substantia, imo est inimica substantiæ. Unde est igitur ? Attende quo cogat, et disces ; si tamen in te aliquid interioris luminis vivit. Non esse enim cogit omne quod perimit. Deus vero auctor essentiæ est : nec aliqua essentia potest videri esse; quod in qua fuerit cogit non esse. Dicitur ergo aliquid unde non sit inconvenientia, nam unde sit, nihil dici potest.

XII. Quædam facinorosa mulier Atheniensis, ut prodit historia, venenum quod certo modulo damnati ut morerentur hauriebant, paulatim bibendo sine ullo vel levi incommodo valetudinis effecit ut biberet. Itaque cum esset aliquando damnata, legitimam illam quantitatem veneni, quam consuetudine vicerat, accepit ut cæteri, nec ut cæteri extincta est. Quod cum esset magno miraculo, missa est in exilium. Quid, putamus si venenum malum est, istam fecisse ut sibi malum non esset? Quid hoc absurdius? Sed quia inconvenientia malum est, fecit potius ut per moderatam consuetudinem illud corpus suo corpori conveniret. Nam quando illa qualibet calliditate posset efficere, ut sibi inconvenientia non noceret? Quid ita? Quia quod vere et generaliter malum est, et semper et omnibus nocet. Oleum nostris corporibus commodum est, animalium autem multis, quæ sex pedes habent, vehementer adversum. Elleborum, nonne alio modo cibus est, alio medicamentum, alio venenum? Salem immoderatius acceptum, quis non venenum esse clamaverit? quot autem et quantæ corporis commoditates ex eo sint, quis potest numerare? Aqua maris terrenis animalibus cum bibitur, noxia est: multorum autem corporibus, dum illa humectantur, accommodatissima et utilis: in utroque autem piscibus saluti et voluptati est. Panis hominem alit, accipitrem necat. Cœnum ipsum, quod et haustum et olfactum graviter offendit et lædit, nonne et æstate tactum refrigerat, et vulneribus quæ ab igne acciderunt, medicamentum est? Quid stercore aspernabilius? quid cinere abjectius? At hæc tantas agris utilitates afferunt, ut eorum inventori, a quo etiam stercus nomen accepit, Stercutio divinos honores Romani deferendos putarent.

XIII. Sed quid parva colligam, quæ sunt innumerabilia? Quatuor ipsa quæ in promptu sunt elementa, quis

dubitet prodesse per convenientiam, inconvenienter autem adhibita, vehementer adversa esse naturæ? Nos qui aëre vivimus, et terra et aqua obrutos necant : innumerabilia vero animantia per arenam laxioremque terram repunt vitaliter : pisces autem in hoc aëre moriuntur. Ignis corpora nostra corrumpit, sed convenienter adhibitus, et resumit a frigore, et morbos innumerabiles pellit. Sol iste cui genuflectitis, quo vere nihil inter visibilia pulchrius invenitur, aquilarum oculos vegetat, nostros sauciat inspectus et tenebrat : sed fit per consuetudinem, ut nos quoque in eo sine incommodo aciem figamus. Num ergo sinitis, ut illi veneno eum comparemus, quod mulieri Atheniensi consuetudo fecit innoxium? Respicite ergo aliquando et advertite, si substantia ulla malum est, ideo quod lædit aliquem, lucem quam colitis ab hoc crimine non posse defendi. Considerate potius hanc convenientiam universale malum esse, per quam solis radius tenebrescere oculos facit, cum eis nihil sit luce jucundius.

XIV. Hæc dixi, ut, si fieri potest, tandem dicere desinatis malum esse terram per immensum profundam et longam ; malum esse mentem per terram vagantem ; malum esse quinque antra elementorum, aliud tenebris, aliud aquis, aliud ventis, aliud igni, aliud fumo plenum ; malum esse animalia in illis singulis nata elementis, serpentia in tenebris, natantia in aquis, volatilia in ventis, quadrupedia in igne, bipedia in fumo. Hæc enim sicut a vobis describuntur, nullo modo esse poterunt : quoniam quiquid tale est, in quantum est, a summo Deo sit necesse est; quoniam in quantum est, utique bonum est. Si enim dolor et imbecillitas malum est, erant ibi animalia in tanta corporis firmitate, ut eorum abortivos fœtus, postquam de his secundum vestram sectam fabricatus est mundus, de cœlo in terram cecidisse et mori non potuisse dicatis. Si

cæcitas malum est, videbant: si surditas, audiebant. Si obmutescere aut mutum esse malum est, usque adeo signatæ atque distinctæ ibi voces erant, ut adversus Deum bellum gerere, sicut asseritis, eis in concione uno persuadente placuerit. Si sterilitas malum est, erat ibi filios procreandi magna fœcunditas. Si exilium malum est, in sua terra erant, suasque regiones incolebant. Si servitus malum est, erant ibi etiam qui regnabant. Si mors malum est, vivebant, et ita vivebant, ut mentem ipsam prorsus, nec post victoriam Dei, ullo modo unquam mori posse prædicetis.

XV. Cur quæso in summo malo invenio tanta bona iis malis, quæ commemoravi, contraria? Aut si hæc non sunt mala, ulla-ne tandem substantia, in quantum substantia est, malum erit? Si malum imbecillitas non est, malum-ne erit corpus infirmum? Si malum cæcitas non est, malum-ne erunt tenebræ? Si malum surditas non est, malum-ne erit surdus? Si malum non est mutum esse, malum-ne erit piscis? Si sterilitas malum non est, quomodo malum est animal sterile? Si exilium malum non est, quomodo malum est animal exulans, vel animal in exilium aliquem mittens? Si servitus malum non est, quomodo malum est animal serviens, vel servire quempiam cogens? Si mors malum non est, quomodo malum est animal mortale, vel inferens mortem? Si vero hæc mala sunt, quomodo non erunt bona, firmitas corporis, visus, auditus, locutio persuadens, fœcunditas, solum genitale, libertas, vita, quæ omnia in illo mali regno fuisse perhibetis, et summum malum audetis asserere?

XVI. Postremo si (quod omnino nemo unquam negavit) inconvenientia malum est, quid convenientius quam illa suis quibusque animalibus elementa, tenebræ serpentibus, aquæ natantibus, venti volantibus, ignis edacioribus, fumus elatioribus? Tanta enim a vobis in discordiæ gente

concordia, et tantus in perversitatis sede ordo describitur. Si quod nocet, malum est, omitto illud valentissimum quod supra dictum est, noceri non potuisse, ubi nullum erat bonum : sed si hoc obscurum est, illud certe omnibus eminet et apparet, quia, sicut dixi, et ut omnes consentiunt, quod nocet est malum : fumus in illa gente bipedibus animalibus non nocebat; genuit ea, et aluit atque sustinuit sine labe nascentia, crescentia, regnantia. Nunc vero postquam mixtum est malo bonum, nocentior fumus effectus est, ita ut a nobis qui certe bipedes sumus, sustineri non possit; excæcat, opprimit, necat. Tanta-ne malis elementis commixtione boni accessit immanitas? tanta Deo regnante perversitas?

XVII. Certe cur in cæteris videmus istam congruentiam, quæ auctorem vestrum decepit atque illexit ad componenda mendacia? Cur, inquam, tenebræ serpentibus, aquæ natantibus, venti volantibus congruunt : quadrupedem vero ignis incendit, et nos fumus offocat? Quid quod etiam serpentes acutissime vident, et præsentia solis exultant, ibique sunt abundantiores, ubi aër serenior difficilius et rarius nubem contrahit? Quid absurdius, quam ibi esse accommodatius et aptius incolas amatoresque tenebrarum, ubi lucis perspicuitate gaudetur? Quod si eos dicitis delectari potius calore quam lumine, multo congruentius in igne serpentes alacres natos, quam tardum asinum diceretis : et tamen luci huic amicam aspidem quis neget, cum ejus oculi aquilæ oculis comparentur? Sed de bestiis videro. Nos ipsos obsecro consideremus sine pertinacia, et tandem fabulis vanis et perniciosis animum exuamus. Quis enim tantam perversitatem ferat, qua dicitur in tenebrarum gente, cui nihil admixtum erat luminis, animalia bipedia tam firmam, tam vegetam, tam denique incredibilem vim habuisse in oculorum acie, ut et

in tenebris suis viderent purissimam, quæ a vobis commendatur, regnorum Dei lucem, (si quidem illam etiam talibus visibilem fuisse vultis), et aspicerent, et considerarent, et delectarentur, et appeterent : nostros autem oculos commixtione lucis, commixtione summi boni, commixtione denique Dei tam infirmos, tam imbecillos esse redditos, ut neque quidquam videamus in tenebris, et solis aspectum nullo modo ferre possimus, atque inde conversi, etiam quæ a nobis videbantur quæramus?

XVIII. Hæc dici possunt, etiam si corruptio malum est, quod æque nemo ambigit : non enim tunc fumus corrumpebat genus animalium, quod modo corrumpit. Et ne pergam per singula, quod longum est et non necessarium, usque adeo minus erant corruptioni obnoxia, quæ ibi animantia fuisse confingitis, ut abortivi eorum fœtus nondum ad nascendum idonei, de cœlo in terram præcipitati, et vivere, et gignere, et rursus conjurare potuerint, habentes utique pristinam firmitatem, quia jam erant concepti ante commixtionem boni et mali : nam post istam concretionem quæ de iis nata sunt, ea dicitis esse animalia, quæ nunc infirmissima et facile corruptioni cedentia videmus : quis hunc diutius tolerare possit errorem, nisi qui aut ista non videt, aut nescio qua incredibili consuetudine ac familiaritate vobiscum contra omnes moles rationis obduruit?

XIX. Sed quoniam ostendi, ut arbitror, de bonis et malis generalibus, in quantis tenebris, et in quanta falsitate versemini : nunc videamus tria illa signacula, quæ in vestris moribus magna laude ac prædicatione jactatis. Quæ sunt tandem ista signacula? Oris certe, et manuum, et sinus. quid est hoc? Ut ore, inquit, et manibus, et sinu castus et innocens sit homo? Quid si oculis, auribus, naribus peccet? Quid si calcibus hominem affligat, vel etiam

necet? Quomodo istum tenebimus reum, qui nec ore, nec manibus, nec sinu peccavit? Sed cum os, inquit, nomino, omnes sensus qui sunt in capite, intelligi volo; cum autem manum, omnem operationem; cum sinum, omnem libidinem seminalem. Quo ergo vultis pertinere blasphemias? ad os, an ad manum? Est enim operatio ista per linguam. Itaque si uno genere operationem omnem concluditis, cur operationem pedum conjungitis manibus, linguæ separatis? An quia lingua verbis significat aliquid, eam vultis sejungere ab ea operatione quæ non significandi gratia fit, ita ut definiatur signaculum manuum, ab operatione mala, quæ non significandi causa est, continentia? Sed quid facturi estis, si quis peccet significando aliquid manibus, ut fit cum scribimus, vel gestu aliquid quod intelligatur ostendimus? hoc enim ori atque linguæ tribuere non potestis, quia manibus fit. Quid enim absurdius, quam ut cum tria dicantur signacula, oris, manuum et sinus, quædam peccata deprehensa in manibus tribuantur ori? Si autem operatio generalis manibus datur, quæ tandem ratio est pedum operationem huic addere, linguæ non addere? Vidisti-ne quomodo novitatis appetitio comite errore in magnas deducatur angustias? Tribus namque istis signaculis, quæ nova quadam divisione prædicatis, quomodo includatis omnium peccatorum purgationem non invenitis.

XX. Sed dividite ut vultis, prætermittite quidquid vultis: ea quæ maxime soletis commendare tractemus. Ad oris enim signaculum dicitis pertinere, ab omni continere blasphemia. Est autem blasphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque jam vulgo blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere: de hominibus namque dubitari potest: Deus vero sine controversia bonus est. Si ergo ratio convicerit, neminem de Deo pejora quam

vos dicere, ubi erit memorabile oris signaculum? Docet enim ratio, nec sane recondita, sed in promptu sita et exposita omnium intellecti, sed invicta et eo invictior quod eam nemo ignorare permittitur, Deum esse incorruptibilem, incommutabilem, inviolabilem, in quem nulla indigentia, nulla imbecillitas, nulla miseria cadere possit. Usque adeo autem ista omnis anima rationalis communiter sentit; ut etiam vos cum dicuntur, annuatis.

XXI. Sed cum fabulas vestras narrare cœperitis, et corruptibilem, et commutabilem, et violabilem, et indigentiæ obnoxium: et imbecillitatem admittentem, et a miseria non tutum Deum mira cæcitate possessi suadetis, et mira cæcitate possessis etiam persuadetis. Atque hoc parum est: non enim corruptibilem tantum Deum dicitis, sed corruptum; nec et commutabilem, sed commutatum; nec violabilem, sed violatum; nec qui possit indigentiam pati, sed indigentem; nec in quem casura sit, sed in quem ceciderit imbecillitas; nec qui miser esse possit, sed miserum. Animam quippe Deum esse dicitis vel partem Dei. Nec video quomodo Deus non sit, quæ pars Dei dicitur: nam et auri pars aurum, et argenti argentum, et lapidis lapis: et ut ad hæc majora veniamus, pars terræ terra est, et aquæ pars aqua, et aëris aër, et si quid de igne detraxeris, ignem esse non negabis, et quælibet pars lucis nihil potest esse aliud quam lux. Cur ergo pars Dei non erit Deus? An articulata Dei forma est, sicut hominis, reliquorumque animantium? nam pars hominis non est homo.

XXII. Sed ad quamlibet istarum opinionum descendo, et singillatim utramque considero. Nam si Deum ita esse vultis ut lucem, recusare non potestis Deum esse aliquam partem Dei. Quamobrem cum partem Dei esse animam dicitis, quam non negatis et corruptam esse, quæ stulta est; et commutatam, quæ sapiens fuit; et violatam, quæ

propriam perfectionem non habet; et indigentem, quæ poscit auxilium; et imbecillam, quæ medicina eget; et miseram, quæ beata esse desiderat : hæc omnia in Deum sacrilega opinione confertis. Aut si non conceditis hæc de anima, nec Spiritus est necessarius, qui animam in veritatem inducat, quia stulta non est; nec renovatur anima per veram religionem, quia inveterata non est; nec signaculis vestris perficitur, quia perfecta est; nec ei Deus opem fert, quia non indiget; nec medicus est Christus, quia sana est; nec beata ei vita recte promittitur. Quid quod liberator dicitur Jesus, quod et ipse in Evangelio clamat: « Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis[1] ? » Et apostolus Paulus ait : « Vos in libertatem vocati estis[2]. » Servit ergo anima quæ istam libertatem nondum est assecuta. Deus igitur vobis auctoribus, si quidem pars Dei est Deus, et stultitia corrumpitur, et cadendo mutatus est, et amissa perfectione violatus, et opis indiget, et debilis morbo, et oppressus miseria, et servitute turpatus est.

XXIII. Quod si Dei pars Deus non est : nec incorruptus potest esse, in cujus parte corruptio est; nec incommutatus, qui ex aliqua parte mutatus est; nec inviolatus, qui non ex omni parte perfectus; neque non indigens, qui sedulo agit ut sibi restituat partem suam; nec omnino sanus, qui aliqua parte imbecillus est; nec beatissimus, qui habet aliquam partem subjectam miseriæ; nec omnino liber, cujus pars aliqua premitur servitute. Hæc omnia cogimini dicere, cum animam, quam tantis obrutam calamitatibus cernitis, partem Dei esse perhibetis. Hæc et multa hujuscemodi de secta vestra si potestis auferre, tunc demum dicite os vestrum carere blasphemiis. Imo sectam illam deserite : nam si hoc quod ille scripsit destiteritis credere ac dicere, Manichæi utique non eritis.

[1] Joan. VIII, 36. — [2] Gal. V, 8.

XXIV. Summum bonum omnino, et quo esse aut cogitari melius nihil possit, aut intelligendus, aut credendus Deus est, si blasphemiis carere cogitamus. Ratio aliqua numerorum violari et commutari nullo pacto potest, nec ulla natura qualibet violentia effecerit, ut post unum qui sequitur numerus, non duplo ei concinat. Hoc commutari nullo pacto potest, et Deus a vobis commutabilis dicitur. Tenet ista ratio inviolabilem integritatem suam et ei saltem parem Deum esse non vultis. Faciat quælibet gens tenebrarum, ut ternarius intelligibilis numerus, in quo ita unum est, quod unum est, ut partibus careat; faciat ergo gens ista tenebrarum, ut numerus iste ternarius in duas partes æquales dividatur. Videt certe mens vestra nullius id malevolentia posse contingere. Quæ ergo rationem numeri violare non poterat, poterat Deum? Si autem non poterat, quæ obsecro necessitas fuit, ut pars ejus misceretur malo, et in tantas miserias truderetur?

XXV. Hinc enim illud exortum est, quod etiam cum studiose vos audiremus, nos magnis premebat angustiis: nec ullum exitum reperiebamus, quærentes quid factura erat Deo gens tenebrarum, si cum ea nollet cum tanta partis suæ calamitate pugnare. Si enim non erat nocitura quiescenti, crudeliter nobiscum actum querebamur [1], qui ad istas ærumnas missi sumus. Si autem nocitura erat, non esse illam naturam incorruptibilem, qualis natura Dei esse debebat. In hac quæstione non defuit qui diceret, non Deum malo carere voluisse, aut ne sibi noceretur cavisse, sed propter naturalem bonitatem suam inquietæ perversæque naturæ, ut ordinata esset, prodesse voluisse. Non hoc sonant libri Manichæi; cavisse Deum ne invaderetur ab hostibus, sæpissime ibi significatur, sæpissime dicitur. Sed concedamus ista Manichæum sensisse, ut ille dicebat,

[1] Vide Confess. lib VII, cap. 2.

qui non inveniebat aliud quod diceret : num istam ratione Deus a credulitate aut infirmitate defenditur ? Hæc enim ejus in adversam gentem bonitas, in suos extitit magna pernicies. Huc accedit, quia si natura illius corrumpi commutarique non posset, nec nos ulla pestis commutaret atque corrumperet ; et ille ordo qui naturæ alienæ præstandus fuit ; posset sine nostra perversitate præstari.

XXVI. Illud vero nondum dictum erat, quod nuper apud Carthaginem audivi (10). Cum enim quidam, quem maxime illo errore cupio liberari, hac quæstione in easdem compingeretur angustias, ausus est dicere, scilicet regnum habuisse quosdam fines suos, qui possent invadi a gente contraria ; nam ipsum Deum nullo modo potuisse violari. Sed dixit quod neque auctor ille vester ullo modo dicere cogeretur : videret enim fortasse consequentes ruinas suæ sectæ multo per hanc sententiam, quam per aliam faciliores. Et revera ita se hoc habet, ut si quisquam mediocris cordis audierit in natura illa fuisse, aliud violabile, aliud inviolabile, facile intelligat non jam duas, sed tres esse naturas, unam inviolabilem, alteram violabilem, tertiam violatricem.

XXVII. Hæ igitur blasphemiæ, cum a corde profectæ, quotidie in ore vestro habitent, desinite aliquando signaculum oris vestri, ad imperitorum illecebram, quasi magnum aliquid prædicare. Nisi forte quod non vescimini carnibus, et vinum non bibitis, signaculum oris mirandum et laudandum putatis. Quod quæro a vobis, quo fine faciatis. Finis enim quo referuntur ea quæ facimus, id est, propter quem facimus quidquid facimus, si non solum inculpabilis, sed etiam laudabilis fuerit, tunc demum etiam facta nostra laude aliqua digna sunt : sin ille jure meritoque culpatur, quem spectamus et intuemur,

cum in aliquo versamur officio, id quoque officium nemo improbandum vituperandumque dubitaverit.

XXVIII. De Catilina memoriæ proditum est, quod frigus, sitim, famem ferre poterat [1]. Hæc erant illi spurco sacrilegoque etiam cum Apostolis nostris communia. Unde ergo discernitur parricida iste ab Apostolis nostris, nisi fine illo quem diversissimum sequebatur? Namque ille ista tolerabat, ut immoderatissimas et immanissimas expleret cupiditates : illi e contra ut eas premerent, et dominanti rationi servire cogerent. Soletis et vos, cum catholicarum vobis virginum multitudo prædicatur, dicere : Etiam mula virgo est. Temere id quidem, propter imperitiam catholicæ disciplinæ, sed tamen significantes vanam esse continentiam istam, nisi ad aliquem rectissimum finem certa ratione referatur. Possunt et catholici Christiani vestram a vino et carnibus abstinentiam, jumentis et multis passeribus, postremo etiam innumerabilibus generibus vermium comparare. Sed ne in vestram incidam temeritatem, non id præpropere faciam, sed discutiam primo quo ista fine faciatis. Jam enim constat inter nos, ut opinor hujuscemodi moribus nihil aliud esse quærendum. Si ergo parcimoniæ gratia et coërcendæ libidinis, qua escis talibus et potu delectamur et capimur, audio et probo ; sed non ita est.

XXIX. Nam quæro a vobis, si quis existat, quod fieri potest, ita homo parcus et frugi, ut appetitum ventris et gutturis moderans, non epuletur bis per unum diem ; et huic cœnanti oluscula cum exiguo lardo apponantur, eodem lardo uncta atque condita, quantum comprimendæ fami sat est; sitimque irriget propter diligentiam valetudinis, duabus aut tribus vini meracis potionibus, isque illi victus sit quotidianus : alius vero ex alia parte

[1] Sallust. in prolog. Catilinæ.

nihil gustans carnium, nihil vini, exquisitas et peregrinas fruges multis ferculis variatas et largo pipere aspersas nona hora libenter assumat, noctis etiam principio talia cœnaturus; bibat autem mulsum, carœnum passum, et nonnullorum pomorum expressos succos, vini speciem satis imitantes, atque id etiam suavitate vincentes; et bibat non quantum sitit, sed quantum libet; idque sibi exhibendum curet quotidie, talique victu deliciisque perfruatur, nulla necessitate, magna voluptate : quem tandem horum duorum, quod ad cibandum potandumque attinet, abstinentius vitam ducere judicatis? Non opinor usque adeo vos esse cæcos, quin illum de parco lardo et vino, huic gurgiti præferatis.

XXX. Ita quidem veritas cogit, sed vester error longe aliter canit. Electus enim vester tribus signaculis prædicatus, si quotidie ita vivat, ut hic quem posterius descripsimus, ab uno, et fortasse duobus gravioribus reprehendi potest, damnari autem tanquam signaculi dissignator omnino non potest. Si autem semel cum illo priore cœnaverit, frustoque pernæ vel rancido labra unxerit, et vappa udaverit, solutor signaculi et gehennæ illico destinatus, vestri auctoris sententia, mirantibus vobis, sed tamen consentientibus, judicabitur. Quæso relinquite errorem, quæso advertite rationem, quæso aliquantulum consuetudini obsistite. Quid enim est ista pravitate perversius? Quid magis delirum? Quid porro insanius dici aut cogitari potest, hominem boletos, orizam, tubera, placentas, carœnum, piper, laser, distento ventre cum gratulatione ructantem, et quotidie talia requirentem, non inveniri quemadmodum a tribus signaculis, id est, a regula sanctitatis excidisse videatur; alium vero fruges vilissimas fumoso obsonio condientem, tantumque hinc assumentem, quantum refectioni corporis

sufficit, et tres cyathos vini sustentandæ valetudinis gratia sorbentem, et ab illo victu ad istum transeuntem, certo supplicio præparari?

XXXI. At enim ait Apostolus : « Bonum est, fratres, » non manducare carnem, neque bibere vinum [1]. » Quasi vero quisquam nostrum id bonum neget : sed aut eo fine quem superius commemoravi, secundum quem dicitur : « Et carnis curam ne feceritis in concupiscentiis : » aut eis quos rursus idem Paulus ostendit ; id est, aut refrenandæ gulæ causa, quæ his rebus solet rabidius immoderatiusque raptari ; aut ne frater offendatur ; aut ab infirmis idolio communicetur. Eo enim tempore, quo hæc scribebat Apostolus, multa immolatitia caro in macello vendebatur. Et quia vino etiam libabatur diis gentium, multi fratres infirmiores, qui etiam rebus his venalibus utebantur, penitus a carnibus se et vino cohibere maluerunt, quam vel nescientes incidere in eam quam putabant cum idolis communicationem. Propter hos autem etiam ii qui firmiores erant, et hæc majori fide contemnenda judicarant, scientes nihil immundum esse nisi per malam conscientiam, tenentesque illam Domini sententiam : « Non quod intrat in os vestrum, vos coinquinat, » sed quod exit [2] : tamen propter hos infirmiores, ne offenderentur, ab his rebus abstinere debebant. Neque hoc suspicione colligitur, sed in ipsis Apostoli Epistolis manifeste invenitur. Vos enim hoc solum nobis dicere soletis : « Bonum est, fratres, non manducare carnem, neque » bibere vinum [3] : » non autem subjungere illud quod sequitur : « Neque in quo frater tuus offenditur, aut scan- » dalizatur, aut infirmatur. » Hinc enim elucet quo fine Apostolus hæc præcipiebat.

XXXII. Planius hoc indicant superiora et sequentia,

[1] Rom. XIV, 21. — [2] Matth. XV, 11. — [3] Rom. XIV, 21.

quæ commemorare longum est quidem, sed propter eos, qui ad divinas Scripturas legendas et pertractandas pigri sunt, totum istum locum retexere cogimur. « Infirmum » autem in fide assumite, inquit, non in disceptationi- » bus cogitationum. Alius enim credit manducare omnia : » qui autem infirmus est, olus manducet. Is qui man- » ducat, non manducantem non spernat; et qui non » manducat, manducantem non judicet : Deus enim il- » lum assumpsit. Tu quis es qui judicas alienum servum? » Suo Domino stat, aut cadit : stabit autem. Potens est » enim Deus statuere illum. Nam alius judicat diem inter » diem, alius judicat omnem diem : unusquisque in suo » sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit : et qui » manducat, Domino manducat; gratias enim agit Deo. » Et qui non manducat, Domino non manducat, et gra- » tias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo » sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; » sive morimur, Domino morimur. Sive enim vivimus, » sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus et » vixit, et mortuus est, et resurrexit, ut et vivorum et » mortuorum dominetur. Tu autem quid judicas fratrem » tuum, aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim » stabimus ante tribunal Dei. Scriptum est enim : Vivo » ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne » genu, et confitebitur omnis lingua Deo [1]. Itaque unus- » quisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo » amplius invicem dijudicemus, sed hoc judicate magis, » ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Scio et » confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ip- » sum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi » commune est. Si enim propter cibum frater tuus con- » tristatur, non jam secundum charitatem ambulas. Noli

[1] Isai. XLV, 23.

» cibo tuo perdere illum, pro quo Christus mortuus est. » Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium » in Spiritu sancto. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. Itaque quæ pacis » sunt sectemur, et quæ ædificationis sunt in invicem. » Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem » munda sunt, sed malum est homini qui per offensionem manducat. Bonum est non manducare carnem, et » non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem habes » penes temetipsum, habe coram Deo. Beatus qui non » judicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducaverit damnatus est, quia non ex » fide [1]. Omne autem quod non ex fide, peccatum est. » Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum » sustinere, et non nobis placere. Unusquisque nostrum » proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit [2]. »

XXXIII. Satis-ne apparet Apostolum eis præcepisse, ut carnes non manducarent, neque vinum biberent quicumque firmiores essent : quia infirmos offendebant non eis congruendo, et faciebant ut putarent eos, qui fide omnia munda judicabant, in obsequium idolorum a talibus epulis et potu nolle abstinere? Hoc significat et ad Corinthios hoc modo scribens : « De escis autem sacrifi» ciorum quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est » idolum in mundo, et quod nullus Deus nisi unus. Nam » etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, » nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos » in illo, et unus Dominus Jesus Christus, per quem » omnia, et nos per ipsum. Sed non in omnibus est

[1] Rom. xiv. 1 usque ad finem. — [2] Id. xv, 1-3.

» scientia. Quidam autem in conscientia sua usque adhuc » in idolio quasi idolothytum manducant, et conscientia » eorum cum sit infirma inquinatur. Esca autem nos » non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, » abundabimus; neque si non manducaverimus, deficie- » mus. Videte autem ne forte hæc licentia vestra offen- » diculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui » habet scientiam, in idolio recumbentem; nonne con- » scientia ejus cum sit infirma, ædificabitur ad mandu- » candum idolothyta, et peribit infirmus in tua conscien- » tia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic » autem peccantes in fratres, et percutientes conscien- » tiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis. Qua- » propter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem scandalizem [1]. »

XXXIV. Item alio loco : « Quid ergo dico quod idolis » immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid? Sed » quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non » Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non po- » testis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum; » non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæ- » moniorum. An æmulamur Dominum? Numquid illo » fortiores sumus? Omnia mihi licita sunt, sed non omnia » expediunt : omnia mihi licita sunt, sed non omnia ædifi- » cant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. » Omne quod in macello venit, manducate; nihil inter- » rogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit : » Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter » illum qui indicat, et propter conscientiam : conscien- » tiam autem dico, non tuam, sed alterius. Ut quid enim » libertas mea judicatur ab alia conscientia? Si ego cum » gratia participo, quid blasphemor pro quo gratias ago?

[1] 1 Cor. VIII, 4-13.

» Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid faci-
» tis, omnia in gloriam Dei facite. Sine offensione estote
» Judæis et Græcis et Ecclesiæ Dei, sicut et ego omnibus
» per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est,
» sed quod multis, ut salvi fiant [1]. Imitatores mei estote,
» sicut et ego Christi [2]. »

XXXV. Apparet igitur, ut opinor, quo fine a carnibus et a vino sit abstinendum. Is finis est triplex. Ad comprimendam delectationem, quæ in his maxime cibis haberi solet, atque in tali potu usque ad ebrietatem pervenire. Ad tuendam infirmitatem, propter illa quæ sacrificantur atque libantur. Et quod maxime commendandum est, propter charitatem, ne imbecilliorum ab his continentium offendatur infirmitas. Vos autem immunda esse obsonia dicitis, cum dicat Apostolus omnia munda esse, sed ei malum esse qui per offensionem manducat. Et prorsus credo vos istis epulis inquinari, eo ipso quo immunda esse arbitramini. Ait enim : « Credo et confido in
» Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum; sed ei
» qui existimat aliquid commune esse, illi commune
» est [3]. » Cui autem dubium est, commune illum, immundum et inquinatum vocasse? Sed stultum est vobiscum agere de Scripturis, cum et rationem pollicendo decipiatis; et eos libros, in quibus magna est religionis auctoritas, falsis capitibus immissis corruptos esse dicatis. Ratione igitur mihi persuadete, quomodo vescentem carnes coinquinent, si sine ulla offensione, sine ulla infirma opinione, sine ulla libidine sumuntur.

XXXVI. Operæ-pretium est totam superstitiosæ hujus abstinentiæ rationem cognoscere, quæ ita redditur : Quoniam, inquit, membrum Dei malorum substantiæ commixtum est, ut eam refrenaret, atque a summo furore

[1] 1 Cor. x, 19-33. — [2] Id. xi, 1. — [3] Rom. xiv, 20. — 4 Tit. i, 15.

comprimeret (sic enim dicitis), de commixta utraque natura, id est, boni et mali, mundus est fabricatus. Pars autem illa divina ex omni parte mundi quotidie purgatur, et in sua regna resumitur : sed hæc per terram exhalans, et ad cœlum tendens, incurrit in stirpes, quoniam radicibus terræ affiguntur, atque ita omnes herbas et arbusta omnia fœcundat et vegetat. Hinc animalia cibum capiunt, quæ si concumbunt, ligant in carne divinum illud membrum, et a certo suo itinere aversum atque impeditum, erroribus ærumnisque implicant. Itaque cibi qui de frugibus et pomis parantur, si ad sanctos, id est, ad Manichæos veniant, per eorum castitatem, et orationes, et psalmos quidquid in eis est luculentum et divinum purgatur, id est, ex omni parte perficitur, ut ad regna propria sine ulla sordium difficultate referatur. Hinc est quod mendicanti homini, qui Manichæus non sit, panem vel aliquid frugum, vel aquam ipsam, quæ omnibus vilis est, dari prohibetis ; ne membrum Dei, quod his rebus admixtum est, suis peccatis sordidatum a reditu impediat.

XXXVII. Carnes autem jam de ipsis sordibus dicitis esse concretas. Fugit enim aliquid partis illius divinæ, ut perhibetis, dum fruges et poma carpuntur ; fugit cum affliguntur, vel terendo, vel molendo, vel coquendo, vel etiam mordendo atque mandendo. Fugit etiam in omnibus motibus animalium, vel cum gestiunt, vel cum exercentur, vel cum laborant, vel cum omnino aliquid operantur. Fugit etiam in ipsa quiete nostra, dum in corpore, illa quæ appellatur digestio, interiore calore conficitur. Atque ita tot occasionibus divina fugiente natura, quiddam sordidissimum remanet, unde per concubitum caro formetur ; cum anima tamen boni generis, quoniam quamvis plurimum, non tamen totum bonum, memoratis illis motibus evolat. Quocirca cum anima etiam carnem deseruerit, ni-

mias sordes reliquas fieri, et ideo eorum qui vescuntur carnibus, animam coinquinari.

XXXVIII. O rerum naturæ obscuritas, quantum tegmen est falsitatis? Quis non, hæc audiens, qui rerum causas non didicit, qui nondum veritatis quantulocumque lumine aspersus corporeis imaginibus fallitur, eo ipso quo hæc minime apparent, et per quædam simulacra rerum visibilium cogitantur, et diserte dici possunt, vera esse arbitretur? Talium autem hominum magnæ turbæ atque greges vocantur, quos religiosus timor ab his fallaciis potius quam ratio tutos facit. Quamobrem ita ego ista conabor refellere, quantum me Deus adjuvare dignabitur, ut non solum prudentium judicio, quo simul ac dicta fuerint improbentur, sed ipsi etiam vulgari intelligentiæ, quam sint falsa et absurda satis eluceat.

XXXIX. Primo enim quæro, unde doceatis in frumentis, ac legumine, et oleribus, et floribus, et pomis inesse istam nescio quam partem Dei. Ex ipso coloris nitore, inquiunt, et odoris jucunditate, et saporis suavitate manifestum est: quæ dum non habent putria, eodem bono sese deserta esse significant. Non pudet Deum naso et palato inventum putare? sed hæc omitto. Latine enim vobis dicam, et ut dicit assolet, multum est ad vos. Illud potius qualicumque mente intelligendum fuit, si colore apparet in corporibus boni præsentia, fimum animalium, quod ipsarum etiam carnium purgamentum est, diversis nitere coloribus, alias candido, plerumque aureolo, et aliis hujusmodi, quos in pomis et floribus velut testes Dei præsentis atque inhærentis accipitis. Quid tandem causæ est, quod ruborem in rosa indicem abundantis boni esse perhibetis, et eumdem damnatis in sanguine? Cur in viola eumdem colorem amplectimini, quem in choleribus, in morbo icteriorum, in infantis denique fimo aspernamini?

Cur nitorem atque fulgorem olei, clamare copiam coadmixti boni arbitramini, et ad id purgandum fauces et ventrem paratis : de pingui autem carne simillimi fulgoris distillantibus guttis labra contingere formidatis? Cur de thesauris Dei melonem putatis aureum esse ; et pernæ adipem rancidam, vel ovi medium non putatis? Cur vobis candor in lactucis prædicat Deum, in lacte non prædicat? De coloribus enim adhuc loquor, in quibus (ut omittam cætera) unius pavonis pennis et plumis, quæ certe de concubitu et carne nascuntur, nulla potestis vestita floribus prata conferre.

XL. Nam si et odore invenitur hoc bonum, nonnullorum animalium carnibus miri odoris conficiuntur unguenta. Cibi denique ipsi, qui cum carnibus meliusculis concoqui solent, multo jucundius olent quam si eis caro defuisset. Postremo si suavius olentia mundiora judicatis, quodam luto vesci avidius, quam cisterninam aquam bibere debuistis : quia perfusa imbri terra siccior, nares miro odore permulcet, meliusque olet tale lutum, quam si exciperetur pluvia purior. Quod si saporem opus est attestari, ut cognoscamus habitare in corpore aliquid Dei, magis habitat in dactylis et melle quam in carne porcina, sed magis in carne porcina quam in faba ; magis in fico quam in ficato, ecce concedo ; sed et vos concedite, magis in ficato quam in beta. Quod ista ratione cogimini confiteri, quasdam stirpes, quas certe omnes mundiores vultis quam carnem, ex ipsa carne accipere Deum, si sapore Deus immixtus agnoscitur? Nam et olera sapidiora fiunt cocta cum carnibus : et herbas quibus pecora pascuntur, gustare non possumus ; conversas autem in succum lactis, et colore præstantiores, et sapore commodissimas judicamus.

XLI. An bona tria simul ubi fuerint, id est, color

bonus et odor et sapor, ibi esse majorem boni partem putatis? Nolite ergo flores tantopere mirari atque laudare, quos judicandos ad tribunal palati non potestis admittere. Nolite portulacam saltem carnibus anteponere, quæ ab his coctis et colore et sapore et odore superatur. Porcellus assus, (hoc enim cogitis, ut de bono et de malo, non scriptoribus et librariis, sed coquis et dulciariis ministris vobiscum potius disseramus) porcellus ergo assus et colore nitidus, et odore blandus, et sapore jucundus est: habetis perfectum divinæ substantiæ inhabitantis indicium: trino testimonio vos invitat, et purgari vestra sanctitate desiderat. Invadite: quid cunctamini? quid contradicere paratis? Colore solo lenticulam fimus vincit infantis, odore solo assa offella superat mitem ac viridem ficum, sapore solo hœdus occisus herbam, quam vivus pascitur, vincit: inventa est etiam caro, cujus causa his simul tribus testibus adjuvetur. Quid quæritis amplius? aut quid dicturi estis? Cur vos epulantes immundos faciant pulpamenta, et disputantes hæc portenta non faciant: præsertim cum solis istius radius, quem vos certe et carnibus omnibus et frugibus anteponitis, nec oleat, nec sapiat, sed tantummodo inter cætera corpora, præstantia fulgentissimi coloris emineat: qui vos magnopere hortatur, atque adeo cogit invitos, ut inter documenta commixti boni, nihil coloris nitori præferatis.

XLII. Ad illas ergo reducimini angustias, ut magis in sanguine et in iis quæ animalium carnibus fœtidissima, sed nitide colorata in vicis egeruntur, quam in olivæ foliis pallentibus partem Dei habitare fateamini. Quod si dicitis, nam etiam hoc dicitis, olivæ folia, cum incenduntur, ignem emittere, in quo præsentia lucis apparet, carnes autem, cum incenduntur, non idem facere: quid de adipe respondebitis, qui prope omnes Italas lucernas illuminat? Quid de fimo

bubulo, qui est certe bovis carne sordidior, quo siccato rustici sic utuntur ad focum, ut ejus igne facilius nihil sit fumoque purgatius? Quid quod, si nitor et fulgor majorem præsentiam divinæ partis ostendit, eam vos non purgatis, non consignatis, non liberatis? Si quidem est maxime in floribus, ut omittam sanguinem, et innumerabilia in carne, vel ex carne simillima, quos certe flores habere in epulis non potestis: qui si etiam carnibus vesceremini, squamas certe piscium, et quosdam vermiculos atque muscas, quæ omnia etiam in tenebris luce propria coruscant, pulmentis vestris non adhiberetis.

XLIII. Quid igitur restat nisi ut dicere desinatis, habere vos idoneos judices oculos, nares, palatum, quibus divinæ partis præsentiam in corporibus approbetis? His autem remotis, unde docebitis non modo majorem partem Dei in stirpibus esse quam in carnibus, sed omnino esse aliquid ejus in stirpibus? An pulchritudo vos movet, non quæ in suavitate coloris est, sed quæ in partium congruentia? Utinam hoc esset. Quando enim corporibus animantium, in quorum forma paribus paria membra respondeant, auderetis distorta ligna conferre? Sed si corporalium sensuum testimoniis delectamini, quod necesse est iis, qui vim essentiæ mente videre non possunt, quomodo probatis per moram temporis, et per obtritiones quasdam, fugere de corporibus substantiam boni, nisi quia inde discedit Deus, ut asseritis, et de loco in locum migrat? Plenum est dementiæ. Verumtamen signa vos ad istam sententiam et indicia, quantum existimare possum, nulla duxerunt. Multa enim carpta de arboribus vel evulsa de terra, antequam ad cibum nostrum veniant, interpositione aliqua temporis meliora redduntur; ut porri et intiba, lactucæ, uvæ, mala, ficus, et quædam pira: et multa præterea quæ et colorantur melius, dum non statim

ut decerpta fuerint absumuntur, et corpore capiuntur salubrius, et sapiunt in ore conditius : quæ tanta commoditas et suavitas inesse his rebus minime deberet, si secundum vestram sententiam, tanto desertiora bono fierent, quanto diuturnius reponuntur, postquam a terra quasi a matre separata sunt. Caro ipsa pridie occisorum animalium profecto est jucundior atque commodior : non autem ita esse oportebat, si, ut asseritis, plus haberet boni, eo die recens animante interempto, quam postridie cum divinæ substantiæ major fuga facta esset.

XLIV. Vinum vero vetustate purius meliusque fieri quis ignoret? nec ad pervertendos sensus redolentius; ut putatis, sed ad vegetandum corpus utilius : tantum adsit modus, quem in omni re dominari decet. Nam musto recentiore perversitas sensuum citius solet accidere : ita ut si aliquando in lacu remanserit, aliquantumque ferbuerit, intuentes desuper percusso cerebro præcipites agat, et nisi aliquo modo subveniatur, extinguat. Jam quod ad valetudinem attinet, inflari eo corpora pernicioseque distendi, quis abnuat? Num ideo tanta incommoda insunt, quia plus habet boni : propterea ista in vini vetustate non sunt, quia divinæ substantiæ pars magna discessit? Absurdum est dicere, vobis præsertim qui præsentiam partis Dei, oculis, naribus, palato, cum hi sensus bene afficiuntur, judicatis. Jamvero quæ tanta perversio est, vinum putare fel principum tenebrarum, et uvis comedendis non parcere? Magis-ne inerit illud fel cum in cupa, quam cum in acinis fuerit? Quod si bono discedente quasi meracius remanet malum, et id temporis mora contingit, non oportebat easdem uvas suspensas atque servatas fieri mitiores, dulciores, salubriores : neque ipsum vinum quod supra dictum est, et amissa luce liquidius atque luculentius, et salutifera substantia discedente salubrius.

XLV. Quid dicam de lignis et frondibus, quæ tempore arescunt, nec ex eo a vobis dici possunt deteriora fieri? Id enim amittunt quo fumus gignitur, id autem retinent unde lucida flamma consurgit, et ea claritate quam multum diligitis, purius bonum in aridioribus, quam in viridioribus esse testatur. Ex quo fit, ut aut negetis Dei partem in luce pura quam in fumosa esse majorem, et ita omnia documenta vestra turbetis; aut fateamini fieri posse, ut de stirpibus amputatis vel evulsis, si diuturniore tempore reponantur, copiosius fugiat mali natura quam boni. Quo concesso, tenebimus de frugibus carptis majus malum posse abire, atque ita in carnibus majus bonum posse remanere. Et hoc quidem de tempore dictum sit.

XLVI. Nam si commotione et subactione et attritione harum rerum, fugæ occasionem invenit divina illa natura, multa vos similia redarguunt, quæ fiunt movendo meliora. Hordei quidam succo vinum imitantur, quod movendo fit optimum. Sane quod minime prætereundum est hoc genus potus citissime inebriat: nec tamen unquam succum hordei, fel principum esse dixistis. Farina parciore aqua perite contrahitur paulo durius, ut subigendo fiat melior, et quo dici perversius nihil potest, luce fugiente candidior. Pastillarius mella diu subigit, ut ad illum candorem perveniant, et minus noxiam mitioremque dulcedinem: hoc quomodo eveniat bono discedente, disserite. Quod si non visu et odoratu et gustu, sed auditu etiam delectato præsentiam Dei placet probare, caro citharis nervos, et tibiis ossa largitur, quæ siccata et attrita et torta sonora redduntur. Ita dulcedo musica, quam de divinis regnis venisse contenditis, nobis mortuarum carnium sordibus exhibetur, et tempore arefactis, et attritione tenuatis, et tortione distentis: quibus afflictationibus etiam de rebus viventibus divinam substantiam fugere

prædicatis; quod etiam decoctione earum accidere dicitis. Cur ergo elixati cardui minime obsunt valetudini? Utrum ab eis dum ita coquuntur, Deum an partem Dei discedere existimandum est?

XLVII. Quid cætera persequar, quæ omnia dici nec facile est, nec necessarium? Cui enim non occurrit, quam multa cocta suaviora et salubriora sint? Quod non deberent, si, ut opinamini, hujuscemodi commotionibus deseruntur bono. Nihil vos prorsus invenire arbitror, unde istis corporis sensibus approbetis, ideo carnes immundas esse, atque animas inquinare vescentium, quod carptæ fruges post multas commotiones vertantur in carnem, præsertim cum et vestutatem corruptionemque aceti, putetis vino esse mundiorem, et carœnum quod bibitis, nihil aliud quam coctum vinum esse videamus, quod vino deberet esse sordidius, si motibus et coctionibus de rebus corporeis membra divina discedunt. Si autem non ita est, non est cur arbitremini fruges, cum carpuntur, reponuntur, tractantur, coquuntur, digeruntur, fugiente bono deseri, et propterea sordidissimam creandis corporibus præbere materiam.

XLVIII. Quod si non colore, et forma, et odore, et sapore ducimini; ut bonum his rebus inesse judicetis, quid aliud potestis afferre? An argumento vobis est firmitas quædam atque valentia, quæ istis rebus detrahi videtur, dum a terra separantur atque tractantur? Sed si hoc vos moveret (quanquam falsum id esse cito animadverti potest, propter nonnullorum auctam, postquam terræ detracta sunt, firmitatem, ut jam de vino commemoratum est, quod fit robustius vetustate) tamen si hæc firmitas vos moveret, ut dixi, in nullo magis cibo quam in carnibus, copiosiorem partem Dei probaretis esse. Non enim athletæ, quibus illud robur et valentia maxime

necessaria est, olere ac pomis, et non carne vescuntur.

XLIX. An quia carnes aluntur arboribus, arbores autem carnibus non aluntur, idcirco arbitramini illarum quam nostra corpora esse meliora? Non consideratis rem tam in promptu sitam, arbusta lætiora et fœcundiora, segetesque pinguiores alimento stercorum fieri, cum vos in accusatione carnis nihil gravius vobis dicere videamini, quam cum dicitis esse stercorum domum. Hinc ergo aluntur ea, quæ vobis munda sunt, quod in ea re quæ vobis immunda est, multo esse immundius prædicatis. Quod si carnem ob hoc aspernamini, quod post concubitum nascitur, vermium vos caro delectet, qui in pomis, in lignis, in terra ipsa denique sine ullo concubitu tam multi magnique nascuntur. Sed nescio quæ ista simulatio est. Nam si vobis propterea displiceret caro, quod patris atque matris commixtione formatur, non illos principes tenebrarum de fructibus arborum suarum natos fuisse diceretis, quos certe amplius aspernamini quam carnes, quas gustare non vultis.

L. Nam quod opinamini omnes quidem animas animalium de parentum cibis venire, a quibus carceribus vos liberare gloriamini divinam substantiam, quæ in vestris tenetur alimentis, nimium contra vos, et ad carnes edendas vos instantissime impellit. Cur enim animas, quas illigaturi sunt corpori qui carnibus epulantur, non præoccupando et vescendo liberatis? Sed, inquit, non de carnibus aliquid ab eis bonæ partis illigatur, sed frugibus quas cum carnibus sumunt. Quid ergo de animis leonum, quorum cibus sola caro est, respondendum videtur: Bibunt, inquit, et ideo anima illa de aqua tracta carnique implicata est? Quid de innumerabilibus avibus? Quid de ipsis aquilis dici potest, quæ non nisi carne pascuntur, nec ullo potu indigent? Certe hic deficitur, et quid responderi possit non invenitur. Si enim anima de cibis ve-

nit, et sunt animalia fœtum gignentia, quorum et nullus potus, et cibus sola sit caro, est in carne anima, qui purgandæ more vestro subvenire deberetis vescendo carnem. Nisi forte porcum, quod et frugibus alitur, et aquam bibit, animam lucis habere arbitramini : aquilæ vero, cui sol maxime congruit, tenebrarum animam, quia sola carne vivit, inesse defenditis.

LI. O rerum angustias, o incredibiles absurditates ! in quas profecto non incidissetis, si a vanissimis fabulis alieni, hoc ad continentiam ciborum sequeremini quod veritas probat ; ut concupiscentiæ coërcendæ gratia, non vitandæ immunditiæ quæ nulla est deliciosas escas respuendas judicaretis. Nam si quis etiam rerum naturam vimque animæ et corporis minus intuens, vobis concedat animam coïnquinari de obsonio, multo magis eam tamen immundam fieri cupiditate conceditis. Quæ ergo ratio est, vel potius amentia, de numero electorum hominem pellere, qui forte carnem valetudinis causa, nulla cupiditate gustaverit : si autem piperata tubera voraciter edere concupierit, immodestiæ tantum forte possitis reprehendere, non autem ut corruptorem damnare signaculi ? Ita fit ut in electis vestris esse non possit, qui proditus fuerit, non concupiscendo, sed medendo partem aliquam cœnasse gallinæ : esse autem in iis possit qui vehementer cumiphas, et alia placenta carne carentia desiderasse se ipse prodiderit. Tenetis ergo eum quem cupiditas sordibus mergit, quem vero ipse cibus, ut arbitramini, maculat, non tenetis, cum inquinationem de concupiscentia quam de obsonio longe majorem fieri fateamini, complectentes tamen eum, qui conditis suavissime frugibus imminet inhians, seseque non tenet : excludentes eum qui quaslibet epulas hominum comprimendæ famis causa sine ulla cupiditate paratus sumere, et paratus amittere, indifferenter capit.

En miri mores, en egregia disciplina, en memorabilis temperantia.

LII. Jam quod ea quæ vobis quasi purganda offeruntur ad epulas, nefas putatis si quis alius præter electos ad cibandum tetigerit, quantæ turpitudinis et aliquando sceleris plenum est? Si quidem sæpe tam multa dantur, ut consumi facile a paucis non possint. Et quoniam sacrilegium putatur, vel aliis dare quod redundat, vel certe abjicere, in magnas contrudimini cruditates, totum quod datum est quasi purgare cupientes. Jamvero distenti, et prope crepantes, eos qui sub vestra disciplina sunt, pueros ad devoranda reliqua crudeli dominatione compellitis: ita ut cuidam sit Romæ objectum, quod miseros parvulos cogendo ad vescendum tali superstitione necaverit. Quod non crederem, nisi scirem quantum nefas esse arbitremini, vel aliis hæc dare qui electi non sunt, vel certe projicienda curare. Unde illa vescendi necessitas resta, quæ ad turpissimam cruditatem pene quotidie, aliquando tamen potest et usque ad homicidium pervenire.

LIII. Quæ cum ita sint, etiam panem mendicanti dare prohibetis : censetis tamen propter misericordiam, vel potius propter invidiam nummos dari. Quid hic prius arguam, crudelitatem, an vecordiam? Quid enim si eo loco res agatur, ubi venalis cibus inveniri non potest? Homo egens ille fame moriturus est, dum tu vir sapiens et benignus magis cucumerem quam hominem miseraris. Hæc est profecto (quid enim dicam congruentius et planius?) falsa misericordia et vera crudelitas. Nunc vecordiam videamus. Quid enim si nummis illis, quos dederis, sibi panem emat? Nonne hoc in illo pars illa vestra divina, qui hanc sumit a venditore, passura est, quod passura erat, si te dante sumpsisset? Involvit igitur sordibus peccator ille mendicus partem Dei revolare cupientem, tuis

nummis ad tantum scelus adjutus : et tamen vos homines prudentissimi interesse arbitramini, si homicidium facturo non detis hominem quem occidat, sed scientes pecuniam unde occidendum comparet, detis. Quid ad hanc insaniam addi potest? Ita enim fit ut aut homo moriatur, si venalem non invenerit cibum, aut cibus ipse, si invenerit: quorum alterum est verum homicidium ; alterum vestrum, vobis tamen ita tribuendum, tanquam utrumque sit verum. Nam quod auditores vestros non prohibetis carnibus vesci, sed occidere animalia prohibetis, quid stultius et perversius fieri potest? Nam si talis non contaminat cibus, vos quoque sumite : si contaminat, quæ tandem dementia est majus nefas putare, animam porcinam de corpore solvere, quam humanam porcino corpore maculare?

LIV. Sed jam ad manuum signaculum considerandum tractandumque veniamus. Ac primum quidem quod ab animalium nece, et ab stirpium laceratione vos temperatis, superstitiosissimum Christus ostendit : qui nullam nobis cum belluis et arboribus societatem juris esse judicans, et in gregem porcorum dæmones misit, et arborem in qua fructum non invenerat, maledicto aridam fecit[1]. Nihil certe porci, nihil arbor illa peccaverat. Neque enim usque eo dementes sumus, ut arbitremur sua sponte arborem vel frugiferam esse vel sterilem. Neque illud hic vobis dicendum est, his factis Dominum nostrum alia quædam significare voluisse : quis enim nesciat? Sed certe Filio Dei non per homicidium signum dandum fuit, si arborem necare, ut vos dicitis, homicidium est, aut necare animalia. Nam et de hominibus, cum quibus utique sumus juris societate conjuncti, signa quædam dedit, sed sanando homines, non necando. Quod et de belluis et de arbori-

[1] Marc. VIII, 32. — [2] Matth. XXI, 19.

bus faceret, si eadem nos cum illis societate, qua vos opinamini, conjunctos esse judicaret.

LV. Quo loco mihi auctoritas interponenda visa est, propterea quia de pecorum anima, et de quadam vita qua dicuntur arbores vivere, non potest vobiscum subtiliter disputari. Sed quoniam privilegio quodam vos tuemini, ut de Scripturis opprimi nequeatis, dicendo eas esse falsatas: quanquam ea quæ commemoravi de arbore, et de grege porcorum, nunquam a corruptoribus immissa esse dixistis: tamen ne considerantes quantum vobis adversentur, hoc idem etiam de his aliquando dicere velitis, teneam propositum meum, ut a vobis, magnis omnino pollicitatoribus rationis atque veritatis, quæram primum quid obsit arbori, non dico si pomum inde foliumve decerpas, quod quidem apud vos, si quis non imprudentia, sed sciens fecerit, signaculi corruptor sine ulla dubitatione damnabitur, sed omnino si eam radicitus eruas. Anima namque illa quam rationalem inesse arboribus arbitramini, arbore excisa vinculo solvitur, vos enim hoc dicitis, et eo quidem vinculo in quo magna miseria, nulla utilitate tenebatur. Nam et revolutionem hominis in arborem, notum est vos, id est, auctorem ipsum vestrum pro ingenti pœna, non tamen pro summa, solere minitari: et num potest in arbore anima fieri, ut in homine sapientior? Non necandi hominis quippe certissima ratio est, ne aut eum neces cujus sapientia et virtus aliis plurimum prodest, aut eum qui forte poterat ad sapientiam pervenire, sive extrinsecus ab aliquo admonitus, sive interioribus cogitationibus divinitus illustratus. Animam autem hominis quanto sapientior corpore excesserit, tanto utilius excedere veritas docet, et ratione subtilissima, et auctoritate latissime pervagata. Quamobrem qui arborem dejicit, animam nihil in sapientia proficientem de illo corpore liberat. Itaque vos homi

nes sancti, vos, inquam, potissimum excidere arbores deberetis, et earum animas ab illo vinculo exutas, orationibus et psalmis ad meliora perducere. An de his animis hoc fieri potest, non quas mente adjuveritis, sed quas ventre receperitis?

LVI. Quamvis idipsum animas arborum quandiu sunt in arboribus ad sapientiam non proficere, summæ angustiæ, quantum arbitror, vos compellunt fateri, cum a vobis quæritur, cur et arboribus non mittatur præceptor Apostolus, aut cur ille qui hominibus mittitur non et arboribus prædicet veritatem. Hic cogimini respondere, illas animas percipere in talibus corporibus præcepta divina non posse. Sed vehementius ab alio latere urgemini, quandoquidem illas perhibetis et audire voces nostras, et verba intelligere, et corpora motusque corporum intueri, cogitationes denique ipsas perspicere. Quæ si vera sunt, cur nihil possunt a lucis Apostolo discere, vel cur etiam multo facilius non possunt quam nos, cum interiora etiam mentis aspiciant. Ita enim magister ille, qui vos loquendo vix docet, ut dicitis, cogitando eas posset erudire, quæ sententias ejus ante sermonem inanimo cernerent. Si vero hæc falsa sunt, videte tandem in quo errore jaceatis.

LVII. Jam quod poma ipsi non decerpitis, herbamque non vellitis, sed tamen ab auditoribus vestris decerpi et evelli atque afferri vobis jubetis, non ut iis qui afferunt tantum, sed ut iis etiam quæ afferuntur, prodesse possitis, quis bene considerans ullo modo toleraverit? Primo, quia nihil interest, utrum ipse scelus admittas, an propter te ab alio admitti velis. Nolle te dicis? Quomodo ergo subvenitur illi divinæ parti, quæ in lactucis et in porris jacet, si nemo hæc evellat, et ad sanctos purganda deferat? Deinde tu ipse transiens per eum agrum, in quo tibi jure amicitiæ decerpendi quod libet potestas datur, si fico vi-

deris corvum imminentem, quid facies? Nonne ex opinione tua, ficus ipsa tecum loqui et deprecari miserabiliter videtur, ut eam ipse decerpas, et sancto ventre purificandam resuscitandamque sepelias potius, quam corvus ille devoratam funesto corpori misceat, atque in alias formas illigandam cruciandamque transmittat? quid te crudelius, si verum est? Quid ineptius, si falsum est? Quid magis contrarium disciplinæ vestræ, si signaculum solveris? Quid te inimicius Dei membro, si custodieris?

LVIII. Sed hoc ex vestra opinione falsa et nugatoria : nam certa et manifesta crudelitas in vobis esse convincitur, ex eodem ipso errore manans. Si quis enim per morbum corpore dissoluto, fessus ab itinere, ac peste semianimis in via jaceat, nihil valens amplius quam utcumque verba proferre, cui prosit ad stringendum corpus pirum dari, teque transeuntem ut subvenias oret, atque obsecret ut de arbore proxima, a qua nullo humano, nullo denique vero jure prohiberis, pomum afferas homini, post paululum nisi feceris morituro ; tu vir Christianus, et sanctus transibis potius, et hominem sic affectum precantemque deseres, ne arbor ploret dum fructus demitur, et tu signaculi dissolutor ad pœnas Manichæias destineris. O mores et innocentiam singularem!

LIX. Sed jam de nece animalium requiram quod movet, et multa quidem hujusmodi etiam in hoc genere dici possunt. Nam quid oberit animæ lupi, qui lupum interfecerit : cum et lupus ille, quandiu vivit lupus futurus sit, nec ulli obtemperet prædicatori, ut aliquantum ab ovium sanguine temperet ; et ex illo vinculo corporis, anima secundum vos rationalis, interfecta bellua liberetur? Et ab quidem cæde auditores etiam vestros prohibetis : major enim videtur quam in arboribus. Hic vestros sensus, corporeos videlicet, non multum improbo. Vide-

mus enim et vocibus sentimus, cum dolore mori animantia, quod quidem homo contemnit in bestia, cum qua scilicet rationalem animam non habente, nulla legis societate copulatur. Sed eosdem vestros sensus in intuendis arboribus quæro, et vos cæcos prorsus invenio. Ut enim omittam, quod nullis motibus in ligno sensus doloris apparet, quid manifestius quam tunc se optime habere arborem, cum viget, cum frondet, cum floribus læta, fructibus opulenta est? At hoc ei plerumque ac maxime putatione præstatur. Quod si ferrum sic sentiret, ut vultis, contabesceret potius tot tantisque affecta vulneribus, quam ex illis pullulans locis, tam certa exultatione revirescceret.

LX. Verumtamen cur majus nefas putatis animalia quam stirpes cædere, cum illæ vobis puriorem animam quam carnes habere videantur? Fit, inquit, compensatio quædam, cum eorum, quæ de agris auferuntur, pars aliqua datur electis sanctisque purganda. Jam superius ista frustrata sunt, satisque demonstratum est, quantum existimo, nulla ratione dici, plus esse in frugibus partis illius bonæ quam in carnibus. Sed si vendendis carnibus victum quisque sustentet, atque omne talis negotii lucrum in emendis electorum vestrorum cibis consumat, pluresque istis afferat sanctis escas quam agricola et rusticus, nonne eadem compensatione sibi animantia licere perimere clamitabit? Est, inquit, alia quædam secretissima ratio. Non enim deest homini callido adversus indoctos in naturæ obscuritate perfugium. Cœlestes enim, ait, principes, qui de gente tenebrarum capti atque vincti, a conditore mundi in illis ordinati sunt locis, sua quisque possidet in terra animalia, de suo scilicet genere ac stirpe venientia : qui peremptores eorum reos tenent, nec de hoc mundo exire permittunt, pœnisque illos quibus possunt, et cruciatibus atterunt. Quis imperitorum hæc non

formidet, et qui in tanta obscuritate nihil videt, hoc ita ut dicitur esse non arbitretur? Sed ego institutum non relinquam meum, cui Deus aderit, ut apertissima veritate obscura mendacia refellantur.

LXI. Quæro enim, si animalia, quæ in terris sunt et in aquis, de illo genere principum per successionem prolis et operationem concubitus veniunt, cum ad illos abortivos fœtus revocatur origo nascentium, quæro, inquam, si ita est, utrum apes, et ranas, et alia multa, quæ sine concubitu gignuntur, non sit nefas occidere? Nefas esse dicitis. Non ergo propter cognationem principum nescio quorum, ab animantium nece auditores vestros prohibetis. Aut si generalem cognationem omnium esse corporum dicitis, arbores quoque ad eamdem principum offensionem procul dubio pertinebunt, quibus parcere non est mandatum auditoribus. Reditur ergo ad illud invalidum, ea quæ in stirpibus auditores lædunt, expiari per fructus, quos ad ecclesiam vestram ferunt. Dictum est enim hoc modo, eos qui in macello laniant animalia carnesque venditant, si vestri auditores sint, suaque lucra comparatis frugibus vobis conferant, eædem illam quotidianam sibi licere contemnere, et quidquid in ea peccati est, vestris epulis aboleri.

LXII. Quod si dicatis, quemadmodum de pomis et de oleribus, conferendum fuisse ut illa interfectio veniam mereretur; quod quia fieri non potest (electi enim non edunt carnem) temperandum esse auditoribus a nece animalium; quid respondebitis de spinis herbisque inutilibus, quas evellendo in agris purgandis agricolæ necant, nec ex his vobis possunt cibos aliquos exhibere? Quomodo ad veniam pertinebit tanta vastatio, unde nulla est esca sanctorum? An forte quidquid peccatum fuerit ut fruges et poma proficiant, et de ipsis frugibus et pomis aliquid

comedendo dissolvitis? Quid si ergo agros locustæ aut mures et sorices vastant, quod sæpe accidere manifestum est, impune ab agricola vestro auditore necabuntur, quia ideo peccat ut fructus proficiant? Hic certe coarctamini. Aut enim conceditis auditoribus interfectionem animalium, quam vester auctor concedere noluit, aut eos ab agricultura etiam prohibebitis, quam ille concessit. Quanquam sæpe etiam dicere audeatis, fœneratorem innocentiorem esse quam rusticum, usque adeo melonibus quam hominibus estis amiciores. Si quidem illi ne lædantur, melius judicatis hominem fœnore trucidari. Hæccine est appetenda et prædicanda justitia, an potius execranda et damnanda fallacia? Hæccine est misericordia memorabilis, an execranda potius immanitas?

LXIII. Quid quod a nece animalium nec vos ipsi in pediculis et pulicibus et cimicibus temperatis? Magnamque hujus rei defensionem putatis, quod has esse sordes nostrorum corporum dicitis. Quod primo aperte falsum de pulice et cimice dicitur. Cui enim non manifestum est, hæc animalia non de nostro corpore existere? Deinde si concubitum vehementius execramini, quod nimium videri vultis, cur non vobis mundiora videntur animalia, quæ sine concubitu de nostra carne nascuntur? quanquam enim postea coëundo pariant, non tamen nobis coëuntibus de nostro corde primo nascuntur. Jamvero si quæcumque de viventibus gignuntur corporibus, sordidissima sunt putanda, multo magis quæcumque de mortuis. Impunius ergo occiditur vel sorex, vel anguis, vel scorpio, quos de humanis cadaveribus nasci, a vobis potissimum solemus audire. Sed obscura omitto et incerta. De apibus certe fama est celebrior, quod de boum cadaveribus oriantur. Ergo occiduntur impune. At si hoc

quoque dubium est[1], nemo fere de scarabeis dubitat, quin de fimo in pilam rotundato ab his atque obruto existant. Hæc igitur animantia et alia quæ persequi longum est, sordidiora certe debetis opinari, quam pediculos vestros : et tamen illa occidere nefas vobis videtur, his autem parcere stultum : nisi forte quod sunt hæc animalia parva, contemnitis. Sane si ita est, ut animal quo brevius est, eo contemptius esse debeat, necesse est camelum homini præferatis.

LXIV. Huc accedit illa gradatio, quæ cum vos audirem, nos sæpe turbavit. Nulla enim causa est, cur propter parvum corporis modulum, pulex necandus sit, non etiam musca quæ in faba gignitur. Et si hæc, cur non etiam ista paulo amplior, cujus certe fœtus minor est quam illa. Hoc etiam sequitur, ut apis quoque sine culpa perimatur, cujus pullus huic muscæ coæquatur. Inde ad locustæ pullum et locustam, inde ad pullum muris et murem. Et ne longum faciam, nonne videtis his gradibus ad elephantum perveniri, ut omnino recusari non possis ingentem illam belluam sine culpa se occidere, quisquis propter parvulum corpus interfectionem pulicis peccatum esse non putat? Sed jam etiam de hujusmodi nugis satis dictum arbitror.

LXV. Restat signaculum sinus, in quo multum incerta est castitas vestra. Non enim concubitum, sed ut longe ante ab Apostolo dictum est, vere nuptias prohibetis, quæ talis operis una est honesta defensio. Hic non dubito vos esse clamaturos, invidiamque facturos dicendo, castitatem perfectam vos vehementer commendare atque laudare, non tamen nuptias prohibere : quandoquidem auditores vestri, quorum apud vos secundus est gradus, ducere atque habere non prohibeantur uxores. Quæ cum

[1] 1 Retract. cap. VII, n. 6. — [2] 1 Tim. IV, 3.

magna voce et magna indignatione dixeritis, ego vos lenius interrogabo ad hunc modum : Nonne vos estis qui filios gignere, eo quod animæ ligentur in carne, gravius putatis esse peccatum, quam ipsum concubitum? Nonne vos estis, qui nos solebatis monere, ut quantum fieri posset, observaremus tempus, quo ad conceptum mulier post genitalium viscerum purgationem apta esset, eoque tempore a concubitu temperaremus, ne carni anima implicaretur? Ex quo illud sequitur, ut non liberorum procreandorum causa, sed satiandæ libidinis habere conjugem censeatis. Nuptiæ autem, ut ipsæ nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum causa marem fœminamque conjungunt : quisquis ergo procreare liberos quam concumbere gravius dicit esse peccatum, prohibet utique nuptias; et non jam uxorem, sed meretricem fœminam facit, quæ donatis sibi certis rebus, viro ad explendam ejus libidinem jungitur. Si enim uxor est, matrimonium est. Non autem matrimonium est ubi datur opera ne sit mater : non igitur uxor. Quocirca nuptias prohibetis, nec ab hoc crimine, quod olim a Spiritu sancto de vobis prædictum est, ulla vos ratione defenditis.

LXVI. Jamvero cum vehementer satagitis, ne per concubitum anima ligetur in carne, et vehementer asseritis, per sanctorum cibum animam de seminibus liberari, nonne confirmatis, o miseri, quod de vobis homines suspicantur? Cur enim de tritico, et de faba, et de lenticula aliisque seminibus, cum his vescimini, liberare vos velle animam creditur, de animalium seminibus non credatur? Non enim ut ipsam carnem mortui animantis immundam esse dicitis, quod animam non habet; hoc ita potestis et de animantis semine dicere, in quo animam, quæ apparebit in prole, colligatam esse censetis, et in quo ipsius Manichæi animam implicatam fuisse fatemini. Et quia

non possunt ab auditoribus vestris purganda vobis talia semina afferri, quis non suspicetur secretam de vobis ipsis inter vos fieri talem purgationem et ideo illis ne vos deserant occultari? Quæ si non facitis, quod utinam ita sit, videtis tamen quantæ suspicioni vestra superstitio pateat, et quam non sit hominibus succensendum id opinantibus, quod de vestra professione colligitur, cum vos animas per escam et potum de corporibus et sensibus liberare prædicatis. Nolo huic diutius immorari: et videtis quantus sit invectionis locus. Sed quia et res talis est, ut eam potius reformidet quam insectetur oratio, et propositum illud meum per totum sermonem animadverti potest, quo statui nihil exaggerare, sed nudis quodam modo rebus et rationibus agere, transeamus ad aliud.

LXVII. Jam enim satis apparet, qualia sint tria vestra signacula. Hi sunt vestri mores, hic finis admirabilium præceptorum, ubi nihil certum, nihil constans, nihil rationabile, nihil inculpabile: sed omnia dubia, imovero sine dubitatione falsissima, omnia repugnantia, abominabilia, absurda. Denique tam multa et tam gravia peccata in his moribus deprehenduntur, ut si quis accusare velit omnia, homo alicujus facultatis singula, ut minimum, singulis voluminibus possit. Hæc igitur si custodiretis vestramque impleretis professionem, nihil vobis esset ineptius, nihil stultius, nihil imperitius: cum autem laudatis et docetis ista, nec facitis, quid vobis fallacius, quid insidiosius, quid malitiosius dici aut inveniri potest?

LXVIII. Novem annos totos magna cura et diligentia vos audivi[1], nullus mihi electorum innotescere potuit, qui secundum hæc præcepta non aut deprehensus, in peccato, aut certe suspicioni subditus fuerit. Multi in vino et carnibus, multi lavantes in balneis inventi sunt. Sed

[1] Confess. lib. IV, cap. I, et supra, lib. I, de Moribus Eccles. cathol.

hæc audiebamus. Nonnulli alienas fœminas seduxisse approbati sunt, ita ut hinc plane dubitare non possim. Sed sit et hæc magis fama quam verum. Vidi ipse non solus, sed cum iis qui partim jam illa superstitione liberati sunt, partim adhuc opto ut liberentur; vidimus ergo in quadrivio Carthaginis, in platea celeberrima, non unum, sed plures quam tres electos simul post transeuntes nescio quas fœminas tam petulanti gestu adhinnire, ut omnium trivialium impudicitiam impudentiamque superarent. Quod de magna venire consuetudine, atque illos inter se ita vivere satis eminebat, quandoquidem nullus socii præsentiam veritus, omnes, aut certe pene omnes eadem teneri peste indicabat. Non enim erant hi ex una domo, sed diverse prorsus habitantes, ex eo loco ubi conventus omnium factus erat, pariter forte descenderant. Nos autem graviter commoti, graviter etiam questi sumus. Quis tandem hoc vindicandum, non dicam separatione ab Ecclesia, sed pro magnitudine flagitii vehementi saltem objurgatione arbitratus est?

LXIX. Et hæc erat omnis excusatio impunitatis illorum, quod eo tempore quo conventicula eorum lege publica prohiberentur, ne quid læsi proderent, metuebatur. Ubi est ergo quod perpetuam sibi persecutionem in hoc mundo futuram prædicant, eoque se commendatiores haberi volunt, hinc interpretantes quod hic mundus eos oderit; et propterea penes se quærendam veritatem affirmantes, quia in promissione Spiritus sancti Paracleti dictum est[1], quod eum mundus iste accipere non possit. De qua re non iste locus disserendi est. Sed certe si perpetua vobis persecutio futura est, usque in sæculi finem, perpetua erit et hæc dissolutio tantæque turpitudinis impunita contagio, dum tales lædere formidatis.

[1] Joan. xv, 18, et xviii, 17.

LXX. Id etiam nobis responsum est, cum ad ipsos primates detulissemus conquestam nobis esse mulierem quod in conclavi, ubi cum aliis fœminis erat, de illorum scilicet sanctitate secura, ingressis electis pluribus, et ab uno lucerna extincta, incertum cujus eorum in tenebris appetita esset amplexu, et coacta in flagitium, nisi subsidio clamoris evasisset. Hoc nobis quoque notissimum nefas, de quanta consuetudine venisse arbitrandum est? Et hoc factum est ea nocte, qua festæ apud vos vigiliæ celebrantur. Sed revera etiamsi nullus esset proditionis metus, quis posset damnandum offerre episcopo, qui sic præcaverat ne agnosceretur? Quasi vero non omnes idem crimen involutos tenebat, qui simul ingressi erant. Nam omnibus petulanter jocantibus lucerna extincta placuerat.

LXXI. Suspicionibus vero januæ quantæ aperiebantur, cum eos invidos inveniebamus, cum avaros, cum epularum exquisitarum avidissimos, cum in jurgiis frequentissimos, cum de rebus exiguis mobilissimos? Non utique arbitrabamur eos temperare posse, a quibus se temperare profitebantur, quando latibula et tenebras invenirent. Duo quidam erant existimationis satis bonæ, facili ingenio, atque in illis suis disputationibus principes, nobis amplius quam cæteri familiariusque conjuncti. Quorum unus qui propter studia etiam liberalia nobis arctius adhærebat hic nunc ibi esse presbyter dicitur. Hi sibi graviter invidebant, et objiciebat alter alteri, non accusatione manifesta, sed sermone apud quos poterat et susurris, ab eo violenter attentatam cujusdam auditoris uxorem. Ille autem se purgans, interim apud nos alium ejusdem sceleris electum criminabatur, qui apud eumdem auditorem, quasi amicus fidissimus habitabat : quem quoniam subito ingrediens cum muliere deprehenderat, dicebat mulieri et adultero ab illo inimico atque invido consilium datum,

ut illa sibi conflaretur calumnia, ne si quid proderet, crederetur. Angebamur nos, et molestissime ferebamus, quod etiamsi de appetita muliere incertum erat, livor tamen in illis duobus, quibus meliores ibi non inveniebamus, apparebat acerrimus, et alia conjicere cogebat.

LXXII. Postremo in theatris electos, et ætate, et, ut videbantur, moribus graves, cum sene presbytero sæpissime invenimus. Omitto juvenes, quos etiam rixantes pro scenicis et aurigis deprehendere solebamus, quæ res non mediocri argumento est, quomodo se possint continere ab occultis, cum eam cupiditatem superare non possint, quæ illos auditorum suorum oculis ostentat, et prodit erubescentes atque fugitantes. An vero illius etiam sancti, ad cujus disputationes in ficariorum vicum ventitabamus, tantum illud flagitium proderetur, si virginem sanctimonialem mulierem tantum, non et prægnantem facere potuisset. Sed occultum et incredibile malum crescens uterus latere non passus est. Quod cum mater fratri juveni prodidisset, acerrime dolens, religionis tamen nomine ab accusatione publica revocatus est; perfecitque ut ille (non enim hoc ferre quisquam posset) de illa ecclesia pelleretur : et ne impunita res omnino esset, cepit consilium, ut adjunctis sibi amicis, hominem pugnis calcibusque concideret. At ille cum graviter cæderetur, clamabat, ut sibi ex auctoritate Manichæi parceretur, Adam primum heroem peccavisse, et post peccatum fuisse sanctiorem.

LXXIII. Talis est namque apud vos opinio de Adam et Eva : longa fabula est, sed ex ea id attingam quod in præsentia satis est. Adam dicitis sic a parentibus suis genitum, abortivis illis principibus tenebrarum ut maximam partem lucis haberet in anima, et perexiguam gentis adversæ. Qui cum sancte viveret propter exuperantem copiam boni, commotam tamen in eo fuisse adversam illam

partem, ut ad concubitum declinaretur : ita eum lapsum esse atque peccasse, sed vixisse postea sanctiorem. Hic ego non tam de nequam homine conqueror, qui stupro nefario alienam familiam, sub habitu electi et sancti viri ad tantum dedecus infamiamque perduxit. Non hoc vobis objicio. Fuerit hoc hominis perditissimi potius quam consuetudinis vestræ. Non enim tantum flagitium in vobis, sed in illo arguo. Illud tamen in omnibus vobis quemadmodum ferri et tolerari possit ignoro, quod cum animam partem Dei esse dicatis, asseritis tamen etiam exiguo admixto malo, majorem ejus copiam ubertatemque superari. Quis enim cum hoc crediderit, et eum libido pulsaverit, non ad talem defensionem potius quam ejus libidinis refrenationem compressionemque confugiat?

LXXIV. Quid amplius dicam de moribus vestris? Dixi quæ ipse compererim, cum in ea essem civitate ubi ista commissa sunt. Romæ autem me absente quid gestum sit, totum longum est explicare. Dicam tamen brevi. Eo enim res erupit, ut occulta esse non posset absentibus : et ego quidem postea Romæ cum essem, omnia vera me audisse firmavi : quamvis tam familiaris et mihi probatus, qui præsens erat, ad me rem pertulerat, ut omnino dubitare non possem. Nam quidam vester auditor, in illa memorabili abstinentia nihilo electis cedens, qui et liberaliter institutus esset, et vestram sectam copiose vellet et soleret defendere, molestissime ferebat, quod ei vage pessimeque habitantium passimque viventium electorum mores perditissimi sæpe disputanti objiciebantur. Cupiebat itaque, si fieri posset, omnes qui secundum illa præcepta vitam degere parati essent, congregare in domum suam, et suis sumptibus sustinere. Erat enim et non mediocris pecuniæ contemptor, et non mediocriter pecuniosus. Querebatur autem impediri tantos conatus suos episcorum dis-

solutione, quibus adjuvantibus implere debebat. Interea vester episcopus quidam, homo plane, ut ipse expertus sum, rusticanus atque impolitus, sed nescio quomodo ea ipsa duritia severior in custodiendis bonis moribus videbatur. Hunc diutissime desideratum et aliquando præsentem arripit iste, exponit homini voluntatem suam : laudat ille atque consentit, placet ut in domo ejus prior ipse incipiat habitare. Quod ubi factum est, eo congregati sunt electi omnes, qui Romæ esse potuerunt. Proposita est vivendi regula de Manichæi epistola : multis intolerabile visum est ; abscesserunt : remanserunt tamen pudore non pauci. Cœpit ita vivi ut placuerat, et ut tanta præscribebat auctoritas : cum interim auditor ille vehementer omnes ad omnia cogeret, neminem tamen ad id quod non prior ipse susciperet. Interea rixæ inter electos oriebantur creberrimæ, objiciebantur ab invicem crimina, quæ ille omnia gemens audiebat, dabatque operam, ut se ipsos in jurgando incautissime proderent : prodebant nefanda et immania. Ibi cognitum est quales essent, qui tamen inter cæteros vim præceptorum illorum subeundam sibi esse putaverunt. Jam de cæteris quid suspicandum erat, aut quid potius judicandum ? Quid plura ? Coacti aliquando murmuraverunt sustineri illa mandata non posse : inde in seditionem. Agebat auditor causam suam complexione brevissima, aut illa omnia esse servanda, aut illum, qui talia sub tali conditione præcepisset, quæ nullus posset implere, stultissimum existimandum. Vicit tamen, non enim aliter poterat, unius sententiam effrenatissimus plurium strepitus. Postea etiam ipse cessit episcopus, et cum magno dedecore aufugit : cujus sane cibi præter regulam clanculo accepti, et sæpe inventi ferebantur, cum ei de proprio sacculo diligenter occultato pecunia copiosa suppeteret.

LXXV. Hæc si falsa esse dicitis, nimis apertis et pervulgatis rebus obsistitis. Sed utinam hoc dicatis. Cum enim sint ista manifesta, et iis qui scire voluerint cognitu facillima, intelligitur quam vera dicere soleant, qui hæc vera esse negaverint. Sed aliis defensionibus utimini, quas ego non improbo. Aut enim dicitis aliquos qui vestra præcepta custodiant, nec eos aliorum criminibus debere perfundi; aut non oportere omnino quæri quales sint homines, qui vestram sectam profitentur, sed qualis sit ipsa professio. Quorum ego utrumque cum admisero, (quanquam nec illos fidos mandatorum observatores demonstrare, nec ipsam hæresim a tot et tantis nugis atque sceleribus purgare possitis); illud tamen a vobis magnopere requiram, cur maledictis insectemini Christianos catholici nominis, quorumdam intuentes perditam vitam, cum de vestris hominibus haberi quæstionem, aut impudenter recusetis, aut impudentius non recusetis, velitisque intelligi in tanta vestra paucitate latere nescio quos, qui sua præcepta custodiunt, et in tanta catholicæ multitudine non velitis?

FINIS TOMI CENTESIMI TRIGESIMI-QUARTI.

ANNOTATIONES.

Annotatio (1) et (2) vid. pag. 40 et 109.

Annotatio (3) pag. 207.

Meminerunt Marcellinus et Prosper in Chron. et Paulus diaconus lib. XIII. Refert Baronius ad annum 396.

Annotatio (4) pag. 214.

Epiphanius Constantiæ seu Salaminæ in Cypro insula episcopus, humanis rebus exemptus est circiter annum Christi 403. Ipsius adversus octoginta hæreses immensi Operis, quod Panarium inscripsit, nonnisi epitome et Anacephalæosis Augustino cognita.

Annotatio (5) pag. 215.

Hæresum indiculus ab aliquo hic adjectus est : reperitur in plerisque MSS. non hoc loco, sed in fronte libri ante præfationem collocatus, cum hujusmodi titulo : *in hoc libro istæ hæreses continentur.*

Annotatio (6) pag. 218.

Apud Epiphanium et Damascenum *Saturniliani* appellantur, eorumque auctor *Saturnilus*. Sic etiam vocat Justinus in dialogo cum Tryphone ac Theodoretus.

Annotatio (7) pag. 228.

Epiphanius in Panario quidem hæres. LXIII et LXIV aperte profitetur nescire se an Origeniani isti turpes ab Origene Adamantio dicti sint, an ab alio Origene : sed profecto in Anacephalæosi, quæ sola sine Panario venit in manus Augustini de utrisque Origenianis sic dicit obscure, ut priores non ab eodem Origene Adamantio, sed ab alio profectos crederes.

Annotatio (8) pag. 253.

Hic certe finitur Augustini liber : tametsi in codicibus MSS. plerisque addantur Nestoriani et Eutychiani (hæreses utique non ante Augustini obitum nominatæ) et in quibusdam etiam Timotheani, hoc ordine :

« Timotheani dicunt Filium Dei verum quidem homi-
» nem ex virgine Maria natum, sed non ita unam reddidisse
» personam, ut non in unam sit redactus naturam, con-
» flatorium quoddam volentes fuisse interiora virginis,
» per quod duæ naturæ, id est, Deus et homo, in unam
» resolutæ et compactæ massam, unam Dei et hominis
» exhibuerint formam : immutata videlicet naturarum
» proprietate efficientium coitionem. Et ad confirmandam

» hujusmodi impietatem, quæ Deum asserit a sua versum
» natura, cogunt Evangelistæ testimonium dicentis : *Et*
» *Verbum caro factum est* : quod ita interpretantur,
» Divina natura in humanam versa est. O abolitionem,
» illi inviolabili impingentem substantia ! Hujus impie-
» tatis initium Timotheus, apud Bizam Bithyniam modo
» exulans civitatem, continentis et religiosæ vitæ imagine
» multis illudit.

« Nestoriniani a Nestorio episcopo qui contra catholi-
» cam fidem dogmatizare ausus est, Dominum nostrum
» Jesum Crhistum hominem tantum, (*Plerique* MSS.
» dogmatizare ausus est, Christum Dominum nostrum
» Deum hominem tantum,) nec id quod mediator Dei et
» hominum effectus est, in utero virginis de Spiritu sancto
» fuisse conceptum, sed postea Deum homini fuisse per-
» mixtum : nec Deum hominem passum sepultumque di-
» cebat : vacuare contendens omne nostrum remedium,
» quo Verbum Dei sic hominem suscipere dignatus est in
» utero virginis, ut una persona fieret Dei et hominis,
» propterea sit singulariter et mirabiliter natus, mortuus
» etiam pro nostris peccatis, cum ea quæ non rapuerat
» persolveret, Deus homo a mortuis resurgens ascendit
» in cœlum. »

« Eutychiani ab Eutyche quodam Constantinopolitanæ
» Ecclesiæ presbytero, (*addit quidam codex*, monacho)
» exorti sunt, qui cum videretur refutare Nestorium, in
» Apollinarem Manichæumque transivit, et humanitatis
» in Christo denegans veritatem, quidquid a Verbo nostræ
» proprietatis receptum est, divinæ tantummodo ascribit
» essentiæ; ut sacramentum salutis humanæ, quod non-
» nisi in utraque substantia est, nostram in Christo natu-
» ram negando, dissolveret, stulta impietate non sentiens
» universo corpori auferri, quod capiti defuisset. »

Annotatio (9) pag. 483.

Sic vulgati, quibus MSS. vix aliqui suffragantur. Nam Arnulfensis et Victorini duo vocem, *personæ,* omittunt; alii novem melioris notæ, e quibus est Theodericensis, Gemeticensis, Pratellensis, Regiomontensis, S. Audoeni Rhotomagensis, Sorbonicus, unus S. Martini de Campis, et qui annos circiter nongentos præfert quique olim Veronensis Ecclesiæ fuit Regius codex omisso verbo, *natura,* sic habent, *sed susceptionem inferioris personæ, id est, humanæ.* Ita etiam tributa Bedæ collectio ad cap. 5 Epist. ad Ephes. tum in excusis, tum in Corbeiensi codice sub nomine Flori manu descripto. Quod locutionis genus ea lege intelligendum, qua illud eum veteres dicunt Verbum suscepisse hominem, susceptione videlicet, ut Theologi aiunt, terminata ad hoc ut Verbum ipsum suscipiens existat homo filiusque hominis, quæ est humana persona. Nam alias naturam hominis in personæ unitatem a Verbo susceptam fuisse docet constanter Augustinus, cujus celebrior est illa sententia ex Epist. III ad Volusianum : *Ita inter Deum et homines mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret.*

Annotatio (10) pag. 563.

Etsi vox, *nuper,* ab aliquot annos porrigatur nonnunquam : hoc tamen loco nescimus an proximum tempus denotet. Nam subindicare videtur quæstioni illi (quæ quidem apud Italiam *ab usque Carthagine a Nebridio proponi solebat,* uti legimus in libro VII Confess, cap. 2,

n. 3) responsum istud alterum pro Manichæis redditum esse, non primo tempore propositæ a Nebridio quæstionis, aut eo quo studiose Manichæos audiebat Augustinus, sed aliquanto recentiore, ac forte nonnisi post ipsius regressum ex Italia. Quod si ita est, libro huic Romæ a se scripto locum hunc secunda manu, dum ejus publicationem differt, adjecerit.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
De Patientia, pag. 3.	Ejusdem analysis, tom. XXII, p. 318-320.
De Hæresibus, p. 211.	Ejusdem analysis, tom. XXII, p. 77 et 78.
Adversus Judæos, p. 255.	Ejusdem analysis, tom. XXII, p. 78-80.
De libero Arbitrio, lib. III contra Manichæos, p. 275.	Ejusdem analysis et fragmenta. tom. XXII, p. 245–254.
De Moribus Ecclesiæ catholicæ, et de Moribus Manichæorum. lib. II, p. 491.	Ejusdem analysis, tom. XXI, p. 148.

INDEX

TOMI CENTESIMI TRIGESIMI-QUARTI.

De PATIENTIA, LIBER I. Principio distinguit Augustinus Patientiam veram a falsa. Hortatur deinde ad eam, quæ vera est, per quam pro æterna vita et ex Dei amore mala sufferuntur, Patientiam amplectendam. Docet postremo hanc Patientiæ virtutem, non liberi arbitrii viribus, sed divinæ gratiæ adjutorio tribuendam esse. *pag.* 3

DE SYMBOLO, AD CATECHUMENOS SERMO I. 25

— — SERMO II. 40

— — SERMO III. 73

— — SERMO IV. 90

DE DISCIPLINA CHRISTIANA, SERMO. 109

DE CANTICO NOVO, AD CATECHUMENOS SERMO. 123

DE QUARTA FERIA, sive DE CULTURA AGRI DOMINICI, SERMO. 137

DE CATACLYSMO, SERMO. 151

DE TEMPORE BABBARICO, SERMO. 165

DE UTILITATE JEJUNII, SERMO. 183

DE URBIS EXCIDIO, SERMO. 199

DE HÆRESIBUS AD QUOTVULTDEUM, liber. 209

ADVERSUS JUDÆOS, TRACTATUS I. 255

DE LIBERO ARBITRIO, LIBRI III. — LIBER I. In quo mota quæstione *unde malum*, explicatur quid sit male agere, tumque mala hominum facta ex libero voluntatis arbitrio proficisci ostenditur; quippe cum libidini, quæ in omni facto malo regnat, servire mens a nullo cogatur. 275

— LIBER II. In quo difficultate ex eo quod Libertas, qua peccatur, a Deo data sit emergente, tria hæc disquiruntur : Qua ratione Deum esse manifestum sit; An ab ipso sint bona quæcumque; Utrum in bonis censenda sit libera voluntas. 304

— LIBER III. In quo quæritur unde ille motus existat quo voluntas ab

incommutabili bono deflectit; an secum invicem pugnent Dei præscientia de hominum peccatis, et hominum ipsorum in peccando libertas. Mox ostenditur nequaquam id Creatori deputandum quod in creatura ita fieri necesse est, ut voluntate peccantium fiat; et prorsus de creaturæ, quæ peccato obnoxia sit productione ac supplicio laudandum esse Deum. Hinc ad originis vitia perducta disciplinæ declaratur quemadmodum ea haud injuste in Adæ posteros demanent; utque propter hæc ipsa immerito peccantes excusationem obtendant : deinceps vero difficultates nonnullæ huc pertinentes enodantur. *pag.* 352

DE GENESI, CONTRA MANICHÆOS LIBRI II. — LIBER I. In quo a Manichæorum calumniis vindicatur initium Geneseos, scilicet ab hocce versiculo, *In principio creavit Deus cœlum et terram,* usque ad illum quo Deus septimo die requievisse dicitur. 415

— LIBER II. Persequitur expositionem Geneseos ab hoc versiculo, *Hic est liber creaturæ cœli et terræ,* etc., usque ad illum quo Adam et Eva de Paradiso ejiciuntur. Ad extremum Ecclesiæ dogmata cum Manichæorum erroribus confert. 450

DE MORIBUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ ET DE MORIBUS MANICHÆORUM, LIBRI II.

— LIBER I. DE MORIBUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ. Principio constituit Augustinus mores illos, quibus in Ecclesia sancte vivitur, ad summum hominis bonum, hoc est Deum referri oportere. Tum summo in eum amore contendendum, idque dogma esse in catholica Ecclesia, utriusque Testamenti auctoritate confirmatum. Quatuor virtutes ex vario quodam amoris Dei affectu dictas ostendit. Agit de officiis charitatis erga proximum, ac refert demum exempla continentiæ et morum vere Christianorum, quæ in Ecclesiæ catholicæ alumnis eluxerunt. 491

— LIBER II. DE MORIBUS MANICHÆORUM. In quo refutata diligenter horum hæreticorum doctrina de origine et natura mali, excutiuntur tria illa oris, manuum et sinus, quæ in impiis suis moribus prædicabant signacula, et superstitiosa eorum abstinentia mysteriaque nefanda suggillantur. Postmodum nonnulla in iis deprehensa flagitia referuntur. 546

ANNOTATIONES. 599

CONCORDANTIA BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA. 604

EXPLICIT INDEX.

208.24
Au 46 C

58616

Augustinus, Aurelius,
AUTHOR

Opera omnia, ed. Caillou,
TITLE

V. 27

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

58616